



4253

R. XVII. 4. no. 112.



TRACTATIO

THEOLOGICA ET SCHOLASTICA
DE

PRÆDESTINATIONIS

ad æternam vitam

I. OBJECTO.

II. CAUSA IMPELLENTE:

III. IMMUTABILITATE:

IV. CERTITUDINE.

Quâ veritas contra adversarios, ARMINIANOS, PONTIFICIOS, & alios, afferitur, perpetuis, cum demonstrationibus, tum demonstrationum vindicationibus: & opposita falsitas, propositis & syllogisticè informatis Partium, quotquot reperiri potuerunt, argumentis, secundum artis normam, everitur: In specie quoque prolixè de SANCTORUM PERSEVERANTIA contra PETRUM BERTIUM disputatur.

Elaborata

A

M. MARCO FRIDERICO WENDELINO

Palatino.

PUBLICIS TYPIS

Excudebat

In Academia Marchica

FRIDERICUS Hartmann /

Sumptibus

MARTINI Guetts /

ANNO

M. DC. XXII.

*Illustribus & generosissimis Dominis,
Heroibus fortissimis:*


**DN. FABIANO SENIORI, BURG-
GRAFIO & BARONI A DHONA; SERENISSI-
MORUM IMPERII ELECTORUM, PALATI-
NI & BRANDEBURGENSIS, CONSILIARIO
EMERITO; &c.**

**DN. ABRAHAMO BURGGRAVIO,
ET BARONI A DOHNA: SERENISSIMI ELECT-
ORUM BRANDENBURGENSIS, ORDINUMQUE
SILESIE POLEMARCHO, &c.**

Dominis meis gratiosissimis.

M. DC. XXII.

SALUTEM ET PACEM à DEO.



Nicam, de *Sanctorum perseverantia*, quaestionem tractare, cum primum opellæ huic manum admovebam, animus erat. Incitabat me cum *Petri Bertij Hymeneus Deserter*, partus infelici certe nisu egestus, etsi non sine curâ & industriâ, quam vellem majori Ecclesiæ bono in assertionem veritatis collatam: Tum *Remonstrantium Belgarum* collatio cum orthodoxis scripto, volentibus ita potentissimis ordinibus, frequentata. Dolebam doctrinæ caput hoc consolationis plenissimum tam improbo ausu convelli, scripturas magno consensu sententiæ nostræ faventes tam sophericâ fraude perverti, afflictas & decumanis tentationum fluctibus verberatas mentes impulsu tam valido prosterni, denique heterodoxos Ecclesiarum nostrarum calamitatibus tam protervè insultare, infelicem *Bertij Deserterem* aureolum nuncupare, & hoc quasi *Gorgonis* objecto capite, ἀμύχανον καὶ ἀφάνιον nobis minitari. Hac inquam, solâ & unicâ quaestione opusculum hoc absolvere destinaveram. Sed cum intelligerem, *Perseverantia*, de quâ impræsentiarum agimus, fundamentum esse æternam hominum quorundam

-mo

(:) 2

rundam

rundam ad vitam destinationem (quod & *Berti*,
in præfatione ad *Ludovicum Crocium* Theologum
Bremenſem, agnoſcit, ubi monet: non ante partis hu-
jus refutationem fuiſſe ſuſcipiendam, quam de divi-
nâ prædeſtinatione, è quâ controverſia de ſanctorum
perſeverantiâ dependet, actum eſſet.) altius ad pri-
mum *Electio*nis fontem ascendendum, & inde per
gradus ad *ſanctorum perſeverantiâ* deſcendendum
judicavi. Itaque primum quaſtiones duas, de *Electio-*
nis objecto & cauſâ, dein tertiam de ejuſdem *immuta-*
bilitate, & finali *ſanctorum perſeverantiâ* diſcutere vi-
lum eſt. Tandem & quartam de *Electio*nis certitudine
adiiciendam duxi, quod cum *Electio*nis *immutabilitate*
& finali *ſanctorum perſeverantiâ* eſſet conjunctiſſi-
ma. Ut enim de vitâ æternâ certi ſunt, qui totalem ac
finalem omnium verè fidelium & ſanctorum perſe-
verantiâ credunt: ſic non poſſunt non fluctuare,
quicumque ſanctorum apoſtaſiam defendunt, ut evi-
dentiſſimè ſuo loco demonſtravi. Nec memoret in-
tempetiſtiva illa *Berti* in præfatione *Hymenai Deſerto-*
ris commiſeratio. *Quorum*, inquit, (eorum nempe,
qui ſalutis certitudinem convelli ajunt, hoc de ſan-
ctorum apoſtaſiâ dogmate: *me miſeret*: *quasi filius*
familias certus non ſit de patriâ hereditate, qui tamen
vitiis ſuis poteſt mereri ut ex herede turis Dignâ certe
miseretur s (:) com-

commiseratione hæc commiseratio & annexa ratio.
Quæstio inter nos & apostasie patronos non est: *An
sancti vitio suo exclusionem à sorte Beatorum mereri pos-
sint, ut filius familias exheredationem?* Cum Davide
enim omnes exclamamus: *Si iniquitates observaveris,
ab! Domine, quis possit consistere?* Psal: 130. v. 3. Et: *Ne
ingrediaris, Domine, in iudicium cum seruo tuo: nam
non esset justus cor à te ullus vivens:* Psal: 143. v. 2. Hoc
verò quæritur: *An æternus ille & misericors Pater fami-
lias electis suis & verè fidelibus filiis, propter peccata, qui-
bus in hac mortalitate sunt obnoxii, ita quandoq; ira-
scatur, ut & lapsos destituat, & vitæ beatioris hereditate
æternam privet?* Exemplum filii familias, qui objici-
tur nobis, accuratius jam intueamur. Sit filius famili-
as bonæ indolis & frugis, qui patrem veneretur, impe-
rata ejus sedulo faciat, plenoque eundem obsequio
semper demereri apud animum proponat: Fratres
idem habeat, qui & ipsi olim indolis frugisque bonæ
patrem aliquandiu venerati sint, & ab obsequio ne-
minimum quidem declinare secum constituerint;
tandem tamen præter suam & aliorum expectatio-
nem ab obsequio recesserint, cõtumaci malitiâ gravissi-
mè patrem offenderint, & à se ita abalienarint, ut im-
probus & domo ejecerit, & iure evocabili sententiâ ab
hereditate exculserit. Dic mihi quæso, *Petre Berti, anis*

pbA comp. p. 111.

(:) 3

hunc

hunc filium familias certum esse posse de hæreditate
patriâ arbitrere? Nullâ heïc certitudinem video: nisi
eam quis forte certitudinē sibi imaginetur, quæ cum
perpetuâ fluctuatione sit conjuncta, hoc est, non certi-
tudinem. Qui enim de mediis certus esse nequit, de
fine non est quod certi quidpiam sibi polliceatur.
Quam vero putes esse posse in filio familias certitudi-
nem de continuando erga patrem obsequio, & hære-
ditate tandem adeundâ, quoties ad alios suos fratres
degeneres & exhæredatos animum & cogitationes con-
vertit? Ut enim patrem modò ipse veneratur, & à pa-
tre amatur, sic & fratres olim eundem venerati sunt,
& ab eodem amati. Ut indefesso studio pietatis hoc
stadium ad metam usque decurrere animus ipsi, sic &
fratribus olim erat. Ut fratres contumaci errore exor-
bitantes in viam nunquam redierunt, & ab irato patre
exclusi sunt, sic & eidem periculo se obnoxium senti-
et, deque adeundâ hæreditate securus certusque nun-
quam esse poterit quando de perseverantiâ in obse-
quio, quoties fratrum occurrit recordatio, ἀσφα-
λῆς & ἀμετάπτωτος esse nequit. Quod si ergo de
salute certiores non sunt Electi, quam de hæreditate
filius familias, actum erit de salutis certitudine: ac-
tū de fide, quæ, *Bertio* definitore, certitudo de salute
est: actum de salute, quæ sine fide nomini obtingit.

Ad

Ad tertiam quæstionem, quæ de *sanctorum perseve-*
rantiâ est, redeo. Negat *Bertius*, & cum eo *Remon-*
strantes, ullam dari perleverantiam, quæ *inconditio-*
nata Electionis decreto nitatur: cumque *inconditio-*
nata Electionis decretum sententiæ suæ vel inprimis
adversari animadvertat, primum inter postulata hoc
ponit: *Nullam dari Electionem absolutam, seu incondi-*
tionatam. Certè μέγα λίσαν ἀίτημα! Quod si tamen
disputatori huic fas est postulare id, in quo negotii
vertitur cardo: quidnî & nobis idem concedat juris,
ut postulemus quod sanctorum apostasiam è funda-
mento subvertit; *Nullam dari electionem conditiona-*
tam, hoc est, suspensam à conditione, quam præstare
vel non præstare in mero hominis sit arbitrio. Ne ta-
men, quod in *D. Crocio Bertius* & nos in *Bertio* culpa-
mus, ipsimet committeremus, nostram de *Electione*
inconditionatâ sententiam, non tanquam postula-
tum, sed tanquam ζητέμενον præmittendam, immo
tisfundamentis adstruendam, & ab adversariorum
insultibus vindicandam duximus.

Ut autem eorum, quæ ad secundam quæstionem
prolixè disputavimus, aliquem lectori gustum in hoc
vestibulo (vel hanc etiam ob causam, quod lectorum
minus curiosorû fervor sæpenumero in ipsis languet
scat librorum exordiis:) exhibeamus, summam rei
paucis complectemur.

Decretis

Decretum Electionis conditionatum, quale quidem
novi isti Doctores in Ecclesiam introducunt, ejusque
repu diati nomine Ecclesias nostras iniquissimè tradu-
cunt, repugnat *scripturæ*, repugnat *DEI & hominis natu-
ræ*, repugnat denique *piæ vetustati*.

Scripturam quod attinet, nunquam & nusquam ea
Electionem ex fide, sed fidem ex *Electione* deducit.
*Crediderunt enim quotquot ad vitam æternam erant
ordinati. Act. 13. v. 48 Elegit nos in ipso antequam jaceren-
tur fundamenta mundi, ut simus sancti & inculpati coram
eo per charitatem: qui prædestinavit nos, quos adoptaret
in filios per Jesum CHRISTUM in se, pro benevolentia affe-
ctu voluntatis suæ. Ephes. 1. v. 4. 5. Misericordiam conse-
cutus sum, ut fidelis essem, 1. Cor. 7. v. 25. Elegit te Jebo-
vab DEUS tuus, ut sis ei populus peculiaris: Deut. 7. v. 6.*
Qui vero à fide & cursu hominis *Electionem* & mileri-
cordiam *DEI* suspendunt, nonne illud *Pauli* ad Rom.
9. v. 16. hunc in modum invertunt? *Non est (Electio)*
DEI *miserentis, sed ejus qui vult & qui currit. Naturam*
DEI si attendas ecquid ei inimicum magis excogitari
possit? *Ens primum & independens esse DEUM* omnes
clamant philosophi, ne dum Theologi: *Decreta DEI*
æterna & interna idem cum essentiâ DEI esse affirmant,
quicumque compositionis expertem DEUM asserunt.
Quod si ergo *Electionis* decretum à fidei conditione
per hominem præstandâ dependet, & *Electionis, seu*
volun-

voluntatis divinæ eligētis causa est (inter causas n. Ele.
ctionis fidem numerant:) quis *primum Ens & indepne-*
dens Deum esse dixerit? *Qui querit*, inquit Augusti-
nus, lib: 83. quæst: q. 27. *quare voluerit Deus mundum*
facere? (sic nostri Novatores quærunt, quare volue-
rit aut decreverit Deus è perdita humani generis mas-
sa quosdam extrahere?) *causam querit voluntatis Dei.*
Omnis autem causa efficiens major est eo, quod efficitur:
nihil tamen majus est voluntate Dei. Deum & Natu-
ram nihil frustra facere affirmant Theologi pariter
& Philosophi. Negant hi Disputatores. Cum enim
contendant decrevisse Deum sub fidei conditione o-
mnes æternum beare, & vero negare haud audent, fina-
lem multorum infidelitatem ab æterno ipsi prævi-
sam, adeoque damnationem decretam: nonne prio-
us illud decretum frustraneum esse incauti affirmant?
Quid enim attinebat sub fidei conditione vitam ei
decernere, cui mortem, ob infidelitatem prævisam,
decreverat? Deum immutabilem esse, omnes scholæ
clamant. Negant hi disputatores. Cum enim decre-
tum Dei à conditione suspendant mutabili, nonne
iplum decretum, adeoque ipsum Deum sibi fingunt
mutabilem? De *hominis naturâ* scripturam si interro-
ges: respondebit ea, *in peccatis nos esse mortuos, naturâ*
ira filios, Ephel. 1. v. 1. *Non idoneos ex nobis ipsis ad cogi-*
tandum quicquam velut ex nobis ipsis, 2. Cor. 3. v. 6. Ani-
(?) *n. alem*

malum hominem non esse capacem eorum, quæ sunt spiritus Dei, pro stultis ea reputare, nec posse ea cognoscere. 1. Cor. 2. v. 14. sine CHRISTO nos nihil posse facere Johan: 15. v. 5. Deum in nobis efficere, ut & velimus & efficiamus, Philipp. 2. v. 13. Quid verò novi hi Disputatores? Pelagium ex orco revocant, & nescio quam homini in peccatis mortuo vitam spirituales tribuunt, cujus ope verbi præconium intelligere, fidei ei habere, & ad Electionem Deum possit permovere. Ne tamen videantur tanquam perfidi transfugæ in Pelagij castra secedere, istius vitæ spiritualis reliquias, sufficientem, & universalem credendi gratiam appellant, omnibusque verbi auditoribus conferri ajunt: sed præter scripturas, in quibus alium de sufficiente & universali hac gratiâ silentium: imo contra scripturas, ut suo loco monstravimus: & dubio procul contra proprias conscientias. Hoc enim pallio Pelagij monstra tegi, & incautos facilius circumveniri posse credunt. Quanto rectius cum scriptura olim sensit Augustinus lib: 1. de prædest: sanct: cap: 5. Multi audiunt verbum veritatis: sed alij credunt, alij contradicunt: volunt ergò isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? Quis hoc neget? sed cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino: discernendum est utiq; quid veniat de misericordiâ ejus, quid de Judicio. Quod quærebat Israhel, ait Apostolus, hoc non est consecutus, Electio autem conse-

cuta

cuta est. ceteri vero excacati sunt. Magna gratia com-
mendatio, ait idem, tractat 26. Iuper Johan nemo venit
nisi tractus: quem trahat & quem non trahat, quare il-
lum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, si non
vis errare. Quos prævidit, inquit, credituros, eos ele-
git. Eadem veterum Pelagianorum erat sententia. Sic
enim de ijs Augustinus, lib. 1. de præd: sanct: cap. 18.
Præsciebat ergo, ait Pelagianus, qui futuri essent sancti
& immaculati per libera voluntatis arbitrium, & ideo
eos, ante mundi constitutionem, in ipsa sua præscientia,
quâ tales futuros esse præscivit, elegit. Ergo, inquit Au-
gustinus, antequam essent, prædestinans filios, quos futu-
ros sanctos immaculatosq; præscivit, utiq; ipse nõ fecit, nec
se facturum, sed illos futuros esse prævidit, Intueamur ero-
go verba Apostoli, atq; videamus utrum propterea nos
elegerit ante mundi constitutionem; quia sancti & imma-
culati futuri eramus, an ut essemus &c. Patet igitur & ve-
tustati piæ dogma hoc de decreto conditionato & à
fide suspenso advertari, aliudque nihil à novis istis
Doctoribus agi, quam ut Pelagius ab orco revocetur.
Dixerunt olim Pelagiani verba sunt Augustini lib. 1. de
prædest: cap. 19. Nostrum Deum non præscivisse,
nisi fidem, quâ credere incipimus, & ideo nos elegisse ante
mundi constitutionem & prædestinasse ut jam sancti &
immaculati gratiâ atq; operâ ejus essemus. Quid ad hæc
Augustinus? Audiant, inquit, & ipsi in hoc testimonio,

(2) 2

ubi

ubi dicit: sortem consecuti sumus prædestinati secundum propositum, qui univ[er]sa operatur. Ipse ergo ut credere incipiamus operatur, qui univ[er]sa operatur. Vocationem quippe illam, de quâ dictum est: sine p[œ]nitentia sunt dona & vocatio Dei: & de quâ dictum est: Non ex operibus sed ex vocante: Cum posset dicere, sed ex credente: Et Electionem, quam significavit Dominus, dicens, Non vos me elegistis, sed ego vos elegi: nec fides ipsa præcedit: non enim quia credimus, sed ut credamus, elegit nos: ne priores eum elegisse dicamur, falsumq[ue] sit, quod absit, Non vos me elegistis, sed ego vos elegi. Nec quia credidimus sed ut credamus, vocamur. Atq[ue] illâ vocatione, quæ sine p[œ]nitentiâ est, id prorsus agitur & peragitur ut credamus. Non possum, quin in hoc vestibulo, tanquam nobile emblema, illustrem Ambrosii sententiam, ex cap. 5. de vocat. Gent. repetam, cum plenissimam sententiæ nostræ explicationem & probationem contineat Liberatur, inquit, pars hominum, parte pereunte, & si hoc voluntatum meritis velimus adscribere, ut malis neglexisse gratia bonos autem eligisse videatur, resistet nobis innumerabilium causa populorum, quibus per tot secula nullâ celestis doctrinæ annunciatio coruscavit, nec meliores fuisse eorum posteros possumus dicere de quibus scriptum est: Nō ergo meritis minorum tribuitur, quod non meruere majores. Par n. impietas & patres accusabat & filios, eademq[ue] ignorantia cecitas omnes.

omnes simul in eosdem mergebat errores. Sed cur non illo-
rum, & horum miserus sit Deus, quæ scientia compre-
bendere, quæ potest investigare sapientia? Latet discretio-
nis ista ratio, sed non latet ipsa discretio. Non intelli-
mus judicantem, sed videmus operantem. Quid calu-
mniamur justitiæ occultæ, quia gratias debemus misericor-
diæ manifestæ? Laudemus & veneremur quod agitur,
quia tutum est nescire, quod tegitur. Thomam super hanc
controverſiâ si rogites, dilerte is respondebit Par:1.
Sum:q. 23.art:5. Prædestinatio cum sit æterna, nullâ ex
parte actus prædestinantis causam habet. Et: Manife-
stum est quod id, quod est gratia, est prædestinationis effe-
ctus, & hoc non potest poni ut ratio prædestinationis, cum
hoc sub prædest. natione concludatur. Et: Dicendum quod
usus gratiæ præscitus non est ratio collationis gratiæ, nisi
secundum rationem causæ finalis. Istisne ergo tantopere
nobis luccenlere & tam iniquè Ecclesias nostras tra-
ctare; quod conditionatum *Electio*is decretum non
admittamus: quod eadem decreti divini & salutis
nostræ causas non agnoscamus: Quod ipsa quoque sa-
lutis nostræ principia Deo accepta feramus. Quod
immutabilem æterni Dei gloriam asseramus; quod
monstruosum *Pelagium* ex Ecclesiâ proſcribanus? O
tempora! o mores!

Sed in vestibulo lectorem diutius ne detineam,
in ipsam causæ arcem eum intromitto, in quâ extru-

(2) 3, endâ

tendā ad artis canones me adstrinxi; controversum
 thema, tanquam fundamentum & angularem lapi-
 dem, rite informatum præmisi; Partium sententias
 subjeci: rationes syllogisticis formis illigatas tam or-
 thodoxas, quam heterodoxas proposui; Ex scripturis
 illas formavi & ab adversariorū elusionibus vindica-
 vi, istas infirmavi. Ita cum adversariis egi, ut agi me-
 cum velim, hoc est, candidè, sine bile, sine convitiis, &
 anilibus inlectationibus. Nam si, secundum *Aristo-*
phanem, λοιδορεῖσθαι ἔτι πρὸς ἄνδρας ποιητὰς ὡ-
 περ ἀτροπώλιας, quanto minus ἄνδρας θεολόγους?
 Et si, proh dolor! ἀτροπώλιας harū calamitosū hoc
 seculum est feracissimum, quæ moderatos & corda-
 tos viros virulentissimis suis convitiis, & inlectatio-
 nibus ab hoc polemico scribendi genere haud rarò
 absterrent, aut certè ad nomina sua suppressenda im-
 pellunt: solent enim plerumque ἀτροπώλιας istæ à
 rebus ad personas desilire, & cum argumentorum ro-
 bora deficiunt, conviciorum plaustra evomere. Ita sci-
 licet veritas asseritur, & ad astra itur.

Ad vos me jam converto, Illustres & generosissi-
 mi Domini, Heroes fortissimi. Nominibus vestris
 cur πραγµατείαν hanc inscripserim, causas me ha-
 bere puto sat ponderosas. A primis ferè adolescentiæ
 meæ annis insignem vestram experiri clementiam &
 humanitatem cæpi. Memini enim ante annos viginti,
 Gene.

Generosissime Domine Fabiane, Domine gratiosissime,
me, Heidelbergæ ad multas septimanas inter Do-
mesticos tuos me clementissimè habitum; Fuit is
primus mihi ad Illustrem vestram Domum accessus;
à quo etsi ad reditum anni circiter decem interfluxe-
runt, memoria tamen primi istius accessus & clemen-
tiæ apud me semper recentissima mansit, quæ ante de-
cennium, quo meritis suis vestra Domus denuo me
sibi mancipare cæpit, tam validâ accessione roborata
est, ut dum vixero, apud me nunquam sit intermori-
tura, quod & hæc quasi syngraphâ publicè testor. Sed
tibi imprimis, generosissime Heros, Domine ABR-
HAME, à multis jam annis totum me debeo, nomi-
bulque dissolvendis vitam meam, si vel maximè ultra
humanas metas excurreret, non esse lubens agnosco,
quæ etsi in hanc chartam non conjicio, (sunt enim
longè plura, quam ut angustia ejus capiat,) meo ta-
men animo altissimè & diffusissime esse inscripta, nec
ullâ unquam temporis injuriâ obliteranda, tam tibi
persuasum esse cupio, quàm quod maximè persuasum
esse possit.

Quod si verò maximè nulla mihi fuisset pri-
vata inscriptionis hujus causa; temeritatis tamen
meo quidem judicio, crimen non incurrissem, si hu-
milis virtutum vestrarum admirator hoc qualicunq;
venerabundi animi indicio ad Generositates vestras

ac

accessissem. Quis enim vitio mihi verteret, quod pacis
bellique artibus instructissimos, quod publici boni
studiosissimos, quod humanioribus literis excultissi-
mos, quod caelestis veritatis propagatores religiosissi-
mos, quod deniq; in tanto fortunæ fastigio humanis-
simos & moderatissimos ea, qua par est, animi sub-
missione venerarer, rarumq; hoc tot virtutum in tan-
to Generis splendore conjugium publica voce præ-
dicarem.

Accipite igitur Illustres & generosissimi Domini,
quam Illustribus vestris inscripti nominibus, opela-
lam, meq; humilem Generositatum vestrarum admi-
ratorem & cultorem vobis cōmendatum habete. Fax-
it altissimus, ut quam Germaniæ nostræ optima cō-
sulendo & fortia faciendo operam à multis jam annis,
felicissimo successu, strenuè navastis, & in hunc diem
navatis, multos deinceps in annos continuetis, ad no-
minis divini gloriam, Ecclesiæ CHRISTI incremen-
tum, Germaniæ emolumentum, totiusque DONA-
NAE Gentis ære perennius monumentum.

Illust: Geneross: VV.

Observantissimus.

M. M. F. VV.

I
CAPUT I.

DE OBIECTO PRÆDESTINATIONIS SECUNDUM
*qualitatem considerato : ubi de ordine decretorum divino-
rum circa prædestinationem.*

Quatuor de prædestinatione ad æternam vitam, arduæ quæstiones sunt : Prima, de *obieto* ejus : Secunda, de *causâ impellente* : Tertia, de *immunitate* : Quarta, de *certitudine*. De singulis methodicè dispicere, veritatem propugnare, falsitatem oppugnare & expugnare in præsentiarum nobis est animus.

Prædestinationem divinam in specie, esse *æternum DEI decretum de futuro hominum, post hanc vitam, statum*, in Ecclesiâ DEI extra controversiam est. Unde palam est, *obiectum* divinæ prædestinationis esse hominem, cum respectu ad futurum, post hanc vitam, statum tam infelicem, quàm felicem. Objecti hujus consideratio duplex est, una secundum *qualitatem* in genere, altera secundum *quantitatem* in specie.

De qualitate objecti in genere quæritur. *Qualis homo prædestinanti DEO fuerit obiectus, corruptus an integer : an citra respectum ad corruptionem vel integritatem ?*

In tres ferè sententias heic abeunt Doctores, quarum duæ extremæ, una media. Extremarum una eorum est, qui hominem absolutè consideratum, hoc est citra corruptionis vel integritatis respectum prædestinanti DEO obiectum contendunt. Altera eorum, qui corruptum, & quâ talis est, prædestinatum ajunt. Mediâ qui viâ incedunt, duplicem consilij divini rationem attendunt, quarum una præordinatio ad finem, altera ad media in finem : huic hominem, ut reum in Adamo, illi ut nudum, citra integritatis vel corruptionis considerationem obiectum affirmant. Ita tamen singuli se explicant, ut ad DEI prædestinantis gloriam singulos collimare palam sit, ut ad eandem metam, etsi itineribus non nihil diversis, haud tamen adversis contendere singuli intelligantur. Interim molliorem & ἰὼν κατὰ τὴν ἀμείνων cavillis minus obnoxiam eorum arbitramur sententiam, qui ex homine lapso misericordiæ ac justitiæ illustrandæ & exercendæ materiam divinæ sapientiæ quæsitam existimant. Ex horum igitur & nostrâ mente divinorum circa prædestinationem decretorum ordinem sequentibus assertionibus præsentamus.

A

Homi-

2
CAPUT I.

I:

Hominem DEUS ab æterno decrevit condere ad suæ gloriæ patefactionem: & quidem ad imaginem suam, justum ac sanctum, labilem tamen, qui posset, si vellet, in integritate perstare, posset quoq; si vellet, ab integritate deficere.

II:

Eundem hominem liberè ab integritate defecturum infallibiliter prævidit, ejusq; lapsum seu defectionem permittere decrevit, non, prosternendo lapsurum, sed non sustentando.

III:

E lapsu primi hominis & universi in eo humani generis misericordiæ & justitiæ suæ declarandæ materiam pro liberrimâ suâ *evdoxia* decrevit, quærere, ex ijs, qui in pari hærebant luto, quosdam extrahendo, & æternum misericorditer tandem beando, alios in peccatorum luto relinquendo & justè tandem damnando. Hinc decretum *electionis & reprobationis*.

IV:

Quos ad æternam beatitatem tanquam finem destinavit, eos ad finem hunc per media infallibilia perducere decrevit.

V:

Media quibus electorum salutem ac beatitatem procurare decrevit, præcipua, à quibus reliqua pendent, sunt CHRISTUS & fides in CHRISTUM.

VI:

Sine fide in CHRISTUM, ut nemini salutem in tempore DEUS confert, sic & sine eâ conferre nemini ab æterno decrevit.

VII:

Fidem hanc in electis DEUS prævidit, ut donum suum gratuitum, quo salutis participes redderentur: non ut causam decreti salutis conferendæ. Credunt enim in tempore filij DEI, quia ad vitam ab æterno sunt prædestinati, non ideo prædestinati, quia erant credituri.

VIII:

Nam si fide, absq; speciali & gratioso per CHRISTUM auxilio, à libero hominis arbitrio profecta, ad salutis decretum faciendum impelli DEUS debuisset: neminem utiq; elegisset, quia hoc modo nemo erat crediturus.

IX:

Media quibus reprobos ad damnationem & mortem æternam perducere

ducere decrevit, sunt I. *Desertio*, quâ reprobos naturali mentis, pravitate laborantes deserit, gratiam peccatis resistendi & toto corde ad DEUM se convertendi sufficientem & efficacem negando: idq; citrà ullam injustitiæ notam: quando peccatori DEUS nihil debet, nisi mortem. II. *Permissio*, quâ eisdem insito vitiorum habitu agere sinit, à peccatis per gratiam suam non retrahendo. III. *Induratio*, quâ, insitâ cordis duritie non emollitâ, in pœnam præcedentium peccatorum, habenas ad sequentia laxat, non novam inserendo pravitatem, sed insitam, ad judiciorum suorum executionem, sanctissimè & justissimæ in lucem protrahendo, sic ut vel ipse per media optima reproborum voluntates, absq; ullâ tamen coactiones flectat, quo visum fuerit, vel Satanæ carnificinæ tradat: cujus ministerio fit, ut malitia in impiorum cordibus fremens, disruptis quasi aggeribus, exundet.

X:

Sine peccatis igitur, quæ vitio suo patrant reprobi, DEO deserente, permittente & indurante, ut neminem in tempore DEUS damnat, sic & non nisi propter ea damnare ab æterno decrevit.

XI:

Peccata tamen in reprobis DEUS prævidit, non ut causam impellentem & efficientem decreti, sed ut conditionem in objecto requisitam, quæ damnationis quidem futura erat causa, decreti tamen non item.

XII:

Nam si peccata impulissent DEUM ad faciendum damnationis decretum, omnes utiq; DEUS decrevisset damnare, quia in pari peccatorum luto omnes hærebant, & æternum hæsurus erant, nisi gratioso auxilio aliquibus succurrere misericors DEUS decrevisset.

Hic divinæ prædestinationis ordo cum scripturâ DEI ac hominis naturâ, ipsâq; experienciâ exactè consentit, liberrimam DEI *euðoxian* in decreto, justitiam ac misericordiam in executione asserit, & sententiam nostram orthodoxam ab omnibus calumnijs vindicat.

Eant jam & malè sanam calumniandi libidinem expleant absoluti decreti cavillatores & sugillatores, qui Ecclesijs nostris per calumniam ejusmodi affingunt DEI decreta Electionis & reprobationis, quæ absque omni vel Christi vel fidei in CHRISTUM vel peccati intuitu à Deo præcisè sint facta. Quasi verò qui fidem & peccata ut causas decretorum divinorum non

A z

admittunt,

CAPUT II.

Admittunt, omnem illicò fidei & peccatorum intuitum à prædestinatione ad vitam & mortem excludant: quod absit, ut ulli nostrorum in mentem unquam venerit.

Eliduntur quoq; hac declaratione XX. cavilla, quibus orthodoxam de prædestinatione sententiam Ecclesijs exosam reddere laborat *Arminius*, Dux & autor Remonstrantium in Belgio, declaratione sententiæ ad ordines *Hollandia & Westfrisia*: quorum speciale examen qui desiderat D. *Tileni* libellum consulat, cujus titulus, *Consideratio sententiæ Jacobi Arminij de prædestinatione, gratiâ DEI, & libero hominis arbitrio.*

CAPUT II.

DE OBIECTO PRÆDESTINATIONIS AD VITAM
secundum quantitatem considerato, sententia orthodoxa
exponitur & demonstratur.

A Generali hac Theoria ad specialem de prædestinatione ad vitam transcamus. Quæstio verò prima ad objecti quantitatem pertinens hæc esto:

An DEUS ab eterno omnes homines ad vitam æternam prædestinaverit?

Responsio & assertio nostra orthodoxa hæc est:

DEUS ex omnibus aliquot saltem ab eterno ad vitam æternam prædestinavit: reliquos prætermittos æternæ damnationi addixit.

Sententiam hanc approbant sacræ literæ & rationes. Sacrarum literarum testimonia è multis præcipua hæc sunt: Matth. 20. v. 16. *Multi vocati, pauci electi.* Et cap. 11. v. 25. *Gloriam tibi tribuo Pater, Domine cæli & terre, quòd hoc occultaveris à sapientibus, & retexeris infantibus.* Johan. 3. v. 42. *Non auditis, quia ex DEO non estis.* Et 6. v. 44. *Nemo potest ad me venire, nisi traxerit eum pater.* Et 10. v. 26. *Vos non creditis, quia ex o-vibus meis non estis.* Et 15. v. 26. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Et 17. v. 16. *Manifestum feci nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi selectos è mundo.* Et v. 9. *Non pro mundo rogo sed pro ijs, quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Actor. 13. v. 48. *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Rom. 9. v. 13. *Jacobum dilexi, Esavum odio habui.* Et v. 16. *Electio non est ejus, qui vult, neq; ejus qui currit, sed ejus qui miseretur.* Et v. 18. *Cujus vult,*

jus vult, miseretur, quem vult indurat. Et v. 22. & 23. 24. Pertulit multa lenitate vasa iræ coagmentata ad interitum, & ut notas faceret divitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ preparavit ad gloriam: quos etiam vocavit nimirum nos, non tantum ex Judæis, verum etiam ex gentibus. 1. Cor. 1. v. 26. Non multos sapientes secundum carnem, non multos potentes, non multos nobiles, verum quæ stulta sunt, in mundo, elegit Deus, ut pudefaciat sapientes: &c: Eph: 1. v. 4. Deus elegit nos in ipso. 1. Thes. 5. v. 9. Constituit nos Deus ad salutem obtinendam. Jud. v. 4. Surrepserunt quidam homines jam olim præscripti ad hanc damnationem.

Rationes præcipuæ hæ sunt: I. Electio non est omnium, sed aliquorum duntaxat ex omnibus. Prædestinatio ad vitam æternam est electio, testibus sacris literis.

Ergo omnium non est, sed aliquorum tantum ex omnibus.

II. Quod DEUS in tempore agit, id ab æterno decrevit, agere. Atqui DEUS in tempore aliquibus saltem vitam confert. Ergo ab æterno quoq; aliquibus saltem conferre decrevit.

III. Quibus DEUS in tempore media ad salutem & vitam concedit: ijs ab æterno quoq; salutem & vitam decrevit.

Atqui aliquibus saltem in tempore media ad salutem & vitam concedit. Ergo aliquibus quoq; tantum vitam & salutem ab æterno decrevit. Propositionis ratio est: quia prædestinatio tam ad media, quam ad finem est. Assumptio probatur. Ordinaria salutis media sunt: I. Vocatio tam interna, quàm externa. II. Fides in CHRISTUM. III. Justificatio, quæ est applicatio ac imputatio meriti CHRISTI, & peccatorum propter id remissio. IV. Sanctificatio, V. Perseverantia in fide & sanctitate. Medijs hisce ex humano genere plurimos destitui experientia testatissimum facit. De fide, justificatione, sanctitate & perseverantiâ ne ab Adversarijs quidem dubitatur. Nec enim omnium est fides, 2. Thes. 3. v. 2. Et proinde nec justificatio nec sanctificatio nec perseverantia; Itaq; prolixiori hæc probatione nullâ opus.

De vocatione internâ & efficaci, quæ fit per spiritum S. controversia inter moderatos & modernos propemodum nulla est, nisi forte Adversarij transeant in castra Arminij & Huberi, qui ἐτεροδόξως & παραδόξως cum externo verbi præconio internum Spiritu S. auxilium perpetuò ajunt conjungi, quo vel luminis supernaturalis & gratiæ salutaris tantum singulis verbi

6 CAPUT II.

his verbi auditoribus conferatur & infundatur, ut assentiri possint & ad salutem credere, modò velint; vel efficaciter quoque regenerentur & vivificentur.

Hoc sententiæ portentum si verum esset, falsum foret illud Pauli pronunciatum: *Non est volentis vel currentis, sed DEI misericordis* Rom: 9. v. 16. Cor auscultanti Lydiæ à DEO apertum, tanquam eximium quidpiam, eccus Paulus narraret? Cur beneficiù DEI in sola Lydia prædicaret, si quod commune ei cum omnibus fuerat? Nisi forte ita hi homines insaniant, ut à Spiritu S. per Pauli concionem illuminatos & regeneratos dicant Athenienses, qui eam cavillabantur. Act. 17. v. 32. Judæos item, qui Paulo CHRISTUM testificantem sese opponebant, & blasphemabant Act. 18. v. 6. Quid verò illa sibi volet Pauli protestatio? 2. Cor. 4. v. 3. 4. *Quod si tectum est Evangelium nostrum ijs, qui pereunt, tectum est, in quibus DEUS hujus seculi excæcavit mentes, hoc est in fidelibus, ne irradiet eos lumen Evangelij.* Quid illa Jesaiæ querela cap. 53. v. 1. *Quis credit prædicationi vestræ? & brachiùm Jehovæ; in quo revelatur?* Facellat igitur Arminij & Huberi commentum.

Ad vocationem externam pergamus: quam definimus *promulgationem doctrinæ Evangelicæ, per præconem à DEO immediatè vel pro magistratu mediatè missum, ad infideles factam sive per sermonem sive per epistolam*, ut Paulus loquitur 2. Thes: 2. v. 15. *ab iisdem auditam & intellectam.* Hanc verò vocationem universalem, quæ ad omnia hominum individua se extendat, esse pernegamus, freti sacrarum literarum testimonijs & experienciâ. Evidentia scripturæ testimonia hæc sunt: Jesaiæ 52. v. 15, *Perasperget stupore gentes multas, propter eum obdent reges os suum, quando, quod non narratum fuerat eis, videbunt, & quod non audierant, animadvertent.* Certum est prophetam hîc verba facere de prædicatione Evangelij, quam gentibus & regibus multis non narratam nec auditam asserit. Et cap. 55. v. 5. *Et gentem quam non agnoveras, vocabis, & gentes quæ non agnoverunt te, accurrent.* Act. 17. v. 30. *Temporibus istius ignorantia dissimulatis DEUS nunc denunciavit omnibus ubiq; hominibus, ut resipiscant.* Probè hîc observanda distinctio inter tempora antecedentia & præsentia, de quibus Paulus loquitur, illa vocat ignorantia, quæ prædicationis arguit defectum: istis denunciatam resipiscentiam ait, nempe per Evangelij præconium, ut sequentia docent. Et cap. 16. v. 6. *Phrygiâ peragrata & Galaticâ regione prohibiti à Spiritu S. loqui sermonem in Asiâ: Cum venissent in Mysiam tentabant ire in Bithyni-*

Bithyniam, sed non sivit eos ire Spiritus. Et cap. 14. v. 16. DEUS prateritis ætatibus sivit omnes gentes suis ipsarum vijs incedere. Præcedentia expressè insinuant, præteritis ætatibus gentes præconio verbi divini & Evangelij inprimis fuisse destitutas, Rom. 1. v. 13. Nolim vos ignorare fratres me sepe proposuisse venire ad vos, sed prohibitum fuisse usq; adhuc. Et 3. v. 2. Primarium illud est, quod eis (Judæis) concredita sunt eloquia DEI. Erat hæc Judæorum præ omnibus alijs gentibus prærogativa. Et cap. 2. v. 12. Quicumq; sine lege peccarunt (nempe gentes) sine lege quoq; peribunt. Gentes sine lege peccarunt, quia lex apud eas non est promulgata, multò minus Evangelium, Et v. 14. Gentes qua legem non habent, nempe solemnè præconio promulgatam. Et cap. 6. v. 25. & 26. Et, qui potest vos stabilire secundum Evangelium meum & præconium JESU CHRISTI ex revelatione mysterij, quod à temporibus secularibus tacitum fuit: nunc verò factum est manifestum & per scripturas propheticas ex imperio æterni DEI ad obedientiam fidei omnibus gentibus declaratum. Eph. 2. v. 11 12. Mementote vos quondam gentes in carne, qui dicebamini præputium &c: vos inquam illo tempore fuisse absq; Christo, alienos à Republicâ Israëlis & extraneos à pactis promissionis, spem non habentes, & DEI expertes in mundo. Et cap. 3. v. 5. 6. Quod alijs ætatibus non innotuit filijs hominum, ut nunc resectum est sanctis ejus Apostolis & Prophetis per Spiritum: gentes esse cohæredes & concorpores consortesq; promissionis in CHRISTO per Evangelium. Colofs. 1. v. 26. 27. Mysterium absconditum à seculis & ætatibus nunc patefactum est sanctis ejus, quibus voluit DEUS notum facere, quæ sint divitiæ gloriosi hujus mysterij inter gentes, id est, Christi inter vos, qui est spes illa gloria. Psalm. 147. v. 19. 20. Indicat verba sua Jacobo, statuta sua & jura sua Israëli. Non fecit ita ulli genti, ideoq; jura ista non noverunt. Quid dici poterat clariùs? Hactenus scripturæ testimonia.

Suffragatur quoq; experientia. Ecclesiâ enim intra Judææ angustias conclusâ, quot è gentibus obiisse diem existimemus, ad quos Evangelij sonus nullus unquam penetravit? Non fecit ita ulli genti, inquit Propheta, ideoq; jura ista non noverunt. Quod si verò ab orbe cõdito omnes omnibus temporibus vocatæ fuissent gentes, quid quæso causæ fuisset, quod exhibiti Messiaë temporibus gentes vocandas toties Prophetaë inculcassent, & hoc veluti singulare quoddam & temporibus istis inauditum divinæ misericordiæ opus celebrassent? Quot mortuos credamus priusquam è novo CHRISTI mandato Matth. 28. v. 19. Apostoli profecti omnes gentes docue-

docue-

CAPUT III.

8
 docuerunt? Orbis novi superiore demum seculo reperti gentes anteCHRISTIANORUM cum ijs commercia, ecquis quæso vocavit? Quis Evangelij præconio perculit? An verò jam temporis omnes ubivis terrarum gentes per Evangelij præcones vocari arbitremur? Quot gentes etiamnum sunt, quibus ne minimus quidem Evangelicæ doctrinæ radius affulget? quas locorum intervalla, diversa linguarum idiomata, & negata fidelium commercia ab hoc Thesauro excludunt? Quærit Augustinus tom. 9. tract. 89. in Johannem: *Utrum hi, qui, priusquam CHRISTUS veniret in Ecclesiam ad gentes; & priusquam Evangelium ejus audirent, vitæ hujus sine præventi sunt aut præveniuntur, possint habere excusationem?* (nempe de infidelitate peccati) præpostera esset quæstio, si Evangelium omnibus annunciari Augustinus crederet. Sed videamus quid contra hæc excipiant Adversarij.

CAPUT III.

VINDICANTUR QUÆDAM SCRIPTURÆ TESTIMONIA, de vocatione partiali, à frigidis nonnullis adversariorum glossis: & responsio Remonstrantium ad tertiam nostram rationem examinatur.

Eckhardus in controversiarum fasciculo cap. 15. q. 7. in responsione ad objectionem primam, rationum nostrarum evidentiam adductus ait, *questionem inter suos & Calvinianos de universalitatis vocatione non esse, An semper actu ipso omnibus, universis atq; singulis prædicetur Evangelium? Sed an DEUS velit omnes atq; universos Evangelij sui prædicati auditores fieri, hoc est, non an vocatio semper sit universalis ex parte hominum, sed ex consilio, voluntate atq; intentione DEI?* Posterius affirmat, nempe velle DEUM Evangelium suum universæ creaturæ annunciari, & sacrosanctum religionis depositum fideliter ab illis custodiri, & ad posteros transmitti. Quod autem multæ gentes prædicatione Evangelij hætenus caruerint & adhuc careant, non ex DEI voluntate aut prædestinatione proficisci, sed ex accidente gentium illarum exitiali incuriâ, negligentia & contemptu, quo se & posteros suos medijs salutis defraudant: Unde privatio illa DEO tribuitur non nisi ratione Judicii. Eadem pene iisdem verbis dicit *Renecius* in sua panopliâ Tom. 3. cap. 3. Quibus addunt, omnes posteros in majoribus fuisse vocatos, è posteris verò à DEO ideo aliquos non vocari, quod contumaciam eorum prævideat: Eadem ut *Remonstrantium* est glossa.

Respon-

Respondeo I: Contradicit socijs suis & sibi metipſi Eckhardus: non enim de ſolo vocationis conſilio, voluntate & intentione ipſos diſputare, ſed de vocatione actuali ad omnes ſe extēdente, cum ex aliorum tum Eckhardi rationibus palām eſt. Quid enim illæ ſibi rationes aliud volunt? *Omnes homines gratioſè invitāt* Matth. II. v. 28. quæ ſecunda Eckhardi eſt: *Annunciat omnibus, ut omnes ubiq; reſpiciant, & fidem præbet omnibus*, quæ quarta ejuſdem eſt, (quæ tamen 1. laborat vitio interpretationis, nam *πίστιν παρέχειν* non eſt fidem præbere, ſed facere h. e. rei veritatem evidenter demonſtrare. 2. diſiſionis fallaciā decipit. Nec enim Apoſtolus de fide loquitur abſolutè, aut de fide ſalvificā in ſpecie, ſed de evidenti reſurrectionis demonſtratione, quā omnes in extremo iudicio ſunt cōvincendi, quæ ratio ita concluditur Eckhardo, *Ergo vocatio ex conſilio & intentione DEI univerſalis eſt, & jam dudum, Apoſtolorum tempore, actu ipſo univerſalis fuit.* Et quinta: *DEUS in veteri teſtamento omnes ad beneficiorum regni ſui participationem vocavit.* II: Conſilium & intentionem DEI non eſſe, ut omnes & ſinguli vocentur, exitus probat: nec enim omnes & ſinguli vocantur: Aut forte conſilium Dei non ſtabit, nec voluntas ejus fiet, & intentione ſuā DEUS excidet? III: Decretum & conſilium vocandi ſine executione medium ſalutis non eſt. Atqui in multis decretum illud DEUS non exequitur: non igitur reſpectu illorum medium eſt ſalutis: non igitur ſalutis media DEUS omnibus offert. IV: Si gentes omnes ad ſalutem ſufficienter ideo ſunt vocatæ, quia majores earum, qui theſaurum ſibi concrediditum non aſſervarunt, vocati fuere: ſequitur vocationem apud poſteros iteratam ad ſalutem non fuiſſe neceſſariam. Quid igitur attinebat vocationem gentium in veteri teſtamento toties promittere? Quid attinebat Apoſtolos in orbem emittere? V: Si ideo ad gentes nonnullas Evangelij ſonus non penetravit, quia majores earum depositum fideliter non cuſtodierunt, nec ad poſteros tranſmiferunt: ſequitur ad nullas omnino gentes Evangelij ſonum penetraviſſe, quia ex ſententiā adverſariorum apud omnium majores theſaurus hic fuit depositus, & experiētiā teſte, ab omnibus repudiatus, à nullis ad poſteros ad CHRISTUM uſq; tranſmiſſus. VI: Si majorum pervicacia & contemptus in cauſā eſſet, ut poſteris vocatio negaretur, ſequeretur ex Judæis nullos deinceps vocatum iri, cum majores ipſorum omnium fuerint pervicaciſſimi. VII: Si contemptus majorum in cauſā eſt, ut poſteris vocatio negetur, ſequitur eorundem obediētiā in cauſā

B

eſſe,

esse, ut posterius vocentur, & ab infidelitate retrahantur. Quot verò fidelium majorum posteros DEUS in vocando præterit? imò & eos nonnunquam præfert, quorum majores vocationem contempserunt. Dignissima observatu est Ambrosij sententia, de vocat: gent. cap. 5. *Liberatur pars hominum parte pereunte: & si hoc voluntatū meritis velimus adscribere, ut malos neglexisse gratia, bonos autem elegisse videatur, resistet nobis innumerabilium causa populorū, quibus per tot secula nulla cœlestis doctrina annunciatio coruscavit, nec meliores fuisse eorum posteros possumus dicere, de quibus scriptum est: Non ergo meritis minorum tribuitur, quod non meruere majores: Par enim impietas & patres accusabat & filios, eademq; ignorantia cœcitas omnes simul in eosdem mergebat errores. Sed cur non illorum misertus & horum misertus, sit DEUS, quæ scientia comprehendere, quæ potest investigare sapientia? Latet discretionis ista ratio, sed non latet ipsa discretio. Non intelligimus judicantem, sed videmus operantem. Quid calumniatur justitiæ occultæ, quia gratias debemus misericordiæ manifestæ? Laudemus & veneremur quod agitur, quia tutum est nescire quod tegitur.* VIII. Si ex intentione & voluntate DEI vocatio universalis, respectu omnium individuorum, esset: in veteri Testamento non minus ad gentes omnes emissi essent prophetae, quàm in novo Testamento Apostoli. At cōsequens falsum. Ergo & antecedens. IX: Si peccata & contemptus majorum sufficiens essent negatæ vocationis causa in posteris, eorum qui ex iisdem sunt orti majoribus, non vocarentur alij, alij verò ante vocationem fato fungerentur. X: DEUS peccata majorum in posteris non solet vindicare ultra tertiam & quartam progeniem. Quot verò gentes sunt, quarum nec quintam, nec sextam, nec septimam, nec octavam &c. progeniem DEUS vocat? XI. Inepta est collectio: privatio vocationis est judicium DEI. Ergo ex voluntate DEI non proficiscitur, quasi judicia DEI sint involuntaria aut coacta.

XII: Si ob prævisam contumaciam quosdam invocando præterit, ergo ob prævisam obedientiam alios vocare decrevit, unde sequitur I. Stabiliri pelagianismum de viribus arbitrij liberi in nondum renatis. II. Vocationem non tantum miserentis DEI, sed & volentis & currentis hominis esse: contra Apostolum Rom. 8. v. 16. III: Eos qui sunt futuri tractabiliores in vocatione, perpetuò ijs præferri, qui futuri contumaciores: Contra DEI effatum Ezech. 3. v. 5. 6. 7. & CHRISTI Matth. 11. v. 21. IV: Ex operibus non ex vocante conversionem esse; contra Apostolum Rom. 9. v. 11. V: Cau-

V: Causam discretionis esse in hominibus, contra Paulum I. Cor. 4. v. 7. Sed glossas in specie nonnullas dispiciamus.

Eckhardus ad Psalm. 147. v. 20. non fecit ita ulli genti: respondet.

I: Psalten prædicare partim DEI erga Israëlitas beneficium, conservati nimirum cultus in illorum gente: partim justum Dei adversus gentes iudicium, quo antegressum contemptum vindicavit, collati beneficij ablatione: inde tamen non infringi universalitatem vocationis ex parte DEI, qui hisce gentibus in illarum majoribus verbum suum dederat. II: Notat particulam, taliter vel ita, ad solemne & publicum ministerium esse referendam: Inde verò non confici, omni prorsus cognitione Dei & cultus Divini gentes fuisse destitutas.

Resp: I. Non loquitur Psaltes de conservatione, sed de concessione; *Indicat*, inquit, *verba sua Jacobo, & non ita fecit ulli genti*, hoc est, alijs gentibus non indicat. II. Vindicationis præcedentis in gentibus contemptus nullâ à psalte fit mentio. III. Si maximè judicia Dei agnoscamus, sequetur nihilominus gentes illas non esse vocatas per verbum. IV. Quod gentium majoribus est datum, non sequitur illicò & posteris esse datum, aliàs ut majores noverunt statuta, sic & posteros novisse sequetur. At non noverunt teste Psalte. V. Si ideo gentes quædam non sunt vocatæ, quia vocationem majores deseruerunt & contemserunt, sequetur nullas esse gentes vocatas, quia omnium majores vocationem deseruerunt, testibus ipsismet Adversarijs. VI. Comparatio *κατὰ μάλλον ἢ ἤτιον* per particulam taliter, vel ita, non instituitur, sed statutorum populi DEI scientia ex vocatione & patefactione gratiosâ nata de gentibus simpliciter negatur, *Jura*, inquit Psaltes, *ista non noverunt*. VII. Veram Dei & cultus divini cognitionem sacra historia gentibus non nisi paucissimis ante exhibitum CHRISTUM tribuit.

Ad locum ex Act. 16. 17. Ubi Paulus & Barnabas leguntur vetiti à Spiritu DEI loqui sermonem in Asiâ & Bithyniâ respondet idem: vetitos quidem fuisse tunc temporis, propter certas causas. Attamen à prædicatione ad tempus tantum suspensâ ad vocationem omnino nullam non valere illationem.

Resp: I. Sufficit nobis vetitos tum fuisse sermonem in Asiâ & Bithyniâ loqui. Exinde enim colligimus ante Pauli & Barnabæ consilium, & ipso illo tempore, quo deliberabant in Bithyniam & Asiam proficisci, præ-

conium Evangelij in istis regionibus fuisse nullum, & proinde, qui ante Apostolorum adventum morte sunt abrepti, vocatos non fuisse. II. Causæ suspensæ, & aliquibus interea temporis, qui morte sunt præventi, negatæ Vocationis, sententiæ nostræ non obstant. Fatemur enim ipsi quoq; fuisse DEUM habere causas, cur ex omnibus aliquos saltem vocet. III. A prædicatione ad tempus suspensâ, ad vocationem ullorum nullam nos non inferimus.

Ad locum ex Actor. 17. v. 30. *Tempora ignorantie hætenus DEUS dissimulavit, respondet idem*: Comparatè tum demum annunciationem capisse publico Apostolorum ministerio illustratam.

Resp: Comparatio ab Apostolo nulla instituitur. Simpliciter opponit priorum temporum ignorantiam præsentis resipiscentiæ, inter gentes præconio per ministros suos administrato, quod à Prophetis in Veteri Testamento factum non legimus; ut temeraria sit assertio de annunciatione verbi inter gentiles, ante exhibitum Messiam, nisi de paucissimis quibusdam id affirmetur.

Hermannus Reneccius ex *Petri Martyris & Johannis Lerij* historiâ refert, apud Americanos Ceremoniam baptismo similem esse observatam, & quendam ex Americanis seniorelem Lerio, de vero DEI cultu, de creatione rerum, de labe & ruinâ generis humani, & alijs doctrinæ capitibus concionanti respondisse, habere se ex avorum relatu, jam inde à priscis temporibus & ante annos plurimos hominem nostro more vestitum & barbatum in illorum terras venisse, qui simili oratione ipsos ad DEI obsequium adducere conatus fuerit: Cùmq; majores illorum ei fidem non adhiberent, mox successisse alium, qui enssem, symbolum maledictionis illis traderet, ab eo tempore bella ac dissensiones perpetuas inter ipsos viguisse.

Resp: Ceremoniam baptismo similem quod attinet, exinde de vocatione certi nihil potest concludi. Namq; inter DEI populum & coetus idololatricos gentium semper aliqua rituum fuit similitudo, Satanâ inter suos æmulante & imitante Ceremonias Ecclesiæ. II. Traditio de vocatione majorum à seniore Americano narrata, firmam assertioni huic fidem non facit. III. Si maximè res ita haberet, de omnibus tamen Americanis, seu novi orbis incolis, ex eo probari nihil posset; IV. Ponamus ante multas annorum centurias Evangelij sonum penetrasse in novum orbem

orbem

orbem universum. At caruerunt nihilominus præconio universum, cum ante barbati istius præconis adventum, tum post subitum ejus discessum, ut ipse fatetur Americanus. Sed de vocatione suo loco pluribus.

Remonstrantes, in collatione Scripto habitâ Hagæ comitis, ad Rationem nostram tertiam, quæ ab orthodoxis Belgis quoq; urgetur, respondent; toto ipsorum rescripto non esse ratiocinationem hæc nostrâ verisimiliorem, ajuntq; se arbitrari, multos eâ illiciti & retineri in sententiâ, quam contra Remonstrantes de prædestinatione videntur habere. Subjiciunt autem, omnibus ritè expensis, apparere esse tantum rationem humani judicij curiosi &c:

Cum ergo nusquam hæc exitum sibi patere videant in tantis angustijs, per vim tandem conantur erumpere. Itaq; *respondemus*, inquit, *sincerè nos negare, DEUM quos ad salutem elegit, etiam decrevisse prædicatione Evangelij vocare, & Spiritu suo trahere, ut per veram fidem ad CHRISTUM veniant; si hoc ita accipitur, ut illa sint media, quibus DEUS decretum suum de ijs absolute statutum velit exequi, & per consequens solos illos (non alios quoq;) Spiritu suo trahere.*

Paradoxæ & heterodoxæ hujus assertionis hæc adducunt rationes, quas ad sequentes syllogismos revocamus.

I. Si DEUS vocatione, quæ fit per Evangelij prædicationem, utitur quoque circa eos, quos non elegit ad salutem, sequitur vocationem, quæ fit per Evangelij præconium, non esse medium ad salutem, seu non proficisci ex decreto prædestinationis ad salutem. At verum prius: ex concessione nostrâ. Ergo & posterius.

II. Si prædicatio Evangelij, & Spiritus Sancti tractio, respectu Electorum, ex prædestinatione ad salutem prodeunt, cum eadem media circa reprobos quoque exercentur, necessariò dicendum est, prodire ea ex prædestinatione ad condemnationem respectu reproborum. At consequens absurdum: Ergo & antecedens. Assumptio probatur: sequeretur enim I. DEUM simulatè agere cum magnâ hominum parte, quos ad salutem vocat & invitat, quamvis eos ante & nullâ habitâ ratione, quomodo se erga vocationem essent gesturi, decreverit damnare. II. Medium prædicationis Evangelij respectu reproborum non esse medium ad salutem. III. Evangelium istis in se esse ministerium & odorem mortis, quippe quod eis non est Evangelium ad salutem, sed ad condemnationem.

R. In auditum hactenus est in Ecclesiâ, vocationem & fidem non esse media, quibus ad æternæ electionis executionem DEUS in tempore utitur. Id igitur dum negant Remonstrantes, apertè produnt monstra, quæ moliantur in Ecclesiâ, quæ damnatum per legitimæ synodi decreta Illustrissimi ordines Belgici, exemplo æternum prædicando, ivère. Quid dici quæso poterat *παράδοξόν τερον*, quàm prædicationem Evangelij & conversionem ad DEUM non esse media, quibus electi ad vitam æternam perducuntur? Quæso anne vitam æternam, ad quam *electi sunt pauci* Matth: 20. v. 16. quisquam adit, nisi vocatus, nisi ad DEUM conversus & verâ fide CHRISTUM amplexus? Quo quæso alio sensu Evangelium dicitur *potentia DEI ad salutem omni credenti* Rom: 1. v. 16. *sermo reconciliationis* 2. Cor: 5. v. 19. *ministerium Spiritus* 2. Cor: 3. v. 9. Quid aliud sibi volunt illa CHRISTI verba: Joh. 3. v. 16. *ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam?* Cumulo testimoniorum heic non est opus. Hæc summa totius Evangelij? Unde sic arguimus.

Quibus medijs in tempore electi ad vitam æternam adducuntur, ijs quoq; eos ad vitam æternam adducere DEUS decrevit. Atqui in tempore electi ad vitam æternam adducuntur per vocationem, per fidem in CHRISTUM, ac justificationem. Ergo his quoq; medijs ab æterno decrevit DEUS electos ad vitam æternam adducere.

Fluunt igitur hæc media ex æternâ quorundam ad vitam æternam electione, quando electio non tantum est ad finem, sed & ad media, quibus ad finem pervenitur. Sed rationes examinemus, quibus moti ad negationem tam paradoxam confugiunt.

Prioris connexum falsum est: nec idonea consequentiæ adferri potest ratio. Quod enim ajunt, media vocationis & tractionis per Spiritum ordine ipsam fidem in CHRISTUM præcedere, nihil ad rem facit. Sunt enim media antecedentia causæ consequentium. Interim ad finem consequendum omnia sunt destinata, & quidem ab eo, qui paucos ad vitam æternam elegit. Perinde igitur videntur mihi Remonstrantes arguere, ac si quis neget malleum & securim esse media seu instrumenta ad ædificationem destinata, quia eorundem instrumentorum usus esse potest in ædium destructione, & communiter esse solet. Quis enim vulgatum illud ignorat, *unius rei multos posse esse fines, & ejusdem causæ, pro diversitate subjectorum, contrarios effectus.*

Posterioris

Posterioris assumptionem negamus. Ad absurda quæ inferuntur ordine sic respondemus. Ad 1. Nulla DEO tribui potest simulatio, etiam si per Evangelij præconium vocat, quos ad vitam æternam nō elegit, & quos vocanti non responsuros præscivit. Nec enim vocando reprobos id agit, ut videatur velle eos ad æternam vitam, secundum æternum suum decretum, perducere, sed ut de officio, quod DEO suo debent, ipsos edoccat, ut ἀναπολογήτης eos reddat, & inter alias justæ damnationis causas, ipsam quoque esse infidelitatem, quâ vocanti morem gerere noluerunt, ostendat. Sententiam, quam nobis affingunt, quasi doceamus, DEUM nullâ habitâ ratione, quomodo se erga vocationem essent gesturi, maximam hominum partem decrevisse damnare, pro nostrâ non agnoscimus, nisi rectè explicetur. Docemus enim & publicè profiteamur, uti in tempore propter infidelitatem plurimi damnabuntur, sic & ab æterno decrevisse DEUM eos damnare, cum propter alia peccata, tum in specie quoq; propter infidelitatem. Quod vero easdem decreti & executionis causas non agnoscimus, quis quæso vitio nobis vertat, si consideraverit; decreta DEI esse æterna, & ab immutabili & omnibus modis independente DEI essentia realiter non differre? quâ de re pluribus deinceps. Ad 2. Absurdum non est dicere prædicationem Evangelij respectu reproborum non esse medium ad salutem, cum verissimum sit Paulo teste 2. Cor. 2. v. 15. 16. *CHRISTI bona fragrantia sumus DEO in ijs, qui servantur: & in ijs, qui pereunt: his quidem odor mortis ad mortem: illis vero odor vitæ ad vitam.* Ad 3. Absurdum hoc ex sententiâ nostrâ non pullulat, nec ullam in se consequentiæ vim habet. Quæ enim quæso consequentiæ ratio? Evangelij prædicatio reprobis non est medium ad salutem: Ergo in se & per se est ministerium & odor mortis? Perinde hi arguunt, ac si dicas, Lex reprobis non est medium ad salutem: Ergo in se & per se est medium & causa damnationis? Quis insubidum hujus modi disputatorem ferat? Sic ergo rationem nostram vindicavimus.

CAPUT IV.

*PROPONITUR SENTENTIA ADVERSARIORUM,
de objecto prædestinationis ad vitam, secundum quantitatem considerato.*

Observandum, prudentiores inter adversarios *Lutheranos & Remonstrantes*

strantes in controversiâ hac, prædestinationem ad vitam, non *Electiorem*, sed *voluntatem* & *propositum* vocare, idq; ideo, ne contradictionem in adjecto committant, si electionem dicant universalem, hoc est, ad omnia & singula hominum individua pertinere, ut *Huberus* docebat. Voluntatem igitur & propositum conferendæ vitæ ajunt esse universale, cum DEUS ab æterno voluerit, ut omnes æternæ vitæ hæreditatem adirent, decreverit quoque omnes salutis participes facere, modò oblatam sibi vel collatam gratiam non respuerent vel excuterent.

Cùm autem experientiæ & scripturæ consensus doceat, non omnes servari, sed maximam partem interire: voluntatem aliam particularem constituunt, quâ ijs tantum vitam DEUS decreverit, quos oblatam gratiam accepturos, & bene eâ usus prævidit: reliquos verò damnationi addixit, quos incredulos mansuros itidem prævidit.

Priorem voluntatem universalem, vocant antecedentem, quam *decretum DEI æternum* definiunt, quo DEUS neminem præterijt, sed serio & constanter expetit, ut omnes homines serventur. Posteriores consequentem appellant, & definiunt *æternum DEI decretum, de salvandis credentibus, & damnandis incredulis.*

Posterior hæc voluntas, ex mente adversariorum à fide prævisâ pendet. Ideo enim DEUS ab æterno aliquos saltem ad vitam elegisse ab ijs dicitur, quod præviderit ipsos credituros, & in fide perseveraturos: alios autem præterijisse & damnationi destinasse, quod non credituros vel à fide defecturos præviderit.

CAPUT V.

PRIMUM FUNDAMENTUM SENTENTIÆ Hujus de voluntate DEI universali, proponitur:

Universalis dilectio & misericordia.

TRibus fundamentis adversarij nituntur demonstrare, in prædestinatione ad vitam æternam neminem mortalium esse præteritum, seu decrevisse DEUM ab æterno, omnes homines, nemine excepto, æternæ vitæ participes facere. Sic igitur in genere arguunt:

Cui omnia fundamenta sunt universalis, id ipsum est universale: At voluntatis divinæ salutem omnibus hominibus conferendi, omnia fundamenta sunt universalis. Ergo

Ergo ipsa illa voluntas est universalis.

Propositio probatione non eget. Assumptionem hoc modo probant:

Tria sunt fundamenta voluntatis divinæ circa salutem hominum. I. *Dilectio & misericordia.* II. *Christi meritum.* III. *Vocatio:* Quæ singula sunt universalia, ad omnia individua hominum pertinentia. Omnes enim DEUS diligit, & misericordiâ complectitur, pro omnibus dedit Filium, omnes vocat.

Quæ singula deinceps ordine sunt probanda:

Dilectionem & misericordiam DEI universalem respectu omnium promiscuè hominum: Hermannus Reneccius Panoplita Tom: 3. cap. 3. hisce argumentis persuasam nobis vult.

I. Qui sunt peccatores, eorum mortem absolutè non vult Dominus, sed salutem determinatim expetit seriò. Atqui omnes homines sunt peccatores. Ergo. Propositio probatur Ezech: 18. v. 23. *an ullo pacto delector morte improbi? Annon cum revertitur à vijs suis, ut vivat?* Assumptio probatione non eget.

II. Quos DEUS congregare vult ad salutem & vitam æternam, ad eos pertinet DEI gratia. At, tam reprobos quàm electos vult congregare ad salutem. Assumptio probatur Matth: 23. v. 37. *Quoties volui congregare liberos tuos &c.*

III. Si DEUS totum dilexit mundum, ut omnis, qui ex mundo credit, non pereat, sed habeat vitam æternam: gratia DEI non solum electorum erit, sed omnium omnino hominum. At verum prius. Joh: 3. v. 16.

IV. Si Christus semper est Diabolo contrarius; certè ut Diabolus omnes vult damnari, ita Christus omnes vult salvari; & ut Diabolus omnium querit interitum, 1. Pet. 5. v. 8. ita Christus omnium salutem. At verum prius. Ergo & posterius.

V. Quam latè peccatum se extendit, tam latè se etiam extendit gratia DEI, imo superabundat. Ac peccatum se extendit ad omnes homines. Ergo & gratia DEI. Propositio probatur, Rom 5. v. 20. *Ubi auctum est peccatum, ibi superabundat gratia DEI.*

VI. Quos DEUS sub peccatum conclusit, eorum miseretur. At DEUS omnes sub peccatum conclusit. Ergo & omnium miseretur. Propositio probatur. Rom. 11. v. 32. *Conclusit DEUS omnes in contumaciâ, ut omnium miseretur.*

C

VII. Si

CAPUT VI.

VII. Si DEUS omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire, ad omnes etiam DEI gratia pertinet. At verum prius, 1. Timoth: 2. v. 4. E.

VIII. Cujus miseretur DEUS, ad eum spectat DEI gratia. At DEUS miseretur omnium. Ergo ad omnes spectat gratia. Assumptio probatur, Sap. II. v. 24. *diligis omnia, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.*

IX. Si DEUS vult, ut nemo pereat, sed ut omnes ad poenitentiam revertantur, utiq; omnium miseretur. At verum prius, 2. Pet. 3. v. 9. Ergo & posterius.

X. Quem DEUS creavit ad imaginem suam, eum quoq; condidit ad vitam æternam. At DEUS omnem hominem ad imaginem suam creavit. Sap. 2. v. 13. Ergo. Adjici rationibus hisce decem posset.

XI. *Bonus est Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera.* Psal: 145. v. 9. Ergo misericordia & dilectio DEI est universalis.

XII. *DEI misericordiâ effudit se in totum mundum.* Syr: 18. v. 16. Ergo est universalis. Rationes hisce meliores, nequeunt proferre pro hac thesi Remonstrantes.

CAPUT VI.

ALTERUM EIUSDEM SENTENTIÆ FUNDAMENTUM proponitur:

Universalis CHRISTI satisfactio.

CHRISTUM pro omnibus omnino hominibus, nemine excepto, patiundo satisfecisse, adeoque meritum ejus ad omnes pertinere, sequentibus argumentis suadet Reneccius, quæ in duas distinguit classes. Prior continet testimonia, quæ ex toto concludunt partes: In quibus nempe CHRISTUS dicitur pro omnibus satisfecisse: posterior ea proponit testimonia, quæ ex partibus constituunt totum. In quibus etiam pro reprobis dicitur satisfecisse, iisdem prorsus argumentis & Remonstrantes utuntur. Argumenta prioris classis hæc sunt.

I. CHRISTUS contrivit caput serpentis, Gen: 3. v. 15. Ergo pro omnibus satisfecit. Ratio consequentiæ, quia caput, hoc est, omnem Satanæ potestatem penitus non contrivisset, si pro aliquibus tantum satisfecisset.

II. Benedictio ex semine Abrahamæ in omnes gentes redundat, Gen: 12. v. 3. & 22. v. 18. Ergo Christus pro omnibus satisfecit.

III. Hir-

III. Hircus emissarius in veteri Testamento omnium peccata in se recepit, & in desertum exportavit, Levit: 16. v. 21. & seqq: Ergo & Christus in se recepit omnium peccata, & pro omnibus satisfecit. Ratio consequentiæ est, Quia hircus fuit typus Christi.

IV. Qui errarunt, eorum iniquitates posuit Dominus in Christo. Atqui omnes homines errarunt. Ergo. Propositio probatur. Jesa: 53. v. 6. *Omnes nos ut oves erravimus, & Iehova fecit ut incurrat in eum pœna omnia nostrum.*

V. Qui fuerunt capti, eos liberavit Messias. At omnes homines fuerunt capti. Ergo omnes liberavit. Propositio probatur, Jesa: 61. v. 11. *Spiritus Domini super me, eò quod unxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & predicarem captivis indulgentiam.* Osea 13. v. 14. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.*

VI. Omnes perierunt. Ergo omnes per Christum sunt servati. Ratio consequentiæ est: quia venit Filius hominis servare, quod perierat, Matt: 18. v. 11.

VII. Quibus offertur Evangelium de propitiatione CHRISTI, pro illis propitiatio est præstita. Atqui omnibus offertur. Ergo pro omnibus est præstita propitiatio. Propositionis ratio est, quia alias falsa curaret DEUS annuncianda. Assumptio patet ex Marc: 17. v. 15. *Predicate Evangelium omni creature,* Matth: 28. v. 19.

VIII. Si Christus est salvator totius populi, nullus debet excipi. At verum prius. Ergo & posterius. Assumptio probatur, Luc. 2. v. 10. *Annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator.*

IX. Christus est lux mundi, Joh: 8. v. 12. *est agnus, qui tollit peccata mundi,* Joh: 1. v. 29. *DEus ita mundum dilexit, ut Filium suum daret,* Joh. 3. v. 16. *Christus est Salvator mundi,* Joh: 4. v. 42. *DEus in Christo reconciliavit mundum,* 2. Cor: 5. v. 19. *Christus factus est propitiatio pro peccatis nostris, non nostris tantum, sed totius mundi,* 1. Joh: 2. v. 12. Ergo pro omnibus satisfecit.

X. Qui propterea damnantur, quod beneficia Christi morte acquisita, nõ amplexi sint, illis necessariò beneficia fuere acquisita. At impij propterea damnabuntur &c. Ergò. Assumptio probatur 2. Thes. 2. v. 12. *Ut damnentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed acquieverunt in injustitiâ.*

XI. In quos ex Adamo primo mors transivit, in eos etiam ex secundo Adamo transit vita. Atqui in omnes mors ex Adamo primo transivit. Ergo.

Propositio probatur, Rom: 5. v. 18. *Sicut per unam offensam reatus venit in omnes homines ad condemnationem, ita per unam justificationem beneficium redundavit in omnes homines ad justificationem vitæ.*

XII. *DEus filium suum tradidit pro omnibus*, Rom: 8. v. 32. Ergo satisfecit pro omnibus.

XIII. Qui in Adamo sunt mortui, in Christo vivificantur. At omnes in Adamo sunt mortui. Ergo. Propositio probatur, I. Cor: 15. v. 22. *Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita in Christo vivificantur omnes.*

XIV. *Christus unus pro omnibus est mortuus*. 2. Cor. 5. v. 25. Ergo.

XV. Si omnes qui in cælis & qui in terris sunt, per Christum sunt reconciliati, Christus pro omnibus etiam reprobis satisfecit. At verum illud, Ephes: 1. v. 20. Colofs: 1. v. 19. 20.

XVI. *Christus dedit seipsum redemptionis pretium pro omnibus*. 1. Timoth. 2. v. 6. Ergo:

XVII. *Christus est Salvator omnium, maxime fidelium*. 1. Timoth. 4. v. 10. Ergo.

XVIII. Qui sunt impuri, pro ijs sanguinem suum fudit DEI Filius 1. Johan: 1. v. 7. *Sanguis Jesu Christi mundat nos ab omni peccato*, At omnes sunt impuri. Ergo.

XIX. *Christus pro omnibus gustavit mortem*. Ergo. Antecedens probatur. Hebr. 2. v. 9.

XX. Qui mortis metu obnoxij fuerunt servituti, eos Christus liberavit. At omnes mortis metu obnoxij sunt servituti. Ergo. Propositio probatur, Hebr. 2. v. 15.

Hactenus prior argumentorum classis: sequitur posterior, quæ sequentia continet argumenta:

I. Pro eo fratre, qui intempestivo aliorum Christianorum libertatis Christianæ abusu offensus desciscit ab Evangelicâ veritate, ideoq; perditur & perit, Christus est mortuus. At hujusmodi frater est reprobus. Ergo pro reprobis quoque Christus est mortuus. Propositio probatur, Rom. 14. v. 16. *Noli cibo tuo perdere illum, pro quo Christus est mortuus.* Et I. Cor. 8. v. 11.

II. Qui templum DEI fuerunt, & in quibus Spiritus DEI habitavit, fuerunt sanguine Christi sanctificati: Sed reprobi & ij, quos perdet Dominus, fuerunt templum DEI. Ergo. Assumptio probatur, I. Cor. 3. v. 16.

Templum

Templum DEI estis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis. Si quis templum DEI violaverit, disperdet illum Dominus.

III. Christus pro suis membris satisfecit: sed ij, qui libidinibus acceptam gratiam prostituerunt, & proinde sunt damnandi, fuerunt membra Christi. Ergo pro reprobis Christus satisfecit. Assumptio probatur, 1. Cor. 6. v. 15. *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi. Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis?*

IV. Si reprobi aliquando sunt illuminati, certè per Christum sunt redempti. At reprobi sunt aliquando illuminati. Hebr. 6. v. 4. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati &c.* Connexi ratio est, quia extra redemptionem servatoris nulla unquam fit illuminatio.

V. Si reprobi post cognitionem veritatis, pro peccatis aliam non habent hostiam; prior hostia, hoc est, Christus eis necessariò debet concedi. At verum prius. Hebr: 10. v. 26. 27.

VI. Christus pseudopphetas, qui Dominum negant, & perditionem sibi accelerant, emit. Ergo pro reprobis quoque est mortuus. Antecedens probo 2. Pet: 2. v. 1. & seqq.

CAPUT VII.

TERTIUM EIUSDEM SENTENTIÆ FUNDAMENTUM proponitur.

Universalis vocatio.

OMnes homines nemine excepto per Evangelij præconium vocari ad vitam & salutem, hisce argumentis probare conatur Reneccius.

I. DEUS ante lapsum totum mundum in Adamo ad salutem vocavit. Ergo vocatio est universalis.

II. Post lapsum ante Christi adventum DEUS mundum bis vocavit: primùm ante diluvium in primis nostris parentibus, horumq; familiâ, Caino, Abele & Sororibus, in quibus humani generis universitas fuit, deinde post diluvium in familiâ Noah, quæ octo constabat personis, quibus hominum universitas continebatur. Ergo.

III. DEUS emisit in orbem terræ Apostolos ad prædicandum omni creaturæ, Matt. 28. v. 19. Luc 24. v. 41. Marc. 16. v. 16. Ergo vocatio universalis est.

IV. Si Evangelium Apostolorum & discipulorum ætate non sonuit in omnibus

omnibus mundi plagis, Spiritus S. arguitur mendacij. At Consequens absurdum. Ergo & antecedens. Connexi ratio est: Quia Spiritus S. per Paulum ait, *in omnem terram exivisse sonum eorum, & in fines orbis terrarum verba illorum.* Rom: 10. v. 18. & Psalm: 29. Item, *Evangelium esse prædicatum Pauli temporibus apud omnem creaturam, quæ sub cælo est, & fructificasse in universo mundo.* Coloss. 1. v. 6. & 23.

V. Apostoli officio suo in Evangelio prædicando per universum mundum fideliter & strenuè sunt functi, Ergo.

VI. Qui sitiunt & onerati laborant, eos vocat Jehovah. Atqui omnes homines sitiunt atq; onerati laborant, Ergo. Propositio probatur. Esa: 55. v. 1. *Omnes sitientes venite ad me.* & Matth. 11. v. 28. *Venite ad me qui laboratis.*

VII. *DEus vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* 1. Timoth. 2. v. 4. Ergo.

VIII. *DEus semper in illustri loco collocavit Ecclesiam, ut fama ejus ad remotissimas terrarum oras dimanare potuerit,* Ergo hac ratione omnes vocavit & vocat. Hisce alius addit:

IX. *DEus ait, in te, Abraham, id est in semine tuo, benedicentur omnes gentes terræ.* Ergo ab ipso illo momento omnes gentes sunt vocatæ. Ratio consequentiæ, quia benedici omnium temporum cognationes terræ non potuissent, nisi Messia beneficia promissa fuissent omnibus, nisi omnes in uno quolibet seculo Messia beneficia agnoscere debuissent.

X. David ante Christum omnes gentes vocavit. Ergo vocatio gentium ante Christum quoq; universalis fuit. Antecedens probatur, Psalm. 33. v. 8. *Timeat Dominum omnis terra,* Et Psalm. 47. v. 2. *Omnes gentes plaudite manibus jubilate DEO.* Et 49. v. 1. *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui inhabitatis terram.* Et 66. v. 1. *Jubilate DEO omnis terra, date gloriam laudi ejus: Omnis terra adoret te.* Et Psalm. 96. *Cantate Domino omnis terra, annunciate inter gentes gloriam ejus,* & passim alibi.

XI. Gentibus quoq; olim in Veteri Testamento licuit sacrificare, earumq; sacrificia placuerunt DEO. Levit. 17. v. 15. Ergo gentiles quoque olim ante Christum erant vocati.

XII. Judæi memoriam gentilium conservarunt in sacrificijs & precibus suis. Ergo in veteri quoq; Testamento sunt vocati. Antecedens probatur, 1. Maccab. 12. v. 8. Ubi judæi ad Spartanos scribunt, & suas pro Spartanis preces & sacrificia prædicant.

Ethnicis

XIII. Ethnicis quoq; ante natum Christum facta est copia sacrarum historiarum, & literarum, ut constat ex eorum scriptis. Ergo hac ratione vocati sunt.

XIV. Victimæ humanæ ideo sunt Ethnicis nonnullis usurpatæ, quia ex patribus docti fuerant, adumbrari sacrificijs hominem, qui aliquando venturus & omnium peccata in se derivaturus, victima pro humani generis salute esset futurus. Ergo mysterium redemptionis illis innotuit.

CAPUT VIII.

CONSIDERATUR DISTINCTIO VOLUNTATIS IN antecedentem & consequentem: & voluntatem DEI, propriè sic dictam, nonnisi unicam esse, eamq; perpetuo impleri, ostenditur.

HActenus argumenta, pro sententiâ Lutheranâ, de voluntate DEI circa hominum salutem. Ad quorum solutionem specialem antequam accedamus, de voluntate DEI in genere pauca præfabimur: & primùm quidem voluntatem DEI, propriè sic dictam, unicam absolutam & immutabilem esse demonstrabimus. Deinde Adversariorum objectiones solvemus. Deniq; distinctionem voluntatis divinæ in antecedentem & consequentem, ex sensu Lutheranorum, doctrinæ de prædestinatione applicatam, examinabimus. Distinctionem voluntatis divinæ in *Antecedentem & consequentem*, quam tradit *Damasceus* lib. 2. cap. 29. non prorsus rejicimus, sed commodè explicamus, ita ut coincidat cum distinctione vulgò receptâ in voluntatem *arcanam & revelatam, signi & beneplaciti*. Est igitur voluntas, *antecedens, signi, revelata* propriè loquendo, divinæ voluntatis in verbo patefactio, quâ declarat Deus in præceptionibus & prohibitionibus generalibus I. quid gratum sibi sit, quid ingratum. II. Quod hominum officium sit & esse velit. Voluntas verò *Consequens, beneplaciti, occulta*, est æternum & immutabile DEI decretum, de omnibus ijs, quæ vult facere de nobis, vel immutabiliter in tempore à nobis fieri. Unde antecedens illa appellatur, quia præmia vel pœnas antecedunt præcepta, seu patefactiones divinæ voluntatis: Ista consequens, quia obedientiam vel inobedientiam sequuntur præmia vel pœnæ, effectus misericordiæ vel iræ divinæ ab æterno decreti. Ordinem igitur si respicias, qui est inter decretum & patefactionem,

tionem,

tionem, commutanda erunt nomina, & quæ vulgo antecedens appellatur, consequens, quæ consequens appellatur, antecedens voluntas nominanda. Sed de nominibus non laboramus, rem ipsam accuratius inspiciamus.

Voluntas DEI propriè sic dicta (id est, consilium & decretum Dei æternum) de re aliquâ futurâ, vel non futurâ, unica, absoluta, immutabilis est, quâ necessariò fit, quicquid fieri Deus vult, & non fit, quod fieri non vult, eodem modo & iisdem medijs, quibus fieri vel non fieri vult, ita ut à conditione mutabili neutiquam suspendatur. Dum enim finem infallibiliter decrevit, ipsa quoq; media simul infallibiliter decrevit, quæ postmodum offeruntur, vel procurante vel permittente Deo. Hæc voluntas patescit nobis partim ex eventu: Ut enim in tempore qualibet res fit, ita fieri ab æterno Deus voluit, & iisdem medijs, quibus fit: Partim etiam ex ipsa scriptura, quæ immutabile & æternum Dei decretum esse docet, ut electi credant, CHRISTI meritum sibi applicent, sanctitati studeant & æternum tandem beentur: Eadem docet immutabile & æternum Dei decretum fuisse ut Messias veniret, pateretur, moreretur, resurgeret, in cælum ascenderet, quæ omnia eventus jam comprobavit: Docet insuper decretum DEI esse, ut ad iudicium revertatur, quod certò futurum credimus. Sententiæ nostræ fundamenta hæc sunt:

I. Voluntatem Dei propriè sic dictam semper impleri expressis constat dictis scripturæ. Jesa. 46. v. 10. *Consilium meum stabit & omnem voluntatem meam facturum sum.* Notentur hic verba: *Omnem voluntatem meam: Si aliqua voluntas Dei propriè sic dicta, quæ non impletur; quo pacto sua dicta huic veritas constabit? Nisi fortè cõtradictoria vera simul esse possunt: Omnis voluntas DEI impletur, quedam voluntas DEI non impletur.* Eandem in sententiam David in Psalm. 115. v. 3. *Quæcumq; voluit fecit.* Hic iterum cõtradictio concilianda: *DEUS omnia fecit, quæ voluit; quedam non fecit, quæ voluit.* Hunc in locum præclare Augustinus Enchiridij cap: 95. *Deus noster in cælo sursum, & in cælo & in terrâ omnia quæ voluit fecit. Quod utiq; non est verum, si aliqua voluit & non fecit. Et quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret quod volebat, omnipotens voluntas hominis impedivit.* Nec movemur hæc responsione adversariorum, quâ distinctionem voluntatis in antecedentem & consequentem, ad nauseam inculcant. Potior nobis verbi divini assertio, quam malè intellecta hominum distinctio.

Omnis

CAPUT VIII.

25

Omnis DEI voluntas fit. Voluntas igitur, quam vocant antecedentem & semper fieri negant, voluntas Dei propriè sic dicta non est.

II. Si aliqua voluntas DEI propriè sic dicta penderet à conditione mutabili, quæ poni vel non poni in creaturâ pro libero ejus arbitrio posset, sequeretur utiq; causam primam pendere à secundis, non secundas à primâ, quod absurdissimum.

III. Si voluntas DEI propriè sic dicta penderet à conditione mutabili, utiq; & ipsa esset mutabilis. At hoc falsum. Ergo & illud.

IV. Si DEUS serîo & propriè aliquid vellet fieri quod non fit, utiq; frustra vellet. At falsum hoc. Ergo & illud. *Omnipotens velle inaniter non potest, quodcumq; voluerit*, ait Augustinus in Enchirid. cap. 103.

V. Si DEUS propriè aliquid fieri vellet, quod tamen non fit, utiq; voluntas Dei impediretur. At falsum consequens. *Quis enim voluntati ejus resisteret?* Rom. 9. v. 19. Nota: Voluntati divinæ nihil potest resistere. Ergo nec ulla conditio in creaturâ posita.

VI. Conditionalis hæc voluntas otiosa est in eo, qui est potentiæ infinitæ. Quid enim attinet à conditione mutabili finem suspendere, si propriè & serîo cum velit, possitq; media infallibilia procurare efficiendo vel permittendo?

VII. Voluntas à medijs mutabilibus, & quæ reverâ mutantur, suspensa, pugnat cum æternâ & immensâ Dei sapientiâ: qui enim infallibiliter omnia prævidet & disponit, non opus habet decreta sua à medijs mutabilibus suspendere, cum immutabiliter ad finem eadem destinavit, adeo ut non à medijs pendeat certitudo voluntatis, sed ut à voluntate certitudo mediorum.

VIII. Voluntas DEI universalis omnium rerum est causa. Fieri igitur nullo modo potest, ut effectus eam non consequatur. Sic *Thomas* arguit part. 1. q. 19. art. 6. in explicatione conclusionis.

CAPUT IX.

SOLVUNTUR OBJECTIONES, QUÆ CONTRA doctrinam precedentis capituli proferri solent.

Triumphum sibi de Calvinistis (quos ita appellant) importuni & inflati nonnulli promittunt, dum unicam, eamq; absolutam Dei voluntatem

D

tatem

tatem à mutabili conditione minimè suspensam publicè ab ijs doceri ac defendi audiunt. Cum enim multa quotidie contra Dei legem, præcepta ac prohibitiones ab improbis committantur: & verò illa ipsa æterno DEI decreto minimè contraria esse, immò sub illo contineri à nobis affirmetur: hostiliter à nobis revelatam DEI voluntatem cum arcanà & æternà committi proxinus exclamant, & innumeris absurdis ac paradoxis Ecclesias orthodoxas onerant. Sic igitur contra nos arguunt:

I. Qui aliud in verbo suo patefacit, quàm facere aut permittere secum, decrevit: is contrarium decreto suo patefacit, & simulator immò mendax est. At DEUS secundum nos aliud in verbo suo patefacit, quàm facere aut permittere decrevit. Ergo.

R. Syllogismi assumptionem negamus. Contrarietas enim, quæ est inter decretum seu voluntatem DEI propriè sic dictam, & patefactionem in verbo, non est vera, sed apparens tantum, quæ inde nascitur, quod voluntatem DEUS suam quandoque non totam sed ex parte tantum, & quidem obscurius patefaciat, id, quod ad voluntatem pertinet, occultando, finem nempe vel præceptorum vel promissionum vel comminationum. Contrarium igitur voluntati seu decreto suo videtur quandoq; præcipere, ut maclationem Isaaci, cum tamen sibi minimè sit contrarius, sed ad fines media sapientissimè disponat: uti videre est, in præcepto de maclando Isaaco. Ut enim DEI decretum erat, ut Isaac non immolaretur, sic & decretum fuit, ut Abrahamus in offerendo Isaaco tentaretur: quem in finem mandabatur maclatio, non ut maclaretur Isaac, sed ut tentaretur seu probaretur Abraham; quod medium erat accommodatissimum ad executionem divini decreti. Perspicua Dn. Zanchij verba observatu digna sunt: *De Abrahamo in negotio Isaaci unum erat decretum his duabus partibus constans: primum ut Abrahamo mandaretur, ut suum immolaret filium, atq; ita ejus fides & obedientia tentaretur, fieretq; omnibus conspicua: id quod & factum fuit. Deinde ut exploratâ ejus fide atq; obedientiâ, caveretur ne filium occideret, quemadmodum etiam re ipsa evenit. Illa pars prior, priori etiam loco fuit revelata, cum altera pars esset arcana. Deinde exploratâ fide Abrahamæ altera quoq; divine voluntatis pars fuit patefacta tum verbis, tum ipsius rei eventu. Num propterea verò dicetur duas fuisse in DEO voluntates, easq; contrarias? Unum fuit atq; idem de eadem re decretum, voluntasq; DEI æterna, sed duabus constans partibus, quarum cum una revelaretur, altera manebat abscondita.* Hæcenus

Aenus Zanchius. Sic & prohibet DEUS, quod futurum præscivit, & justo judicio permittere infallibiliter decrevit, ut adulterium Davidis; cædem & prædam Regum Ethnicorum; eo tantum fine, ut inobedienciæ creaturam convincat. Præceptiones enim & prohibitiones DEI factæ improbis, cõtrarium ex permissione & justo DEI judicio facturis, nõ nisi normæ sunt officij ab ipsis præstandi, si creatori suo grati & conformes esse, si pœnas evitare velint. Itaq; æternæ suæ voluntati in verbo DEUS non contradicit. Nam & infallibiliter decrevit permittere, ut justo suo judicio in flagitia reprobi ruant, & per præcepta ac prohibitiones officij sui ipsos admonere & sic inobedienciæ convincere nihilominus decrevit. Videant autem boni viri, nedum per vim hanc nobis confessionem nituntur extorquere, DEUM esse simulatorem, ipsi plenis idem buccis eloquantur, dum ajunt, quædam præcepta DEI esse simulata. At, inquiunt, *simulatio alia licita, alia illicita.* R. Si ulla in DEUM cadit simulatio, absit ut illicitam ei tribuamus. Quod ergo de DEO impunè affirmant ipsi, cur in nobis ut blasphemum exagitant? Etsi ad simulationem hæc confugere nobis necesse non est. Instant I. *Illicitum ergo DEUS reprobis, dum præcipit, quod ab ipsis fieri non vult; & prohibet, quod fieri ab ipsis vult.* R. Non sequitur. Etiam si enim, quid absolute à reprobis fieri, vel non fieri velit, non semper patefacit præcipiendo vel prohibendo: docet tamen, quod ipsorum & cujusvis hominis sit officium, & quidem seriò docet. Unde legem DEI THORAH, hoc est, doctrinam appellatam docti existimant: quod quemlibet, quid sui sit officij, doceat, & improbos inobedienciæ convincit. Illustre exemplum est in Pharaone. Mandat enim DEUS aliquoties, ut populum dimittat, quem tamen dimitti ab ipso, quo mandabat tempore, nõ volebat, unde ait. *se cor ejus induraturum, ne dimittat.* Sibine DEUM fuisse contrarium aut Pharaoni illasisse dicemus? Absit. Jubeat nihilominus dimitti populum, quem dimitti non vult, & ne dimittatur justà induratione prohibet. Patet igitur mandatum illud non fuisse indicium voluntatis divinæ, seu decreti æterni de populo dimittendo, nec eo fine Pharaoni per Mosen propositum, sed normam duntaxat officij à Pharaone præstandi, & medium inobedienciæ ejus convincendæ, ut justas se pœnas luere Pharaon postmodum intelligeret. De DEI voluntate in hoc Pharaonis negotio ita disserit Dn. Zanchius. *Decretum DEI certè ejus voluntas erat, primum quidem ut Pharaoni mandaretur, ut dimitteret populum, & eâ re ipsius infidelitas in lucem proferretur: Deinde verò ut obdura-*

to ejus corde, ne dimitteret, atq; ita justissimam habeat DEUS causam in illum Tyrannum severiter animadvertendi. Cum utrumq; impletum fuerit atq; effectum, sequitur unum fuisse decretum, unamq; voluntatem: sed quæ duas habuerit partes, unam citius, alteram tardius revelandam.

Excipit Meisnerus I. Exemplo Pharaonis nos principium petere. Demonstrandum enim nobis esse, DEUM noluisse, ut Pharaeo dimitteret populum: ipse contra asserit, DEUM ex animo voluisse, ut Pharaeo populum dimitteret. Probat id ex cap. 10. v. 34. usq; quo non vis subijci mihi? dimitte populum meum, ut sacrificet mihi: sin autem resistis &c. Quomodo, inquit, poterat DEO resistere, si voluntas DEI non erat, ut dimitteret populum?

R. Noluisse DEUM, ut Pharaeo populum dimitteret, patet i. ex eventu, quia non dimisit. Si enim voluisset DEUS, non potuisset non dimittere. Quis voluntati ejus resistet? i. ex vers. 1. capituli 10. Cujus verba sic habent: *Dixit Jehovah Mosi, i ad Pharaonem, nam ego aggravavi cor ejus, & cor servorum ejus, ut edam signa in medio Aegypti, unde sic arguimus:*

Si DEUS aggravavit cor Pharaonis & servorum ejus, ne dimitterent Israelitas, ut signorum edendorum occasio suppeditaretur: sequitur DEUM noluisse, ut dimitteret populum suum.

At verum prius, ut ex textu planum est. Ergo & posterius.

Connexi ratio est: Si DEUS propriè voluisset dimissionem populi sui, & in æterno suo consilio decrevisset; utique non aggravasset & indurasset cor Pharaonis, ne dimitteret; sed potius emolliisset, ut dimitteret. Non enim consiliorum suorum executionem DEUS impedit, sed promovet.

Judicium equidem DEI justum heic agnoscimus: voluntatem verò antecedentem, quâ contrarium voluerit, non admittimus, quicquid tandem prætendatur. Dicitur autem Pharaeo restitisse Deo, non quòd id non fecerit, quòd DEUS permittere justè decrevit, sed quòd præceptum de dimittendo populo per Mosén, DEI nomine datum, contemserit, quòd tamen non eo fine datum erat, ut populum Pharaeo dimitteret (sic enim fine suo DEUS excidisset, quòd & impotentis & imprudentis) sed ut, quid sui esset officij Pharaeo intelligeret, & inobedientiæ coram toto mundo convinceretur. Hac igitur ratione, etsi nihil sit, nisi volente DEO, multa tamen dicuntur facta & fieri contra voluntatem DEI, hoc est, contra præceptiones & prohibitiones, quibus DEUS non semper reprobis significat, quid decreverit permittere, vel non permittere; sed quid gratum sibi sit, vel non gratum,

gratum,

gratum, quid creatori suo debeant. Agnoscant igitur tandem adversarij, DEum justè à suis creaturis exigere, quæ, ne fiant, justè decrevit permittere, & hâc ratione fieri non vult.

Excipit II. præceptum de immolando Isaaco non fuisse serium: addit rationem: quia ideo tantum fuit datum, ut fides & obedientia Abrahami probaretur.

R. I. Si serium non fuit: Ergo jocosum vel Ironicum fuit: neutrum citra absurditatem dici potest. II. Finis præcepti fuit serius. Ergo & ipsum præceptum, quod norma erat officij ab Abrahamo præstandi ad ipsam usq; aram, quod & fidelissimè præstitit. III. Si DEus hypocrita & mendax non est, etiamsi Abrahamum obedientiæ patefaciendæ gratiâ jubet mactare filium, quem tamen mactari & occidi non vult: sequitur nec hypocritum, vel mendacem esse, etiamsi bona opera, quæ inobedientiæ convincendæ gratiâ, lege latâ imperat, præstari ab ijs justo suo judicio non vult. Summa igitur huc redit: Præceptiones & prohibitiones factæ reprobis seriæ sunt, minimè simulatæ aut fucatæ. Requirit enim DEus seriò à reprobis & ipsis Diabolis, quæ ut non exhibitum iri sapientissimè novit, sic nec exhiberi justissimè vult. Non ergo requirit, ut exhibeatur, & ex æterno suo decreto se velle exhiberi significet: sed ut, quid Deo creaturæ debeant, intelligant, & inobedientiæ convictæ justos damnationis suæ causas agnoscant. Quæ de simulatione DEI nobis exprobrat Adversarius, meræ sunt calumniæ. Simulat enim præcipiendo vel prohibendo, qui vult videri id velle, quod nõ vult: quod certè à DEO alienum putamus. Mandatorum enim suorum fines etsi non patefacit, id tamen non agit, ut in errorem incautos inducat. Hactenus prima instantia.

Instant II. Pharaõ igitur & improbi excusari poterunt, quod contra voluntatem DEI propriè sic dictam nihil commiserint. R. Non sequitur. Fecerunt Herodes & Pilatus, quæ fieri DEus voluit. Act: 4. v. 27. 28. Quis eos propterea non peccasse dixerit? Itaque peccatum à pijs vel impijs patratum non æstimari debet ex æterno DEI decreto, de faciendis in tempore bonis & permittendis malis, idque & justissimè & optimum in finem, quem pravitas humana non intelligit, nec in eum actionem suam dirigit, ut videre est ex Gen: 45. v. 8. & 50. v. 20. Sed ex præceptionibus vel prohibitionibus à DEO immediatè factis, quibus declarat DEus, quid gratum sibi sit, quid ingratum, quid creatori suo creaturæ rationales debeant, item,

quæ proxima pœnarum sit causa, nempe contemptus divinæ legis. *Abcon-*
ditâ Domini DEI nostri sunt, & revelata nostra sunt & filiorum nostrorum.
 Deut. 25. v. 29. Nec tamen putandum est, præceptiones, vel prohibitiones
 decreto divino esse contrarias. Etiam si enim DEUS ab æterno decrevit ju-
 sto suo iudicio permittere, bono fine, malum, quod in tempore quoq; per-
 mittit: Idem tamen nihilominus quoq; decrevit homini, normam officij
 sui præscribere, quâ à malo ipsum dehortaretur, & ad bonum adhortare-
 tur, quam in tempore quoq; præscribit, ex quâ inobedientem iudicat. Est
 igitur posterius hoc decretum unâ cum executione priori e, usque execu-
 tioni subordinatum, non adversum.

Instant I I L. Si indurante & volente DEO improbi præcepta DEI trans-
 grediuntur, eccur plectit eos? cur succenset ijs, qui voluntati ejus neque-
 unt resistere? Ad hoc carnis *Φεγνυα*, quod objecit sibi Paulus Rom: 9. v.
 19. respondet v 20. *Immò verò, ô homo tu quis es, qui ex adverso responsas Deo?*
Num dicet figulus fictori suo, cur me talem fecisti? annon habet potestatem figu-
lus in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad
dedecus? Hoc sibi responsum habeant divinæ justitiæ sigillatores. Nec vi-
 deo tamen, quî DEUS ullius argui possit injustitiæ, dum frementem repro-
 borum malitiam, quam non indidit, nec cohibere ullâ tenetur lege, secun-
 dum æternum decretum, justo iudicio patitur exundare, eaque optime uti-
 tur. Anne verò ideò erirascatur minus, quod habenas, gratiam suam ne-
 gando, laxarit, & ad gloriæ suæ illustrationem eâ usus fuerit?

Contra eandem nostram doctrinam sic arguunt. I I. Signum & signa-
 tum nunquam sibi opponuntur, sed potius ad se invicem referuntur. Ergo
 & signi voluntas voluntati beneplaciti tanquam signato non erit opposita.
 Quicquid ergo per voluntatem signi notificatur, hoc ipsum & non con-
 trarium intus statuitur.

R. Totum damus: Quod ab æterno DEUS secum statuit facere vel per-
 mittere, ejus contrarium in tempore non patefacit: & quod per signi vo-
 luntatem in tempore notificat, ejus contrarium intus non statuit. Contra-
 rietatem heic ratio sibi fingit, quia finem præceptionum ac prohibitionum
 semper non assequitur. Quæro: An voluntas signi de Isaaco immolando,
 contraria fuerit signato, hoc est, voluntati beneplaciti, de Isaaco non im-
 molando? Contrariam, opinor, fuisse negabunt. At simulatam fuisse ajunt.

R. Auditum durum est, præceptum DEI fuisse simulatum: Obscurum recti-
 us appel-

CAPUT IX.

us appellaveris & ex fine serium. Præcipiendo enim immolationem filij Abrahamum tentavit DEUS, & quidem seriò tentavit. Unde ex eventu finis mandati patescit: nempe non is erat, ut filium trucidaret Abraham, sed ut ad immolationem sese accingeret, animoque verè immolandi filium educeret, & exactæ suæ obedientiæ ac fidei illustre specimen perpetuâ prædicatione dignissimum ederet. Hoc ab æterno statuit DEUS, hoc & non aliud, mandato suo voluit DEUS. Sumamus aliud exemplum: principi populi tui non maledices, inquit DEUS Exod. 22. v. 28. Ad Semeum quoque mandatum hoc pertinebat, qui Davidi maledixit 2. Sam: 16. Et tamen voluit idem DEUS, eventum teste, ut ex naturæ pravitate conceptum maledicentiæ virus in Davidem Semeus evomeret, idemq; in Davidem direxit, unde *dixisse ei DEUS dicitur, ut male diceret.* 2. Sam: 16. v. 11. Hic sine aliud voluntate signi extus dicemus notificari, aliud voluntate beneplaciti intus statui? Absit in hanc DEO injuriam faciamus. Præceptum igitur, *non maledices*, ad Semeum relatam, non indicat, nolle DEUM simpliciter, ut maledicentiam suam in Davidem effundat Simeus: sic enim contrarium esset decreto; sed malitioso Simeo officium erga principem præscribit, ad quod faciendum obligatur, & ob ejus præfractum contemptum merito puniatur. Et certè, hoc Semei & omnium subditorum officium esse ab æterno DEUS voluit: hanc voluntatem per præceptum patefacit. Quod verò ab æterno DEUS decreverit, Simeo gratiam benedicendi negare, & furori ejus habenas in Davidem laxare, nec justitiæ divinæ quicquam detrahit, nec innocentiam Semei ullo modo patrociniatur.

Audiamus & Augustinum de hac controversiâ differentem, & hominum Angelorumq; malefacta cum optimâ Dei voluntate componentem in Enchiridij cap: 100. *Quantum ad ipsos (Angelos & homines apostatas) attinet: quod DEUS noluit, fecerunt: quantum vero ad omnipotentiam DEI nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipso, quod contra voluntatem DEI fecerunt, de ipsis facta est voluntas ejus. Propterea namq; magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus sit voluntatem; quia non fieret, si non sineret: nec utiq; nolens sinit, sed volens. Nec sineret bonus fieri male: nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene. Et cap: 101. Aliquando bonâ voluntate homo vult aliquid quod DEUS non vult, etiam ipse bonâ multo amplius, multoq; certius voluntate. Nam illius mala voluntas esse nunquam potest.*
Tanquam

CAPUT IX.

Tanquam si bonus filius patrem velit vivere, quem DEUS bonâ voluntate vult mori. Et rursus fieri potest, ut hoc velit homo voluntate malâ, quod Deus vult bonâ: veluti si malus filius velit mori patrem, velit hoc etiam DEUS. Nempe ille vult quod non vult DEUS, iste vero id vult quod vult & DEUS: & tamen bonæ voluntati DEI pietas illius potius consonat, quamvis aliud volentis, quam huius, idem volentis impietas. Tantum interest quid velle homini, quid DEO congruat, & ad quem finem suam quisq; referat voluntatem, ut aut approbetur aut improbetur. Nam DEUS quasdam voluntates suas utiq; bonas implet per malorum hominum voluntates malas, sicut per Judeos malevolos bonâ voluntate Patris CHRISTUS pro nobis occisus est. Et cap. 102. Quanta libet sint voluntates vel Angelorum vel hominum vel bonorum, vel malorum, vel illud quod DEUS, vel aliud volentes quam DEUS, omnipotens voluntas DEI semper invicta est, quæ mala esse nunquam potest, quia etiam non mala irrogat, justa est, & profecto qua justa est mala non est. DEUS igitur omnipotens sive per misericordiam cuius vult misereatur, sive per iudicium quem vult, obduret, nec iniquè aliquid facit, nec nisi volens quicquam facit, & omnia quæcumq; vult facit.

Quæ dicta sunt hætenus præcepta DEI potissimum concernunt. Promittit etiam quandoq; DEUS, quæ non præstare ab æterno decrevit: minatur, quæ non infligere ab æterno decrevit, nec in tempore infligit. Nec tamen voluntati suæ contraria promittit aut minatur: quia quæ non præstare absolutè secum decrevit, sub conditionibus expressis vel sub intellectis promittit, non quo ancipitem præstandi voluntatem à conditionibus mutabilibus suspendat, sed ut justè à DEO non præstita homines intelligant, qui conditiones expressas vel implicitas à se neglectas recordantur. Sic & quæ non infligere absolutè decrevit, sub conditionibus expressis vel implicitis se inflicturum minatur, non quod suspenderit voluntatem suam à conditionibus, sed ut ad media præstituta homines flectat. Etsi enim finem immutabiliter decrevit, media tamen certa ei præstituit, ita tamen, ut ab ijs non pendeat voluntas decernentis, sed ipsa à voluntate decernentis.

Sic igitur ostensum hætenus voluntatem DEI propriè sic dictam unam absolutam & immutabilem esse, quam perpetuò consequatur effectus, à nullâ conditione mutabili suspensam: Etsi conditiones seu media non respuit, sed potius infallibiliter ordinat.

CAPUT

CAPUT X.

IN SPECIE EXAMINATUR DISTINCTIO
adversariorum, ejusq; applicatio.

IN specie jam distinctionem Adversariorum, ejusq; applicationem videamus.

Ajunt. *DEUM antecedente voluntate velle omnes homines salvos fieri.* Si per antecedentē voluntatem intelligerent invitationem omnium hominum ad salutem seu vocationem, tolerabilior esset sentētia etsi sufficienter probari nō posset: Contrarium enim supra ostendimus. Sed alia ipsorū mens. Decrevit enim, inquiunt, Deus antecedente voluntate ab æterno omnes & singulos salutis participes facere, non quidem absolutē, sed determinatē sub conditione fidei, hoc est, si credant in Christum, ut ex omnium ore loquitur Jacobus Reneccius tomō 3. armaturæ theologicæ cap. 3. pag. 5. ubi ex abundanti æternam DEI voluntatem antecedentem de omnium & singulorum salute hac formulā exprimit: *Volo, decerno, statuo, ut nemo hominum pereat, sed ut omnes in Christo salventur.* Etsi idem Reneccius ibidem crudē sibi contradicit. Qui enim pag. 5. dicit *voluntatem DEI antecedentem* non absolutē, sed determinatē, nimirum sub cōditione fidei omnes velle salvari, & pag. 4. voluntatē antecedentem definire, quo pacto sive quibus medijs Deus cupiat omnes salvatos, vel quid omnes facere debeant, ut salventur: idem in eadem paginā dixerat; *antecedentem voluntatem esse, quando Deus simpliciter & absolutē aliquid vult, sine ullius causæ presuppositæ respectu, ut Deus vult simpliciter condere mundum, creare hominem ad imaginem suam, eumq; vivere æternū, nō propter aliud quiddam, sed ex sese & merā immensāq; bonitate.* Et ut distinguat ab hāc antecedente consequentem voluntatem, ait consequentē esse, *quando Deus mediatē & ordinatē cum inclusione & determinatione certarum causarum aliquid vult & decernit; utpote quod homines vult salvos fieri per fidem in Christum.* Hæc si cruda contradictio non est, nulla unquam fuit. Alterum in explicatione, hāc observandum est, quod supponat in omnibus hominibus quandam credendi facultatem, à libero hominis arbitrio pendentem, vel certē universalem fingat gratiam, quā ad salutem pro arbitrio nonnulli utantur, alij non utantur. Si enim Deus decrevit omnibus hominibus salutem conferre, sub conditione fidei, hoc est, si credunt in Christum, prævidit utique in

E

ipsis

ipsis facultatem credendi naturalem, vel decretum suspendit à gratiâ universali, quam omnibus esset collaturus, cujus vi possent, si vellent, credere, pendente nimirum gratiæ efficaciâ à libero hominis arbitrio, quæ *Æmini* sententia est. Neutrum horum si supponatur, decretum DEI fuisse statuitur de re impossibili: & proinde irritum ac frustraneum. Qui præcipitium hoc prævident & formidant, ajunt, DEUM decrevisse omnibus hominibus salutem conferre, si externa salutis media, ut sunt, auditio concionum, meditatio verbi divini, usus Sacramentorum, cantio psalmodum, recitatio oralis precum, largitio elemosynarum, amplectantur: his ad credendi gratiam per arbitrij liberi virtutem ipsos disponi contendunt, & tritum illud Scholarum haud obscure approbant: *facienti quod in se est, DEUS non denegat gratiam*: quæ ipsissima est Pontificiorum sententia, quam tamen rejicit & damnat *Bellarminus* lib: 6. de gratiâ & libero arbitrio cap. 4. cujus propositio: *Non posse voluntatem humanam aliquid velle in ijs, quæ ad pietatem & salutem pertinent, sine auxilio gratiæ DEI*: & cap. 5. cujus propositio: *Non posse hominem solis naturæ viribus ad gratiam recipiendam ullâ ratione se disponere*: quam ita ait intelligendam esse sententiam, *ut non solum non possit homo suis viribus se preparare ad habitum gratiæ gratum facientis, sed neq; ad gratiam adjutorij specialis*: & rursus: *non modo non possit ita se preparare, ut ex condigno illi gratia conferatur, sed neq; ut ex congruo, ac demum nihil agere possit, cujus causâ DEUS illi gratiam dare dicatur*. Quæ assertio è diametro contraria est sententiæ Lutherani: de quâ breviter ita judicamus.

Æternum & universale DEI decretum esse de salute omnibus hominibus conferendâ, idq; sub conditione vel fidei, si ipsi virtute suâ credant, aut oblatam credendi gratiam ex liberi arbitrij virtute accipiant, vel externæ obedientiæ, quæ consistit in *auditione concionum, meditatione verbi divini, usu Sacramentorum, recitatione precum &c*: rotundè negamus.

Rationes contra hoc universale & conditionale DEI decretum produximus, & plures deinceps in solutione rationum contrariarum producemus. In specie jam has urgemus. I. Decretum hoc universale irritum prorsus & frustraneum esset. Cùm enim DEUS ab æterno præviderit, maximam hominum partem non credituram, oblatam gratiam non accepturam, externam obedientiam non præstituram, quid quæso attinebat decretum, idq; serium, de ijs salvandis facere? II. Decretum hoc non nisi
in eum

in eum cadit, qui, quod unâ non successurum videt, aliâ tentat, quiq; e-
 ventum, priusquam decerneret, non prævidere, nec, postquam decrevit,
 procurare potuit, deficiente cum sapientiâ tum potentiâ. III. Si à calum-
 nijs vindicari non potest (ut nonnulli arbitantur) divina misericordia,
 nisi posito hoc universali decreto, sequitur de Angelis lapsis in gratiam
 recipiendis etiam universale DEI decretum esse: At consequens falsum.
 Ergo & antecedens. IV. Si antecedente suâ voluntate DEUS simpliciter &
 absolutè vult omnes salvari, ut Reneccius asserit, sequitur neminem pe-
 rire posse. At consequens falsum. Ergo & antecedens: Connexi ratio est,
 quia non potest non fieri, quod simpliciter & absolutè DEUS vult fieri.
Quis enim voluntati ejus resistit? Rom: 9. v. 29. V. Si DEUS antecedente
 voluntate salutem sub fidei conditione hominibus decrevit, utiq; non
 omnibus decrevit, quia conditionem illam in omnibus non positum iri
 præscivit. VI. Nemo decernit seridò, quæ annexam habent conditionem,
 per quam redduntur impossibilia: At omnium hominum salus, ex senten-
 tiâ adversariorum, annexam habet conditionem impossibilem, nempe ex
 arbitrij liberi viribus vel credendi vel oblatam credendi gratiam accipien-
 di. Ergo sub hâc conditione omnium hominum salutem DEUS non de-
 crevit. Proposito in Ethicis manifesta est: ab objectis enim consultorum
 & decretorum excluduntur omnia impossibilia. Assumptionem non ne-
 gant, nisi qui in Pelagianorum castra transeunt, quibus inimicæ sacre li-
 teræ. *Siquidem figmentum cordis humani tantummodo ad malum omni die.*
 Gen: 6. v. 5. *Cor hominis prævum in omnibus.* Jerem: 17. v. 9. *Si potest athi-
 pos mutare pellem suam, & pardus maculas suas, etiam vos potestis bene agere.*
 Jerem: 13. v. 23. *Animalis homo non intelligit, quæ sunt Spiritus DEI, quia sunt
 ei stultitia, ac ne potest quidem cognoscere.* 1. Cor: 2. v. 14. *Cum essetis mortuè
 in offensis & peccatis.* Ephes: 2. v. 1. Colofs: 2. v. 13. *Prudentia carnis est ini-
 micitia adversus Deum, & legi Dei non subjicitur, ac ne potest quidem:* Rom: 8.
 v. 6. Nec est quod injuriam sibi fieri conquerantur, quasi cum Pelagio non
 faciant, & præeunte vocatione ac prædicatione Evangelij, credendi vel
 non credendi, oblatam gratiam accipiendi vel non accipiendi facultatem
 in hominis nondum renati arbitrio libero positam non affirmant. Quid
 enim, quæso, aliud sibi vult sententia à Reneccio explicata è sodalium suo-
 rum mente, quàm aptissimum Pelagianismum: *Voluntas, inquit, antecedens*
 E 2 sub con-

sub conditione fidei vult omnes salvari, cui voluntati obtemperantes jam per consilium & decretum voluntatis consequentis saluti destinantur. Cujus, inquam, virtute voluntati antecedenti obtemperantes nonnulli illam fidei conditionem accipiunt? Aut arbitrij liberi, cui ut vis inest oblatam gratiam respuendi, sic & accipiendi, aut gratiæ specialis ac divinæ, quæ arbitrij servitus tollitur & libertas inducitur. Si posterius dicant, cadit decretum universale. Nam si decretum salutis conferendæ esset universale, utique & decretum salutaris gratiæ conferendæ esset universale. Si prius: in Pelagij castra apertè transeunt. Si dicant gratiam specialem ideo non conferri omnibus, quòd oblatam multi non admittant, quam possint admittere: rursus in Pelagij castes incidunt, & misericordiam DEI à voluntate hominum suspendunt, non voluntatem à misericordiâ: reclamante Apostolo, qui non minus τὸ θελεῖν quam τὸ ἐνεργεῖν gratiæ adscribit: Ppiliip: 2. v. 13. qui ait, non esse volentis aut currentis, sed DEI miserentis. Rom: 9. v. 28. reclamante Augustino, cujus ad simplic: q. 2. disertæ hæc sunt verba: *Illud manifestum est, frustra nos velle, nisi DEUS misereatur. Illud autem nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, etiam volumus: ad eandem quippe misericordiam pertinet ut velimus. DEUS enim est, qui operatur in nobis velle & operari pro bonâ voluntate. Nam si queramus, utrum Dei donum sit, bona voluntas, mirum si negare quisquam audeat. Ibid: Non potest effectus misericordie Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit: quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut moverentur & intelligerent & sequerentur.* Idem Augustinus in libro de Spiritu & literâ cap: 34. in eandem sententiam ita scribit: *Si ad illam profunditatem scrutandam quispiam nos coarctet, cur illi ita suadeatur & persuadeatur, illi autem non ita: duo sola occurrunt interim que respondere mihi placeat: ô altitudo divitiarum! & : numquid iniquitas apud DEUM? Cui responsio ista displicet, querat doctiores, sed caveat ne inveniat presumptores.* Idem in libro de prædestinatione sanctorum cap. 8. *Quare non omnes docet? Si dixerimus, quia nolunt discere quos non docet, respondebitur nobis: & ubi est quod ei dicitur, Tu convertens vivificabis nos. Aut, si non facit volentes ex nolentibus DEUS, quid orat Ecclesi. 1, secundum præceptum Domini, pro persecutoribus suis? Si dixerint cum Æminio, cum externâ vocatione universali conjunctam quoq; esse internam gratiam universalem, quæ voluntate hominis accedente & consentiente reddatur efficax,*

efficax, præterquam quod extra & contra Scripturam id dicent, in eandem, charybdim incident, & cum Pelagio misericordiam DEI à voluntate hominis contra Apostolum & Augustinum suspendent. Quærit Paulus I. Cor: 4. v. 7. *Quis te discernit? quid autem habes quod non acceperis? Quod si etiã accepisti, quid gloriaris, ut qui non acceperis?* Quod si in hominis est situm arbitrio vel universali gratiã rectè uti, vel particularem oblatam admittere: non è duobus eodem præconio vocatis, eventu dispari, uno nempe præconio suscipiente, altero respiciente, illi promptum esset dicere: *Ego me discerno; & gloriari, se habere, quod non accepisset, rectum nempe liberi arbitrij usum, & actum utendi potestate per gratiam collatã.*

Qui nimium se urgeri heic sentiunt, ab interna gratiã & fide, non sine causæ malæ indicio, ad externa media resiliunt, quæ communia reprobis cum electis esse possunt. Voluntatem igitur antecedentem omnes beandi suspendunt à mediolorum externorum, quæ supra recensuimus, usurpatione: quod effugium in specie hisce quoq; difficultatibus urgetur. I. Decrevit DEUS ab æterno plurimis ne occasionem quidem pias audiendi conciones, verbum DEI meditandi, Sacramenta usurpandi, pias preces recitandi, Psalmos cantandi, offerre, teste experienciã & eventu: Ergo sub conditionib; hisce salutem ijs non decrevit: aut certè contraria decrevit: quod absurdum. II. Si DEUS omnes beare decrevisset, qui media hæc externa amplectuntur, utiq; actu quoq; bearet. At consequens falsum: Ergo & antecedens. Assumptio probatur: Hypocritas enim, qui circa media hæc externa magis sunt occupati, quàm nonnulli electi DEI filij, acta non beat, sed ἀναπολογία tantum reddit. III. Ne circa externa quidem hæc media hypocritæ, citra speciale DEI auxilium occupantur, ut constat ex capite 6. ad Hebreos v. 4, 5, 6: Ergo decretum Deus suum à libero hominis arbitrio non suspendit. IV. Dicant, quæso, cur externorum horum mediolorum usurpationem in nonnullis sequatur gratia interior & salutaris, in alijs nõ item. Si causam retulerunt in liberum hominis arbitrium, eiq; rectum ac legitimum mediolorum usum tulerint acceptum; en tibi Pelagij auriculas: sin ad specialem Dei gratiam, quæ per media est efficax & fidem indit: actum certè erit de decreto universali salutis conferendæ, quando decretum specialis hujus gratiæ universale non est. V. Si voluntas Dei antecedens de omnibus beandis suspensa esset ab externorum mediolorum usurpatione posita in libero hominum arbitrio, à filo certè tenuissimo penderet, &

ret, & electionis arbitrium penes hominem relinqueretur, cujus nutibus Dei voluntas gubernaretur. At consequens absurdum & scripturæ contrarium. Ergo & antecedens. VI. Si voluntas hominum, externa amplectendo media, Deum ad internam fidei & justificationis gratiam concedendam permoveret, falsum esset, quod Paulus ait, *non est volentis aut currentis, sed DEI miserentis*: Sed consequens absurdum: Ergo & antecedens.

Attamen, inquit, expressa sunt Pauli verba: *Deus vult omnes homines salvari, quæ de antecedente DEI voluntate Damascenus interpretatur*. Resp: Si ea Damasceni sententia est, quam capituli hujus initio explicavimus, sententia ea nostræ non obstat. Sin alia, & quidem ea, quam adversarij ei tribuunt, tanta apud nos Damasceni auctoritas non est, ut posthabitis & reclamantibus sacris literis, ei surgamus. Potior apud nos est antiquior Augustini sententia, qui hypognost: cap. 8. Pelagianis locum hunc, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, urgentibus respondet I: locum de universitate hominum generaliter non esse intelligendum, idq; firmissimo hoc argumento: *Quod vult Deus efficit: At omnes homines generaliter salvos non efficit: Ergo non vult*. II: locum intelligendum ait, *de ijs qui actu salvantur; quia omnes, qui salvantur, voluntate Dei salvantur*.

Idem Augustinus de eodem loco ita disserit Enchirid: cap. 103. *Cum audimus & in sacris legimus, quod velit omnes homines salvos fieri, quamvis certum sit nobis, non omnes homines salvos fieri: non tamen ideo debemus omnipotentissimæ Dei voluntati aliquid derogare sed ita intelligere quod scriptum est, Qui vult omnes homines salvos fieri, tanquam diceretur, nullum hominem fieri salvum, nisi quem salvum fieri ipse voluerit: non quod nullus sit hominum nisi quem salvum fieri velit, sed quod nullus fiat nisi quem velit, & ideo sit rogandus ut velit, quia necesse est fieri, si voluerit. De orando quippe Deo agebat Apostolus, ut hoc diceret. Sic enim intelligimus id quod in Evangelio scriptum est: Qui illuminat omnem hominem (observetur simile hoc exemplum) non quia nullus est hominum qui non illuminetur, sed quia, nisi ab illo, nullus illuminatur. Subjungit ibidem & aliam interpretationem, quâ docet per omnes homines intelligi omnia hominum genera, Reges, privatos, Nobiles, ignobiles, &c: quam interpretationem approbat ex ipso textu & similibus scripturæ locis.*

Consentit Prosper respons. pro Augustino lib. 1. object. 8. *Si circa universitatem humani generis salvandam & in agnitionem veritatis vocandam, ita in-*

ita indifferens per omnia secula asserenda est voluntas Dei, ut usq; quaq; neminem hominem pratermississe monstretur, impenetrabilis judiciorum Dei altitudo pulsatur. Hugonis de sancto victore hæc sunt verba annotat. 1. Tim: 2. Qui vult omnes salvos fieri, secundum Ambrosium, si ipsi velint. *Sed nonne multi voluerunt salvi fieri, qui tamen non salvantur? Vel sic: omnibus gratiam offert, per quam, si volunt, salvari possunt. Sed hæc solutio quomodo vera? Nonne multi sunt & fuerunt, qui ne verbum prædicationis audierunt?* Thomas notat, voluntatem Dei antecedentem magis dici posse vellicitatem, quàm absolutam voluntatem: ita ut non decretum sed votum Dei insinuet Paulus. Sed de antecedente voluntate hæctenus. De consequente, cujus fundamentum constituunt, prævisionem fidei, in sequentibus dispiciemus. Ad examen fundamentorum trium in specie jam accedamus.

CAPUT XI.

CONSIDERATIO PRIMI FUNDAMENTI:

& rationum contrariarum solutio.

Generalis & principis Syllogismi assumptionem;
(*voluntatis divinæ salutem omnibus hominibus conferendi fundamenta omnia sunt universalia*)

negamus. Ad singula approbationis membra ordine respondebimus.

Ad argumenta dilectionem & misericordiam Dei universalem urgentia priusquàm in specie respondeamus, dilectionis & misericordiæ divinæ distinctionem præmittimus.

Misericordia, ut & dilectio Dei, est generalis vel specialis: Generalis est, quâ omnes Deus creaturas suas, & imprimis rationales, tanquam bonas, & ad imaginem suam, cujus malæ quoq; aliqua retinent vestigia, conditas complectitur; quam etiam ob causam conservat omnes modo singularum naturis conveniente, & in omnes beneficia confert plurima: Imprimis vero malas multâ tolerat *μακροθυμία* mitiusq; cum ijs agit, quàm merentur.

Specialis est, quâ solos electos & ad vitam æternam ab æterno prædestinatos complectitur in Mediatore; eosq; per media infallabilia & efficacissima ad æternæ felicitatis portum deducit, beatissimâ visione æternum beaturus.

Cum

Cum autem tam *Lutherani* quam *Remonstrantes* amorem Dei, quo salutem alicui vult conferre, erga singula hominum individua æqualem & eundem esse contendant, quod nos negamus, ad superiora, quos contra signum voluntatis antecedentis salutem æqualiter omnibus decernētis protulimus sequētia hæc addimus. I. Si Deus omnes omnino homines eodem & æquali amore complecteretur, utiq; eadem & æqualia omnibus vellet bona. At consequens falsum: Ergo & antecedens. Connexi ratio est: quia amor DEI aliud nihil est, nisi benevolentia Dei, seu voluntas benefaciendi. Ubi igitur æqualis est benevolentia, ibi æqualia quoq; sunt bona. Assumptionem comprobat experientia. Videmus enim Deum multis voluntatem suam in Evangelio patefactam ne significare quidem: alijs significat, sed meliores propterea, aut beatiore non facit, verum in naturali mentis cœcitate & voluntatis perversitate relinquendo ἀναπολογίως tantum reddit. Paucioribus ita significat, ut meliores & beatiore reddat.

Ad hæc. Quid adversarij? Tam *Lutherani*, quam *Remonstrantes* & *Arminiani*, ad voluntatem Dei antecedentem & consequentem confugiunt: prioris amorem erga omnes ajunt æqualem esse, posterioris inæqualem: & inæqualitatis hujus rationem allegant, quod præviderit Deus; qui nam obsequiosiores essent futuri, oblata media amplexuri, gratiæ obices non posituri. Non explicant se hoc modo miseri homines, sed vel maximè implicent: *Primum* enim cum amoris divini inæqualitatem ex arbitrio hominis deducunt, è castris orthodoxorum ad Pelagium apertè transeunt. Quid enim aliud sibi volunt, quàm prævidisse Deum qui oblatam gratiam essent accepturi, non decrevisse quibus eam, remotis omnibus impedimentis, esset daturus. Quod in Pelagio ferre non potuit Augustinus. *Deinde*, quæro, cum Deus voluntate antecedente omnes æqualiter diligeret, annon præviderit alios obsequiosos, alios vero refractarios futuros? Non possunt hoc negare. Amplius igitur quæro, cur prævisio hæc amoris inæqualitatem in voluntate antecedente non genuerit, cum in consequente genuerit? *Deniq;* quid attinebat voluntate antecedente omnium salutem velle, quàm consequente nolebat? Cum enim illius decretum per hanc refigatur, nonne hæc ratione divinæ vel potentæ vel sapientiæ, vel utriusq; lugillandi occasio Paganis præbetur.

II. DEUS *Jacobo & Esavo*, æqualibus in conspectu suo non idem voluit bonum. Unum enim *amavit*, alterum *odit*, Rom. 9. Non igitur æqualis est Dei amor erga omnes.

Excipi-

Excipient forsan, amorem & odium fuisse voluntatis consequentis, non antecedentis. Resp: hypotheses ipsorum elidunt hoc effugium: Consideravit enim Deus Jacobum & Esavum ut æquales: Ergo antecedenti ejus voluntati fuerunt objecti: Consequenti enim ut inæquales objiciebantur, quatenus nempe *Esavus* refractarius, *Jacobus* vero tractabilior erat futurus.

III. Si Deus antecedentis voluntatis benevolentiam salutem omnibus decrevisset, utiq; omnes quoq; trahere decrevisset. Nam sine gratiosa tractatione, in salutis negotio nihil proficitur Johan: 6. v. 44. Si omnes trahere decrevisset, omnes utique traheret: aut quæ causa mutatae voluntatis? Respondent, cur omnes non trahat, in causâ esse quorundam pervicaciam & obfirmatam malitiam. Hoc vero falsum esse liquido testatur scriptura: quæ obstinatioribus quandoq; vocari posthabitis tractabilioribus docet, Ezech: 3. v. 5. 6. 7. Matth. II. v. 21. Hinc est, quod in quæstione hæc responso hoc Pelagiano uti olim noluerit Augustinus, sed ad divinæ gratiæ commendationem se converterit tractat: 26. super Johann: *Magna gratiæ commendatio, nemo venit nisi tractus: quem trahat & quem non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare si non vis errare: semel accipe & intellige, si non traheris, ora ut traharis.* Alibi in simili argumento ad inscrutabilia Dei judicia provocat, lib. 2. de prædest. sanct. cap. 8. *Ex duobus parvulis originali peccato obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur, & ex duobus ætate jam grandibus impijs, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem sequatur, inscrutabilia sunt judicia DEI.* Certè Lutheranis & Remonstrantibus nullo modo videtur inscrutabilia. Sic & Ambrosius de vocatione gentium c. 5. *Par impietas & patres accusabat & filios, eademq; ignorantia cæcitas omnes simul in eosdem mergebat errores, sed cur non illorum misertus, & horum misertus sit Deus, quæ scientia comprehendere, quæ potest investigare sapientia? Latet discretionis ista ratio, sed non latet discretio. Non intelligimus judicantem, sed videmus operantem.* Nonne infaciem Patribus hisce contradicunt Lutherani & Arminiani?

Hæc igitur præmissâ distinctione & veritatis approbatione, ad rationes singulas ordine respondemus.

Prima propositio ex parte ambigua est: mortem enim peccatoris absolute velle, est vel citra respectum ad peccatum velle, vel cum respectu ad

F

pecca

peccatum velle, ita tamen ut peccatum non sit causa voluntatis, sed mortis duntaxat. Posteriores sensum admittimus; priorem, quem Ecclesijs nostris vulgò affingunt adversarij rejicimus: Itaque hoc sensu conclusio nobis non adversatur, si hæc sit: *DEUS nullius peccatoris mortem vult absolutè.* Quod si verò hunc in modum informetur ratio;

Quorum DEUS mortem absolutè non vult, ijs vitam æternam ab æterno decrevit. Atqui peccatorum in genere omnium mortem DEUS absolutè non vult: teste prophetâ: Ergo vitam æternam ab æterno ijs decrevit.

Primum propositionem negamus tanquam inconsequentem. Ex eo enim quod mortem absolutè non velle DEUS dicitur, malè decretum vitæ conferendæ colligitur. Cujus enim mortem absolutè DEUS non vult, ejus mortem decernere ab æterno cum respectu ad peccatum, tanquam causam mortis, potuit. Deinde si in assumptione *non vult* intelligitur de decreto voluntatis divinæ: è prophetâ probari assumptio neutiquam poterit.

Nec enim in allegato Prophete testimonio significat DEUS, quid ab æterno de immorigeris & impijs decreverit, sed quid gratum sibi sit, nempe cōversio, & pœnitentia impiorum, quam tanquam debitum ab ipsis exigit. Neque vult mortem impiorum, quâ destructio est creaturarum suarum, sed quâ peccati stipendium & justum iudicium.

Secundæ propositionem distinguimus: Quos DEUS ad salutem & vitam æternam congregare voluit, voluntate beneplaciti, quæ æternum DEI decretum est de salute aliquibus conferendâ per media infallibilia, ad eos quoque gratia pertinet salutaris. Sic verò assumptionem negamus: Nam si DEUS Judæos, de quibus conqueritur, reprobos nempe, beneplaciti sui voluntate ad vitam æternam voluisset congregatos, certè non potuissent noluisse. *Quis enim voluntati ejus resistit?* Rom: 9. v. 19. *Nonne omnis voluntas Dei fiet?* Jesaia 46. v. 10. Voluit igitur eos congregare voluntate signi, seu, verbi ministerio, quo per Prophetas ad pœnitentiam ipsos invitavit, & media ad salutem necessaria monstravit, officium ab ijs exigendo, et si amissam faciendi gratiam non restituere ab æterno decrevit: idque sine ullâ vel contradictione vel illusionem, ut præcedenti capite explicatum.

Tertiæ connexionem negamus: ratio negationis est quia per *mundum* in isto Johannis loco non electi promiscuè & reprobi intelliguntur, sed soli electi, quibus in Filio DEUS promittit æternam vitam, additâ conditione fidei,

fidei,

fidei, quam tamen non minus præstat, qui promisit, quam ipsam vitam æternam. Soli quippe electi Dei sunt, quos ita dilexit, ut Filium suum pro ijs in mortem tradiderit. Unde Christus ait, Johann: 10. v. 14, 15: *Ego sum Pastor ille bonus, & agnosco oves meas, & agnoscor à meis, & animam meam pono pro ovibus, & v. 26. & sequentibus: Vos non creditis: non enim estis ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego agnosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis.* Ubi reprobos ex ovium suarum numero eiecit, & à participatione mortis suæ & vitæ æternæ excludit. Et quid, quæso, attinebat pro ijs in mortem dare Filium, quos perituros infallibiliter Deus præsciverat, quos efficaciter vocare non decreverat? Sed de hoc argumento deinceps.

Renecius, ut hanc nobis clavam extorqueat, multa movet. *Excipit igitur I. Vox mundi nusquam in Scripturâ solos electos denotat. R. Fallit & fallitur Renecius. Aperta significationis hujus loca sunt: 2. Cor: 5. v. 19. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi non imputando eis peccata ipsorum: unde sic arguo.*

Qui mundi voce hæc indignantur, reconciliati sunt Deo, & peccatorum remissionem sunt consecuti, ita nimirum ut Deus peccata ipsis non imputet, ac proinde ex sententiâ Davidis beati, Psalm: 32. v. 1, 2. Atqui reprobi æternum perituri non sunt reconciliati Deo, nec peccatorum remissionem consecuti, utpote quibus Deus imputat peccata. Ergo.

Propositio ex Pauli loco manifesta est. Assumptio plana est, quia contradictionem implicant, æternum perire, & Deo reconciliatum, & peccatorum remissionem consecutum esse: ita ut peccata non imputentur: Qui enim beatos hosce David prædicaret? At, inquiunt: Reconciliati sunt reprobi Deo, & remissionem peccatorum consecuti ex parte Dei, qui Filium pro ipsis in mortem dedit, quem per infidelitatem ipsi repudiant, & cū eo peccatorum remissionem. R. Et hæc contradictionem implicant: Ex parte Dei per mortem mediatoris reconciliatum peccatorumq; remissionem consecutum esse, ita ut peccata à Deo amplius non imputentur; & per infidelitatem, Christum, reconciliationem & peccatorum remissionem repudiare. Qui enim hisce peccata sua Deus non imputet? Hactenus primus pro sententiæ nostræ confirmatione locus: cui similis est alius 1. Johann: 2. v. 2. *Propitiatio est pro peccatis nostris, non pro nostris solum, sed etiam pro totius mundi peccatis: unde sic arguimus:*

Pro quorum peccatis Christus est propitiatio, ij quoque propitium habent DEUM. At reprobi propitium DEUM non habent: *manet enim super eos ira Dei.* Ergo Christus pro eorum peccatis non est propitiatio: Et proinde Mundi nomine, in hoc Johannis testimonio, non continentur reprobi.

Exceptio quæ parata est Lutheranis & Remonstrantibus, de *impetratione & applicatione*, supra prolixè est refutata. Tertius locus est Rom: 4. v. 13. *Non per legem promissio cessit Abrahae, aut semini ejus, ut hæres esset mundi, sed per justitiam fidei.* Per mundum quid intelligat Apostolus & ex antecedenti II. & 12. v: palam est: ubi ait Abrahamum patrem esse factum credentium tam circumcisorum, id est, Judæorum, quàm, incircumcisorum, id est, gentilium, unde infert, non per legem, sed per fidei justitiam Abrahamæ promissionem cessisse, ut esset hæres mundi. Sunt igitur Synonyma, hæredem mundi esse, & patrem credentium Judæorum & gentilium esse. Quis ad hæreditatem Abrahami referat reprobos, mancipia Satanæ?

Excipit II. Mundus, de quo Johannes loquitur, potius diligit tenebras, quàm lucem, & proinde non salvatur sed damnatur. Electi non potius (particulam enim negativam *non* per typhothæ oscitantiam omissam existimo in Reneccij textu) diligunt tenebras quàm lucem, nec damnantur, sed salvantur. Ergo mundus non significat electos. Resp: Propositionem nego: approbatio quæ petitur ex vers: 19. *Lux venit in mundum, sed dilexerunt homines potius tenebras &c.* nihil probat: de alio enim mundo loquitur vers: 19. de alio versus 16. vox mundi versu 19. posita distinguitur ab hominibus, qui in mundo constituti lucem affulgentem contemserunt. Mundus igitur heic pro subjecto loco potius, quàm pro Adjunctis hominibus sumitur. Deinde si probatio adversarij locum haberet, sequeretur mundi appellatione in versu 16. electos ne contineri quidem, sed solos reprobos, qui damnantur. Unde hic verborum esset sensus: Sic Deus dilexit reprobos, qui ob lucis affulgentis odium damnantur, ut filium suum pro ijs dederit, ut omnes reprobi, lucis osiores & damnationi destinati, qui credunt, non pereant, sed habeant vitam æternam. Quo nihil ineptius & *ἀνὴρ σαλκώτερον.*

Excipit III. Vox mundi significat eos, ad quos Christus est missus. At Christus ad omnes homines est missus. Ergo. Propositio probatur: quia phrasæ sunt æquipollentes, *Deus misit Filium, & Deus dedit Filium.* Assumptionem

tionem

tionem probat ex concione Angeli: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Resp: Primò propositionem nego. Probatio falsa est: phrasæ eadem non sunt, dare Filium pro aliquo in mortem, & Filium ad aliquem mittere seu mortem annunciare. Christus enim ad reprobos quoq; est missus: etsi non primariò: ad convincendos nempe, non convertendos: & tamen in mortem pro ijs minimè est traditus, ut qui pro omnibus tantum suis animam suam posuit. Deinde & assumptio universalis non est. De Evangelio enim gentes multæ ne fando quidem audivèrunt. Gaudium igitur, quod annunciat Angelus, ad populum saltem electum & credentem pertinet, cui sua quoq; universalitas. Ratio ex textu manifesta est. Ejus enim solius gaudium esse dicitur, qui gaudio afficitur. At reprobi infideles ob nati Servatoris Evangelium gaudio non afficiuntur. Illorum igitur gaudium hoc non est.

Excipit IV. Si mundus significat electos, vana est, quæ additur, explicatio: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. At explicatio vana non est. Ergo. Connexum probat: Si mundus electos saltem denotat, sic verba debent explicari: Sic Deus dilexit electos, ut electis suis daret Filium, ut omnes electi, qui credunt, non pereant, sed habeant vitam æternam: omnes verò electi, qui non credunt, damnentur. Resp: Connexum nego: applicatio quæ probationis loco adducitur, partim vera est, sed ad vanitatem explicationis ostendendam inefficax, partim falsa. Nec enim temerè aut vanè eum electis fidem Christus conjungit: quia electi in Christo non sunt nisi per fidem: verba igitur, *omnis electus qui credit*, nō subindicant electos quosdam non credentes vel credituros, sed conditionem saltem in electis necessariam, nempe fidem, expriment. Alterū explicationis membrum, quod adversarius addit; *ut omnes electi, qui non credunt, damnentur*: nec à Christo additur, nec ex Christi verbis per sequelam necessariam evinci potest: immò manifestam implicat contradictionem; omnes enim electi donantur fide, nec venit Christus, ut damnaret electos, sed ut fide donatos servaret. Quod porro subjicit, verba v. 18. sic fore enodanda: qui electus credit in eum non judicatur, qui electus autem non credit jam judicatus est: & ipsum ad rem nihil facit: versiculus enim 18. de hominibus loquitur in genere, quos in credentes & non credentes distinguit: versiculus verò 16. de solis electis.

Excipit V. Mundus in credulos & incredulos, electos & rejectos, sal-

vandos & damnandos distribuitur. Ergo tam credulos, quàm incredulos complectitur, tam electos, quàm reprobos. Antecedens ex versu 18. probat, *qui credit &c. qui non credit &c.* Resp: Antecedens nego. Probatio nihil probat: Nec enim in versu 18. distinguitur mundus, cujus fit mentio in v. 16: sed homines in genere distinguuntur in credulos & incredulos.

Excipit VI. Quos Deus vocat, eos etiam diligit. Atqui omnes vocat: Ergo omnes quoq; diligit. Propositionem probat: quia vocatio proficiscitur ex dilectione. Res: Primum propositionem nego, si de dilectione speciali loquatur: Quos enim amore speciali complexus est, eos ab æterno elegit, & efficaciter in tempore vocavit. *At multi vocati, pauci electi.* Falsum igitur est, vocationem omnem ex speciali dilectione proficisci. Vocavit enim Christus etiam quos reprobos esse novit & odit, ut *ἀναπολογήτως* redderet. Quod si verò in propositione vocatio intelligatur interna & efficax, secundo loco & assumptionem nego. Nec enim omnes externè saltem & sufficienter vocantur, nedum internè & efficaciter. Dictum Christi, *venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis*, contrarium non probat: primum enim non possunt vocati dici, nisi apud quos vocatio hæc est promulgata, qui auribus percepere, qui intellexere. Quot verò omnibus seculis è vitâ excesserunt, ad quos ne sonus quidem ullius præconij penetravit? Sed hæc de quæstione prolixius deinceps. Deinde vocat ad se Christus, qui laborant & onerati sunt, hoc est, qui peccati labores & onera sibi incumbentia sentiunt. Quot verò sunt, qui non sentiunt? Hinc Christus ait Matth. 9. v. 13. *Non veni ut vocarem justos*, hoc est, vos Pharisæos, qui vanâ justitiæ persuasionem turgetis: *κατ' εἰρωνείαν* enim hæc dicuntur interprete Theophylacto, *sed peccatores*, qui injustitiam suam agnoscunt, ope divinæ gratiæ, & justitiam sitiunt.

Excipit VII. Eos qui credunt, & propterea, quod non credunt, cum credere debeant, damnantur, dilexit Jehovah. Sed improbi & reprobi credunt, & propterea quod non credunt, cum credere debeant, damnantur. Improbos igitur & reprobos dilexit Jehovah. Resp: manifesta est contradictio in propositione & assumptione: Improbi & reprobi credunt: Improbi & reprobi non credunt. Si ita formetur Syllogismus:

Quos Jehovah vult credere, eos diligit. Atqui improbos & reprobos Jehovah vult credere. Ergo

Propositionem distingo. Quos Jehovah vult credere voluntate nempe bene-

pe beneplaciti, quâ fidem in ijs per efficacia media decrevit excitare omnibus per gratiam remotis obstaculis, eos sanè diligit, & in Christo quidem diligit ad vitam æternam. Assumptionem hoc sensu acceptam simpliciter nego. Pro reprobis enim ne orare quidem sustinet Dei Filius Johan. 17. v. 9. Reprobos nunquam novit Matth. 7. v. 23. Quod si nunquam novit, quos speciali miraculorum dono ornavit, & hâc ratione præ alijs videtur dilexisse, quid de ijs dicendum fuerit, quibus talia dilectionis τεκμήρια non suppetunt? Vult ergo Deus etiam reprobos credere, voluntate mandati & præcepti, ut eosdem quoq; legi suæ vult satisfacere, etsi nunquam satisfacturos novit, & ne gratiam quidem satisfaciendi largiri decrevit; veluti debitori solutionem imperat creditor, quem solvendo non esse haud ignorat. Atq; hunc in finem reprobis quoq; Filium suum Deus sistit, ut quid & in quem credere teneantur nörint. Quod si deniq; de dilectione generali ratio loquatur, totam sine causæ nostræ præjudicio concedimus.

Excipit IIX. Si mundus ab electis distinguitur: mundus non solos significat electos. At verum illud. Ergo & hoc. Assumptionem probat ex 1. Joh. 2. v. 2. *Christus est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.* Resp: primo tota concedi possit ratio: nec enim nos asserimus, per mundum ubivis in scripturâ solos significari electos, sed de solo Johannis loco, quem in ratione tertiâ produxit adversarius, loquimur. In eo mundum ab electis distingui negamus: itaq; falsa erit syllogismi hujus octavi assumptio: probatio verò inefficax, ut quæ alio nititur testimonio ex epistolâ Johannis adducto. Sed nec hoc nostræ obest causæ. Nec enim Johannes in epistolâ mundum, de quo loquitur, distinguit ab electis in genere, sed ab ijs quos alloquitur in specie: ut sensus sit: Christus est propitiatio, non pro nostris tantum peccatis, sed & pro omnium electorum, qui ubivis in mundo sunt, Judæorum & gentilium peccatis. Itaque ne connexum quidem rationis hujus firmum est. Quidni enim electi ab electis possunt distingui ratione temporum & locorum? Hactenus solutio tertiæ rationis.

Quarta connexum negamus. Etiam si enim Christus vult damnari quos etiam Satanas vult damnari, non tamen sequitur Christum propterea Satanæ non esse contrarium. Est nihilominus contrarietas in modo & fine voluntatis. Christus tanquam Judex justus vult quorundam interitum: Satanas tanquam injustus & crudelis Tyrannus: Christus damnationem vult

nem vult in iustitiæ divinæ gloriam: Satanus in solam creaturæ perniciem & creatoris contumeliam. Deinde Christus eorum etiam, quos salvari non vult, perditionem nō quærit nec procurat (*perditio enim tua est ex te Israël*) immo salutis media monstrat, & ad officij metas vocat: Satan verò omni conatu interitum hominum promovet, & ab officij metis revocat. Eodem respectu & sodalium suorum damnationem vult Satan, quam & Christus vult.

Quintæ propositionem negamus. Probatio inefficax est: Exuberat enim gratia, ex mente Pauli, non in numero servandorum, sed¹ in præstantiâ effectus, qui toto genere melior est peccati effectus: ² in potentiâ virtutis activæ, quia longè majoris est potentiæ vel unicum servare, quàm innumeros perdere: ³ in declaratione utriusque: quo enim majus fuit peccatum, eo magis conspicua est facta gratiæ efficacia. Quod si in numero institueretur collatio, non exuberantia, sed æqualitas esset peccati & gratiæ; tot enim per gratiam servarentur, quot per peccatum periissent.

Sextæ propositionem negamus: probatio ex Paulo allata ad rem non facit: nec enim Paulus universalem statuit Dei misericordiam, de quâ loquitur, respectu individuorum: aliàs contradiceret illi: *miseretur, quorum vult, quos vult indurat*: sed respectu Judæorum & gentilium electorum & fide, per gratiam, donandorum: quando & illi & isti salutem suam divinæ misericordiæ debent. Quam Pauli mentem esse ex epistolâ ad Galatas cap. 3. v. 22. planum est: *Conclusit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus*. Quos enim Scriptura conclusit sub peccatum, eosdem & Deus, qui in scripturâ loquitur, sub peccatum conclusit. Quibus promissio ex fide Jesu Christi datur, ad eos etiam miseratio pertinet, nempe ad solos fideles: datur enim promissio ex fide Christi credentibus. Sensus igitur Pauli hic est: Deus tam Judæos, quàm gentiles sub peccatum conclusit, ut in Judæis & gentilibus suam exerceret misericordiam.

Septimæ assumptionem negamus, si per omnes intelligantur singula individua: loquitur enim Paulus de generibus singulorum, non de singulis generum: videatur responsio Augustini in fine capitis præcedentis.

Renecius *excipit* I. Textus Pauli expressè sonat de omnibus hominibus, nec explicatio ejus de singulis hominum individuis pugnat cum aliquo fidei articulo. Ergo de singulis individuis est accipiendus. Resp: Antecedens

recedens nego. Explicatio adversariorum alijs scripturæ dictis contraria est, non igitur ex mente Apostoli est. Antecedens probo: *I. Omnis voluntas Dei fit* Jesaia 46. v. 10. *Voluntati Dei nemo potest resistere*, Rom. 9. v. 19. Sequeretur igitur omnes omnino homines salvos fieri, quod scripturæ contrarium. *II. Deus miseretur cujus vult, quem vult indurat.* Rom. 9. v. 18. Ergo non omnes propriè vult salvari. *III. Christus non orat pro mundo, hoc est, pro reprobis* Joh. 17. v. 9. Ergo reprobos non vult salvari. *IV. Deus paucos ad vitam eternam elegit:* Matth. 20. v. 16. Ergo paucos salvari voluit. *V. Deus omnes homines ad veritatis cognitionem non adducit.* Matth. 13. v. 11. & cap. 11. v. 25. 26. *VI. Christus non posuit animam nisi pro ovibus suis.* Joh. 10. v. 15. *VII. Non multos sapientes secundum carnem, non multos potentes, non multos nobiles, verum quæ stulta sunt in mundo elegit Deus, ut pudefaciat sapientes,* plura videantur capite 2.

Excipit II. Deus vult salvos fieri, pro quibus est orandum. Atqui orandum pro omnibus. Ergo omnes vult salvos fieri. Resp. Assumptionem, si de omnibus & singulis hominum individuis sine ullâ restrictione aut limitatione loquatur, nego. Negat eam exemplo suo Christus, Joh. 17. v. 9. *non oro pro mundo, hoc est, pro reprobis:* negat quoq; præcepto contrario Johannes epistolâ 1. cap. 5. v. 16. *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget.* Apostolus igitur cum vult preces concipi pro quibusvis, quosvis hominum ordines, quævis hominum genera intelligit: & rationem subjicit, *quod omnes,* hoc est, omnis generis homines *salvos velit.* An ergo, inquis, pro omnibus & singulis orandum non est? Resp: Cum limitatione orandum est, ut convertantur, & ad veritatis agnitionem deducantur, si convertere eos & veritatis suæ radio illustrare Dominus decreverit. Itaque & propositio syllogismi universalis non est. Nec enim Deus omnes vult salvos fieri, pro quibus cum conditione voluntatis divinæ nobis orandum est. Cum enim electos à reprobis distinguere nequeamus, Deus preces nostras ex affectu caritatis etiam pro salute reproborum, qui ignoti nobis, cum conditione voluntatis divinæ fufas, gratas habet, etsi damnationem eorum ab æterno decrevit.

Excipit III. Deus vult omnes ad cognitionem veritatis pervenire. Ergo omnes quoque vult salvari. Resp. antecedens de singulis hominum individuis intellectum nego. Contrarium hoc ipso capite & superiori. 2. demonstratum est.

G

Excipit

Excipit IV. Christus se ipsum pretium redemptionis obtulit pro omnibus. Ergo omnes vult salvari. Resp. Antecedens de singulis hominum individuis nego. Christus animam suam posuit pro ovibus suis, non pro hircis : ut pluribus deinceps monstrabitur. Fuit septima ratio.

Octava propositionem distinguimus : Cujus miseretur Deus, nempe misericordiâ speciali : ad eum spectat gratia. Hanc verò misericordiam allegatus locus, qui de omnibus loquitur creaturis in genere, citra absurditatem non posset extendere ad omnes homines, nedum creaturas. *Miseretur enim Deus cujus vult, quem vult indurat.* Ad nullam verò creaturam, si rationales excipias, misericordia specialis pertinet. De misericordiâ igitur universali loquitur sapientia.

Nonæ assumptionem negamus, si de singulis hominum individuis loquatur. Petri locus adversariorum sententiam non probat. Loquitur is non de singulis generum, sed de generibus singulorum ; vel universalitate electorum. Rationes videantur in responsione ad rationem septimam. Augustinus cap. 97. Enchiridij locum hunc citans, quærit ; *Si DEUS nullos vult perire : pleriq; verò nihilominus pereunt : an ergo aliquid non fiat, quod DEUS vult, & humanâ voluntate impediatur Dei voluntas ?* Respondet cap. 103. *particulam universalem, omnes, indefinite, non pro singulis hominibus sed de omnis generis hominibus accipiendam. Vult Deus etiam reprobos converti, voluntate signi seu præcepti, de quâ supra :*

Decimam totam possumus concedere. In Adamo enim Deus omnem hominem condidit ad vitam æternam : hoc est, vitam æternam omnibus tanquam metam proposuit, & vires, quibus possent ad eam contendere, sufficientes est largitus. Interim tamen ex lapsis omnibus aliquos decrevit erigere, & in viam reducere, tandemque ad metam perducere : alios verò non erigere, in viam reducere, ad metam non perducere. Utque in illis *misericiordiæ*, sic in istis *justitiæ* suæ gloriam illustrare decrevit.

Undecima & duodecima contra nos nihil probant : Misericordiam enim & dilectionem DEI universalem ultro admittimus, ut in capite hoc præfati sumus. Hactenus solutæ rationes pro primo fundamento allatæ.

CAPUT XII.

**CONSIDERATIO SECUNDI FUNDAMENTI: UBI
proponitur sententia orthodoxa de satisfactionis CHRISTI
universalitate, & confirmatur.**

DE

DE universalitate *satisfactionis Christi* duæ Theologorum orthodoxorum observandæ responsiones. PRIOR: Christi satisfactionem esse universalem ratione credentium, hoc est, Christum esse mortuum & satisfecisse pro omnibus suis electis credentibus vel credituris. Ad hos igitur omnia scripturæ loca, quæ Christi mortem ad omnes extendunt, referenda: Idq; secundum scripturam. Primum enim *omnes*, ad quos Christi meritum pertinet, interdum scriptura vocat *multos*, ut specialem quandam universalitatem indigitet: ut Jesaiæ 53. v. 12. *Ipsè peccatum multorum perferens pro defectoribus intercessit*: & v. 11. *Cognitione sui justificabit justus servus meus multos, quorum iniquitates ipse bajulaverit*. E quo loco sic arguo:

Eorum saltem iniquitates Christus bajulavit, quos cognitione sui justificat. At cognitione sui *multos*, non *omnes*, justificat. *Multorum* igitur, non *omnium* promiscuè iniquitates bajulavit.

Propositio ex textu Prophetæ manifesta est, in quo expressè restringit satisfactionem Christi ad eos, qui cognitione Redemptoris justificantur. *Justificabit, inquit cognitione sui multos*. Quos verò multos? quorum iniquitates bajulavit. Assumptionem scriptura & experientia approbat.

Quod si textum à se depravari, & absolutam universalitatem nihilominus defendi posse adversarius existimet, en alterum è versu 12, qui huic suppetias ferat, arietem.

Qui Christo sunt dati, & pro quibus intercessit, eorum etiam peccata pertulit. At aliqui saltem sunt Christo dati, non omnes promiscuè, reprobi & electi: pro aliquibus saltem intercessit, non pro omnibus promiscuè. Ergo aliquorum saltem, non omnium promiscuè peccata pertulit.

Propositio ex textu manifesta est. Conjungit enim eos, quorum peccata Christus pertulit, cum defectoribus, pro quibus intercessit: verbis illis: *Ipsè peccatum multorum perferens pro defectoribus intercessit*. Et cur quæso mortem oppetisset, pro quibus ne intercedere quidem sustinuit, quos datos à patre non accepit? Assumptio probatur, primum ex hoc ipso textu: *partem ei dabo pro multis, ut cum robustis partiatur prædam*. Non igitur ei omnes sunt dati, sed pars duntaxat. Ratio redditur in fine versiculi; *ipse peccata multorum pertulit*. Pars igitur heïc & multi æquipollent. Ex hoc quoque versu explicandus v. 6. qui sic habet, *Deus facit ut incurrat in eum pæna omnium nostrum*: ubi per omnes intelliguntur fideles & electi (nec enim

infidelibus & reprobis propheta se accenset) qui ex omnibus sunt multi, de quibus loquitur vers. 12. Altera assumptionis pars, de intercessione pro aliquibus saltem, ex Joh. 17. v. 9. manifestissima est. *Non rogo, inquit Christus, pro mundo.*

Hic primus est locus: Succedit alter Matth. 20. v. 28. *Filius hominis non venit ut sibi ministraretur, sed ut ministraret, daretque animam suam in redemptionis pretium pro multis.*

Tertius: Matth. 26. v. 28. *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effunditur.*

Quartus: ad Hebr. 9. v. 28. *Christus oblatus est semel, ut multorum peccata tolleret.*

Excipiunt, per multos intelligi omnes promiscuè: velut ad Rom. 5. v. 19. *per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, hoc est, omnes: & Danielis 12. v. 2. multi de his, qui dormiunt in terra pulvere, evigilabunt, hoc est, omnes.* Resp. multos interdum pro omnibus promiscuè poni (nam & omnes sunt multi) non negamus: præsertim in loco ad Romanos (locus enim Danielis non æquè perspicuus est) quos enim Apostolus v. 29. appellat *multos πολλοὺς*, eos v. 18. appellavit *omnes, πάντας*. Eodem verò sensu in locis, quos allegavimus, immo in ejusdem illius v. 19. apodosis (*ita per unius obedientiam justi constituentur multi*) particulam, *multi*, à scripturâ accipi, tum demum monstraverint adversarij, cum Spiritum Sanctum sibi contradicere probaverint, hoc est, nunquam. Itaque huic primo testimoniorum ordini alterum subjungimus, qui mortem Christi & omnia ejus beneficia restringit ad universalitatem credentium, qui Ecclesia, sanctificati & Christi oves appellantur. Eph. 5. v. 25. *Christus dilexit Ecclesiam, & semet ipsum exposuit pro eâ.* Act. 20. v. 28. *Spiritus Sanctus vos constituit Episcopos ad pascendam Ecclesiam Dei, quam proprio suo sanguine acquisivit.* Hebr. 10. v. 14. *unicâ oblatione consecravit in perpetuum eos, qui sanctificantur.* Si omnes promiscuè per Christi oblationem essent consecrati, quid attineret restrictionem addere? (eos qui sanctificantur) Joh. 10. v. 15. *Pono animam pro ovibus meis.*

Excipit Reneccius I. Christus animam suam ponit pro ovibus suis, non solum morigeris, sed etiam ovibus errantibus. Resp. animam Christus pro ovibus ponit errantibus: sed suis, hoc est, in errore non perseverantibus. Qui enim in errore perseverant, ut sunt omnes reprobi, non sunt

OVES

oves Christi, nec morigeræ, nec errantes: sed hirci. Matth. 25. v. 32. 33. *Oves enim Christi tandem agnoscunt vocem Christi & agnoscuntur a Christo v. 14. & 27. De errantibus loquitur v. 16. alias oves habeo, quæ non sunt ex hac causa, hoc est, gentiles nondum conversos, illas quoq; oportet me adducere, nam vocem meam audient.* Contradicunt igitur esse ovem Christi, & in errore perseverare, vocem pastoris nunquam audire. Non posuit igitur animam suam Christus pro non ovibus, hoc est, reprobis. Aliàs electorum & credentium nulla esset prærogativa præ reprobis & incredulis: nec efficaci satis argumento specialem Christus amorem erga oves suas commendasset; si non pro ovibus magis quàm pro hircis animam positurus fuerat.

Ab hac Reneccij *exceptione* non dissentit *exceptio* Remonstrantium, qui ad eadem dicta, in quibus Christus dicitur mortuus pro *Ecclesiâ* pro *ovibus* suis &c. excipiunt pag. 182. in genere. I. Dicitur quidem Christum mortuum pro *Ecclesiâ* suâ, pro *ovibus* suis, sed nusquam addi exclusivam, *solis*, unde ratiocinationem nostram inconsequentem esse colligunt. Hoc enim modo si liceret arguere, secuturum quoq; à Christo neminem esse dilectum, neq; pro quoquam Christum esse mortuum nisi pro Paulo: quia Paulus ait Gal. 2. v. 20. *qui (nempe Christus) dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* II. Si simpliciter velimus credere Christum pro suis *ovibus*, pro suâ *Ecclesiâ* &c., quâ talibus, esse mortuum, sequi, aliquem prius ordine fuisse Christi ovem, & de ejus *Ecclesiâ*, quam Christus pro eo mortuus sit: At hoc absurdum. *Christus ergo, inquit, non est mortuus pro suis ovibus, quâ talibus, sed quâ hominibus peccatoribus; quæ conditio, quia communis est ijs cum omnibus promiscuè, etiam pro omnibus promiscuè eum esse mortuum dicitant.*

Resp. Ad I. Si Christus pro omnibus promiscuè, sine discrimine, voluisset mori, quid quæso opus fuisset mortem ejus ad objectum particulare restringere, quod modo *ovium Christi*, modò *Ecclesiæ*, modo *credentium* nomine à Scripturâ exprimitur? Cum igitur Christus dicitur mortuus pro ijs, qui sunt *oves*, qui de *Ecclesiâ Christi* sunt, ex limitatione prædicati rectè colligimus, Christum pro omnibus promiscuè non esse mortuum: inanis aliàs limitatio & restrictio esset. Et quidem ex hac limitatione tanto firmitus colligitur particularitas, quia nemo moritur nisi pro eo quem summè amat Johan. 15. v. 13. Cum igitur reprobos, quos æternis cruciatibus sententiâ immutabili Christus iudex justus destinaverit, & prius quàm mortem

oppeteret, ex ijs plurimos flammis infernalibus jam actu tradiderat, summè non amàrit; ecquis mortuum pro ipsis affirmet, nisi qui vel neget mortem summi amoris certum esse argumentum, vel affirmet, Christum eo ipso momento summè amasse & ex morte eripere voluisse reprobos, quo summè eosdem oderat & sententiam damnationis æternæ contra ipsos latam nunquàm rescindere aut revocare secum constituerat. Exemplum quod adferunt tanquam simile, est dissimile, & ad rem non facit. Cùm enim Christus pro Paulo se tradiderit, non qua Paulus erat, aut homo nudè consideratus, sed quâ dilectus, quâ ovis Christi, quâ membrum Ecclesiæ per æternam electionem: quis quæso inde collegerit, Christum pro solo Paulo esse mortuum, & non pro omnibus potius, qui ejusdem cum Paulo sunt conditionis. Ad loca quæ adducunt in speciem nobis contraria Rom. 14. v. 14. 15. 1. Cor. 8. v. 11. 2. Pet. 2. v. 1. suo deinceps loco ordine respondebitur. Quod deniq; addunt, Christum in ijs locis, quæ adducuntur à nobis, non de *impetratione*, quæ pro omnibus fit, sed de *reali fruitione*, quæ solis fidelibus contingit, loqui: quàm sit frivolum & ineptum, postea videbimus. Ad II. oves Christi sunt per æternam electionem, & gratuitam recôciliationem ad electionis executionem destinata ab æterno. Electio igitur summum hujus beneficii, quo inter oves Christi reputamur, principium est; cui reconciliatio facta per mortem Redemptoris est subordinata, ita quidem, ut pro nemine Christus sit mortuus, nisi quem per æternam electionem Deus ovem esse voluit, quem filio suo tradidit, ut ex non ove ovem faceret moriendo, & mortis bonum applicando. Si ergo seriem decretorum divinorum spectes, prius ad id sumus omnes destinati, ut essemus Christi oves, hoc est, æternæ salutis hæredes, quàm mors Christi sit destinata, per quam oves, & salutis hæredes actu essemus. Si verò executionem spectes, multi actu fuere Christi oves, priusquam Christus actu pro ipsis esset mortuus: fideles nempe veteris testamenti. Pro pluribus verò actu prius est mortuus, quàm oves Christi fierent: cujusmodi fuere gentiles ad mundi usq; finem vocandi, quos tamen nondum natos nedum conversos, etiam ante mortem suam Christus Joh. 10. v. 16. appellat *oves suas*, nempe ratione decreti & traditionis æternæ, quæ ordine antecessit destinationem Mediatoris. Horum igitur respectu Christum esse mortuum pro peccatoribus & transgressoribus concedimus, & ab æterno ita decretum esse docemus, sed cõditionem hisce peccatoribus addimus, quâ ab alijs distinguuntur peccatori-

catori-

peccatoribus. Quæ illa sit quæritis Remonstrantes? *Electio* est. Christus enim mortuus est pro peccatoribus, non quibusvis, sed electis tantum, quos Christi esse oves ab æterno Deus voluit, quos solos per filij mortem reconciliare sibi decrevit.

Hactenus generales Remonstrantium exceptiones. Quas in specie contra nonnulla loca proferunt, quia magni momenti non sunt, & subversis generalibus hisce fundamentis sponte collabuntur, datâ operâ à nobis negligantur.

Excipit II. Quis argumentationem ita concludentem ferret: Ultimo die fideles resurgent. Ergo infideles non resurgent. Eadem & Remonstrantium est instantia: Resp. I. Magna est in exemplis dissimilitudo. Scriptura enim resurrectionem mortuorum docet universalem, tam infidelium quàm fidelium. Satisfactionem universalem, quàm adversarij somniant, non docet. II. Quorum Christus non est pastor, pro ijs quoq; animam non posuit. At hircorum non est pastor. Nec enim hirci sunt oves Christi: Ergo. III. Pro ijs Christus est mortuus, quos à Patre datos accepit. At hircos non accepit: Quos enim accepit nulli in prædam cedunt, imo Pater omnibus est fortior. Similia dicta & hæc sunt: Actor. 10. v. 43. *Huic etiam omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis, qui crediderit in eum: & v. 35. in veritate comperio in quavis gente acceptum ei quemvis, qui eum timeat & operetur justitiam.* Rom. 10. v. 12. *Non est distinctio vel Judæi vel Græci. Nam idem est Dominus omnium, dives in quosvis à quibus invocatur.* Joh. 3. v. 16. *Ita Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut, quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aternam.* & v. 36. *qui credit in Filium habet vitam aternam:* Rom. 3. v. 22. *Justitia Dei per fidem Jesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt, & v. 25. Quem proposuit Deus ut esset placamentum per fidem in sanguine ipsius.* Gal. 3. v. 22. *Conclusit Scriptura omnes sub peccatum, ut promissio ex fide daretur credentibus.* Joh. 17. v. 9. *ego pro eis rogo, non pro mundo, & v. 19. ego sanctifico me ipsum, ut sint & ipsi sanctificati per veritatem. Non tantum autem pro ijs rogo, sed & pro ijs, qui per sermonem eorum credituri sunt in me.* Rom. 8. v. 32. & 33. *proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, qui non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur? Quis intentabit crimina adversus electos DEI? æquipollent Paulo: omnes pro quibus Filium suum Deus tradidit: & electi Dei.* Rom. 16. v. 20. *Pacis prin-*
ceps con-

CAPUT XII.

ceps conteret Satanam sub pedes vestros, nempe electorum fidelium. Rom. 16. v. 16. Non pudet me Evangelij Christi, potentia siquidem est Dei ad salutem cuiusvis credenti. 1. Pet. 1. v. 2. dilectis ex prænotione Dei Patris ad sanctificationem spiritus per obedientiam & adspersionem sanguinis Jesu Christi. Epistola Judæ v. 1. Vocatis a Deo Patre sanctificatis & Jesu Christo servatis. Certum igitur est promissiones Evangelicas non pertinere nisi ad solos credentes. Infidelibus ergo reprobis, quia nihil promittitur, (affirmante id ipsum & Euenio in suo Samaritanismo pag. 49, ubi allegat quoque articulum 9. Confess. Aug.) fundamentum omnium promissionum, hoc est, satisfactio Christi ad eos minimè pertinet: Tandem hæc rationes subiicimus:

I. Si Deus Filium suum in mortem tradidisset, ut omnes promiscuè redimeret & æternæ vitæ participes faceret: sequeretur, aut omnes actu esse redemptos & æternæ vitæ participes futuros; aut Deum sine suo in pluribus frustratum esse. Prius falsum, posterius absurdum est: qui enim sine suo frustrari possit, qui omnipotens & omniscius est?

II. Pro quibus Christus orare noluit, pro ijs nec pati voluit. Atqui pro mundo, hoc est, reprobis orare noluit. Ergo pro ijs nec pati voluit. Propositionis ratio est: quia longè facilius est pro aliquo orare, quam pro aliquo pati: nec separat scriptura passionem ab intercessione. Assumptio Christi est, Joh. 17. v. 9. Respondet cum alijs & Remonstrantibus pag. 198. Reneccius: duplicem esse precandi rationem, quæ Christo assignatur: generalem, quâ etiam pro hostibus & persecutoribus suis orat: Luc. 23. v. 34. & specialem, quâ pro solis credentibus & electis orat. Resp: Hostes Christi, hoc est, ij qui Christum persequuntur & contemnunt sunt duplices: alij perpetui, quos reprobos appellamus: alij ad tempus tantum, quales electorum nonnulli sunt ante conversionem, ut videre est in Paulo & similibus. Si pro omnibus promiscuè hostibus intercedere Christum & pro æternâ eorum salute preces concipere Reneccius cum Remonstrantibus affirmârit, aperte Christo contradicit: is enim preces pro salute & sanctificatione hominum concepturus, mundum, hoc est, perpetuos suos hostes excipit. En aliud tibi absurdum. Qui semper à Deo exauditur, is impetrat quicquid à Deo petit. At Christus, semper à Deo Patre exauditur, Joh. 11. v. 42. Ergo impetrat quicquid à Patre petit: & proinde salutem quoq; reproborum. Omnes igitur reprobi salutem consequuntur: quicquid enim petendo hominibus à Christo impetratur, id tandem consequuntur. At, inquis, conse-

consequuntur, si accipiant. Resp. Consequi & non accipere in negotio salutis contradicunt. Nemini enim Christus intercessione suâ salutem, ut finem impetrat, cui media quoq; infallibilia non impetrat, cum finem sine medijs nemo assequatur. Si igitur fidem, quâ Christus vita nostra apprehenditur, à Patre reprobis Christus non impetrat, salutem ijs impetrare neutiquâ dici potest. Locum ex Lucâ quod attinet, vel de perpetuis Christi hostibus is accipitur, vel de electis nondum renatis, qui ad tempus Christum persequuntur & contemnunt. Si de illis (quod tamen minimè concedo) preces non pro salute conferendâ, sed pro pœnis duntaxat mitigandis conceptas dico: si de istis (uti omnino statuo) sententiæ nostræ locus non obstat. Lutheri glossam marginalem, quam allegat Reneccius, non admitto. Distinctio voluntatis in antecedentem & consequentem principium petit. Falsum enim per falsum probat & excusat panoplita.

Remonstrantes qui eâdem utuntur distinctione intercessionis in universalem & particularem, collat. Hag. pag. 198. I. urgent etiam locum Iesaiæ 53. v. 12. ubi legitur Christus *intercessisse pro transgressoribus*. II. Ajunt nullam esse rationis consequentiam: Christus eo tempore, quo nimirum precatus est Joh. 17. non rogavit pro mundo: Ergò nunquam pro mundo, hoc est, infidelibus rogavit: contrarium ajunt videri in ipso illo capite, v. 21. ubi rogat, *ut credat mundus se à Patre esse missum*. III. videntur sibi rationem nostram principalem posse invertere hac ratione. Pro quibus Christus rogavit, pro ijs etiam est mortuus. Atqui rogavit etiam pro mundo. v. 21. Ergo pro mundo quoq; est mortuus. IV. distinctionem adferunt, quâ omnem tolli posse difficultatem opinantur. *Etsi Christus, inquit pag. 199. non rogat pro mundo, neq; eo modo, neq; idem quod pro fidelibus, rogat tamen etiam aliquo modo pro mundo, & est amborum intercessor, infidelium ad solam impetrationem, fidelium quoq; ad applicationem.*

Resp: Ad I. Transgressores illi pro quibus Christus intercedit, ut nempe peccata ipsis remittantur, propter mortem suam, non sunt mundus, pro quo rogare se Christus negat: sed sunt ij, qui ex perditâ humani generis massâ, ad æternam felicitatem sunt traducendi. Omnes enim electi in conspectu DEI sunt transgressores, etsi propter Christum transgressiones ad mortem ipsis non imputantur. Ad II. optima est nostra consequentia. Nam si alias pro mundo, hoc est, reprobis, qui per Apostolorû sermonem nõ erant credituri, (hi enim *mundi* nomine intelliguntur, ut è textu planû est,) H

rogasset

rogasset Christus eo modo quo negavit se rogare pro mundo Joh. 17. utiq; ipse Christus contrarius sibi fuisset, aut animum mutasset: Absit verò ut haec in Christum omniscium & omnipotentem cadere inconstantiam opinemur. Quid enim ipsi electi de Christo sibi possent polliceri, si in horas mutari animum servatoris intelligerent? Certum igitur est, quod & ipsi coguntur fateri Remonstrantes, si pro *mundo*, hoc est, *reprobis* Christus rogavit, alio modo, & aliud eum rogasse, quàm cum pro electis suis creditib9 & credituris rogaret. Versum 21. quod attinet, si eodem sensu accipitur vox *Mundus*, quo accepta est, v. 9. negamus primò à textu evinci posse, Christum rogare ut credat mundus à Patre se missum esse. Rogat enim ut omnes electi inter se, & cum Patre ac filio unum sint, quo ex unione illà cognoscant etiam reprobi Christum à Patre ad redimendos electos suos esse missum: ita ut notetur effectus unionis fidelium etiam in reprobis (qui nempe reddantur *ἀναπαλόγητοι*) qui non intercessioni Christi fertur acceptus, sed unionis electorum cōtemplationi. Nam etiam sine intercessione Christi ex beneficijs in electos collatis reprobi possunt cognoscere, Christum verum esse Messiam à Patre in mundum hunc missum. Deinde si vel maximè planum esset, Christum etiam rogare ut reprobi cognoscant à Patre Messiam se missum esse, causæ tamen nostræ hoc non obesser. Longè enim aliud est pro alicujus salute apud Patrem intercedere, aliud pro notitiâ qualicunq; historicâ cum assensu conjunctâ generali. Hujusmodi enim notitiam etiam Diabolis Deus impertit, quos salvos nullo modo vult. Nisi igitur demonstraverint adversarij Christum pro salute *mundi*, cujus fit mentio v. 9. intercedere, Christi mortem ad *mundum* pertinere nunquam demonstraverint. Ad III. Ex ijs quæ dicta sunt modo patet quid ad rationem *Remonstrantium* sit respondendum. *Primum* propositio est limitanda, hoc modo: pro quibus rogavit Christus, ita nempe ut ad æternæ vitæ hæreditatem propter lytri sui dignitatem admittantur, ut à malo servantur, ut in veritate sanctificentur, & unum cum Patre eo Filio sint; pro quibus, inquam, hoc modo rogavit, pro ijs est mortuus. Assumptioni cum hâc limitatione acceptæ expressè contradicit Christus, *non rogo pro mundo*. Et cur quæso pro reprobis salute, conservatione & sanctificatione apud Patrem intercessisset, cum sciverit reprobos nec sanctificatum, nec glorificatum iri? Cùm ipse unà cum Patre decreverit eos non sanctificare, non glorificare? Siccine incassum laboraret Servator, & sibi ipsi esset contrarius? De-

rius? De-

rius? *Deinde* & aliam ob causam negari potest assumptio citrà limitationem accepta: probatio ejus ex allegato versiculo inefficax est, ut antea vidimus. Ad IV. Distinctio est ineptissima, & Christo cõtumeliosa I. quia nemini salutem & media salutis Christus intercedendo impetrat, quin eandem quoq; per media tandem possidendam conferat. II. Intercessorem esse ad solum *impetrationem* bonorum cœlestium, non autem ad *applicationem*, est frustra intercedere, & sine suo excidere. Ideo enim acquiruntur bona ut possideantur & applicentur. Fine autē suo excidere est & *imprudentis* & *impotentis*. III. Quæ causa quæso cur Christus sit intercessor infidelium ad solam *impetrationem*, & non ad *applicationem* quoq;? Respondent propter infidelitatem prævisam Christum non esse intercessorem ad applicationem. Cur igitur, inquam ego, propter eandem infidelitatem prævisam ne ad impetrationē quidem est intercessor? Cum impetratio sit laboriosior & difficilior quam applicatio. Taceo quod prævisio illa causæ rationem non possit habere, cum in omnibus nativam præviderit infidelitatem non nisi solâ suâ gratiâ curabilem. Cur autem in his potius quam in illis curare decreverit, præter *evdōxiav* suam nullam habuit causam, ut ex Augustino & Ambrosio supra docuimus.

III. Quos Christus nunquam novit, pro ijs etiam nunquam pati voluit: quis enim patiatur pro ignoto, & quem nōsse nolit? At reprobos Christus nunquam novit. Matth. 7. v. 23. Ergò. *Eckhardus* distinguit inter notitiam Dei generalem & specialem: illa, inquit, ad omnes se extendit, hæc ad solos fideles. Resp. De notitiâ generali ratio nostra non loquitur: quia salutis nostræ fundamentum hæc non est, sed de solâ speciali, quâ ita suos in Christo novit Deus, ut æternū quoq; decreverit beare. Ab hæc igitur dum excludit adversarius reprobos, à Christi quoq; satisfactione excludit. Prior notitia ad providentiam: Posterior ad prædestinationem pertinet.

IV. Si Christus mori voluit pro singulis hominum individujs ad impetrandam ijs salutem, utiq; mori etiam voluit pro omnibus ijs, qui à condito mundo usq; ad dominicæ passionis & mortis articulum ad inferos erant detrusi. At consequens falsum & absurdum. Ergo & antecedens. Assumptionis veritas manifesta est: I. quia frustra pro ijs esset mortuus: Ex inferno enim nulla est evasio II. quia moriendo pro ijs ipse sibi fuisset cōtrarius, qui decreto prorsus irrevocabili æternis pœnis eos destinasset, & nihilominus in æternam felicitatem assertos voluisset. III. quia injustè Deus

lytron pro ijs à Christo exegisset, qui in propriâ laborabant, & æternum laboraturi erant satisfactione. Justitia verò Dei idem bis non punit.

V. Pro quibus Christus est mortuus, eos nemo potest condemnare. At reprobos Deus damnabit. Pro reprobis igitur Christus non est mortuus. Propositio Pauli est, Rom. 8. v. 34. *Quis est qui condemnet? Christus est qui mortuus est.*

Excipiunt Remonstrantes I. ad propositionem, pro quibus Christus est mortuus, ita ut applicârit bona per mortem acquisita, eos nemo potest condemnare, quem Pauli quoq; sensum esse ajunt. Ita verò pro reprobis negant Christum esse mortuum. II. Illam fidelium consolationem quam Paulus suggerit non niti solâ Christi morte, sed & resurrectione & intercessione, quæ ad solos fideles pertinent.

Resp. Ad I. Cum Paulus ex Christi morte cõsolationem hanc derivat, non factâ mentione *impetrationis vel applicationis*: consequens est, indivisibili nexu conjuncta esse beneficia *impetrationis & applicationis*, alias solidam ac irritam consolationem è Christi morte, citrà distinctionem, Apostolus non potuisset deducere. Nam si fructus hic à Christi morte posset separari, scrupulus hic in animis Romanorum statim esset obortus. Quæ ego, tu &c. morte Christi nos solemur contra metum damnationis, cum palàm sit multos damnari, pro quibus Christus est mortuus? Imò stante hypothesi Remonstrantium, *de totali & finali sanctorum apostasiâ*, nec ij qui per fidem applicata possident bona per Christi mortem parta, fidenter cum Paulo exclamare possunt, *Quis est, qui condemnet?* &c. occurrent enim protinus exempla eorum, qui bona hæc sibi applicata amiserunt & perierunt. Ad II. Dicere Christum pro omnibus ijs non resurrexisse pro quibus est mortuus, est dicere Christum pro aliquibus esse mortuû, pro quibus mortem non superavit, hoc est frustra mortuum esse, quod morti Christi est contumeliosum. Quid enim quæso attinebat pro eis mori, pro quibus mortem superare noluit? Adeone putemus mortem rem ludicram Christo fuisse visam? Sed audite porrò: Si pro reprobis & infidelibus Christus non resurrexit nec mortem superavit, sequitur reprobos & infideles, si vel maxime omnes liberi arbitrij nervos intendant ad oblata in Evangelio salutis media amplectenda, non posse salutis reddi participes. At consequens vobis videtur absurdum. Quid quæso volet sibi *universalis illa & sufficiens, quàm fingitis, gratia*, si nulla fieri ratione potest ut ope ejus credant reprobi infi-

bi infi-

bit infideles, & Christi meritum sibi applicent, fiantq; salutis actu participes? At fieri nullâ ratione potest, ut credant & Christi morte parta bona sibi applicent, si Christus pro ijs mortem non superavit, si applicationem non impetravit. Aliam habete contradictionem. Docetis etiam reprobos nonnullos credere & Christi beneficia sibi applicare; pro his igitur & Christum resurrexisse & applicationem impetrasse docebitis. Ecce verò non pro omnibus? Forsan quia aliquos ex reprobis ad tempus credituros prævidit? Cum vero eos â fide finaliter defecturos, & æternum perituros non minus præviderit, cur quæso pro his potius, quàm pro alijs Satanae mancipijs, resurgere & mortem superare voluit? Summa. Inextricabiles hi sunt labyrinthi, quibus Christi meritum ludibrio exponitur, solida consolatio fidelibus eripitur, & salutis certitudo funditus evertitur.

VI. Si pro reprobis quoq; Christus est mortuus, utiq; summè eos dilexit. At consequens falsum: Ergo & antecedens. Connexi ratio est: quia, teste Christo, Joh. 15. v. 13. *Majorem charitatem nemo habet, quam si quis animam suam ponat pro amicis suis.* Assumptionem res ipsa approbat. Qui enim fieri potuit, ut summo amore Christus moriendo complecteretur eos, quos tanquam severus iudex partim jam dudum Satanae æternum torquendos tradiderat, partim suo tempore decreto irrevocabili traditurus erat, ut Judam proditorem, Judæos contumaces homicidas & horum similes.

Excipiunt Remonstrantes pag. 193. & seqq. I. Christum in univsum non omnes summè dilexisse pro quibus est mortuus, si summus amor cõsistat non tantum in salute promerendâ, sed & applicandâ. II. Scripturam loqui de duplici dilectione Christi & Dei Patris: alterâ quæ conversionem & fidem præcedit & inimicis est exhibitâ: alterâ quæ conversionem sequitur. Priorem nobis summè esse exhibitam, quod Pater filium dedit propitiationem pro nobis: alteram in hoc summè exhiberi, quod Pater & filius credentibus jam plenitudinem bonorum acquiritorum communicant. Fatentur igitur dilectione præcedentâ omnes summè dilectos esse, quia pro omnibus Christus est mortuus: non autem eâ quæ conversionem sequitur, quâ solos fideles complectitur. III. Scopum Christi esse, sententiâ hâc subindicare charitatem suam quàm hominibus exhibet, vitam pro illis ponendo, ultra modum esse magnam: cum non pro amicis posuerit animam, qui maximus amoris gradus est inter homines, sed pro inimicis: fatentur quoq; Christum tum non potuisse majus aliquid pro nobis præstare, sed hoc fecisse ut

patefaceret nobis viam ad majus aliquid præstandum si crederemus in ipsum.
Unde charitatem ejus majorem agnoscimus, postquam credimus, quod beneficiorum partorum nos participes faciat.

Resp. Ad I. Christo contradicunt; qui summum amoris gradum constituit in eo, quod quis animam pro altero ponit: At Christus, ex Remonstrantium sententiâ, animam pro reprobis posuit, quos Satanæ ex justo judicio mancipavit: summè igitur eos dilexit ipso illo momento quo tanquam hostes suos summè oderat, & æternæ morti destinaverat: *Improbè & stultè* separant *impetrationem* ab *applicatione*. *Improbè* quidem, quia pessimæ simulationis Christum arguunt, ut qui voluerit videri in gratiam reproborum in peccatis mortuorū mori, ut in vitam eos revocaret, & tamen decreverit secum mortis suæ participes eos per applicationem non reddere, sed in æternâ morte relinquere, quos sciverat non minus posse viribus suis salutem sibi applicare, quàm impetrare seu promereri. *Stultè* verò, quia tam nemo est fatuus, qui mortem pro alio oppetat, si nihil ad eum utilitatis inde redundaturum præsciverit, si impedimenta, quibus à mortis suæ participatione eum excludi posse noverit, remove non decreverit, quæ a se solo removeri posse intelligat. Cum igitur Christus summum amoris gradum in eo constituat, quod quis animam pro altero ponit, agnoscit utiq; eum pro alio morientis esse affectum, ut in gratiam ejus nihil sit intermissurus, quod ad felicitatem ejus faciat; undè voluntatem impetrandi à voluntate applicandi minimè sejungi innuit. Nec verò pro beneficio æstimanda impetratio alicujus boni, si desit conferendi voluntas ei, qui sine efficaci suâ gratiâ bonum se impetratum conferri non posse agnoscit.

Ad II. Præcedanea illa dilectio nisi conjunctam habeat voluntatem applicandi bona acquisita, dilectionis nomen non meretur, nedum summæ, ut modo est demonstratum. Non potest dici à Deo sincere amari, nisi cui amoris effectus actu exhibeatur. Ad III. Si hic est Christi scopus quem indignant Remonstrantes, utiq; amor Christi erga reprobos fuit ultra modum magnus, quo, ut ipsi quoq; fatentur, major esse non potuit. Si fuit ultra modum magnus, non sanè fuit sine voluntate applicandi bona impetrata, sine quâ non est summus amor, sed summi amoris simulatio. Sed quid facias hisce hominibus? Qui modò ajebant, amorem Christi in impetrandâ salute erga omnes supra modum fuisse magnum, idem mox negant, dum ajunt *majorem agnosci amorem Christi eo ex quod beneficiorum partorum nos fa-*

nos facit participes. Deniq; ex eo, quod assumit, Christum mortem pro nobis oppetisse, ut patefaceret nobis viam ad majus aliquid prestandum si crederemus, videor mihi Socinum de salute per Christum partâ differentem audire. Sic autem ille lib. 1. de Servatore, cap. 2. *JESUS Christus duplici ratione servator noster dici potest, dum adhuc sumus in hoc mundo: vel quia re ipsâ effecit, ut nos salutis viam ingressi simus, vel quia per ipsum non stetit, quo minus eam ingressi fuerimus, & ea, quæ nostræ causa fecit, nobis salutis viam abunde patefecerunt. Nam si ea, quæ propter nos fecit talia sunt, ut inde nobis salus consequi possit, quamvis effectus in nobis non sequatur, cum id nostrâ culpâ eveniat, non tamen eo casu servatoris nostri nomine potest ullo pacto privari.* Similia passim feribit Hæreticus, cuius & mentem & verba amplecti videntur Remonstrantes, quos satius esset apertam in Socini castra discessionem facere, quam occulto illo veneno Christi gregem inficere.

VII. Si majoris est amoris per mortem inimicis *impetrare* reconciliationem, quàm impetratam reconciliationem *applicare*, sequitur *impetrationem sine applicatione* non esse. At verum prius: Ergò & posterius. Et per consequens, Christus non est mortuus pro omnibus promiscuè, quia omnibus promiscuè mortis bona non applicantur. Connexi ratio manifesta est: major enim amor, si serius sit, includit minorem amorem, eum præsertim sine quo major finem suum nequit assequi. Nec patitur sapiens ingentis alicujus laboris fructu se defraudari, si levissimo eum obtinere possit negotio, cujus gratiâ ingentem laborem exantlavit. Assumptionem approbat Paulus. Rom. 5. v. 10. *Si cum inimici essemus reconciliati fuimus Deo per mortem filij ejus, multo magis reconciliati servabimur per vitam ejus:* Quasi dicat Paulus, si, quod majoris erat molis & difficilius per Christum nobis obtigit, nempe *reconciliatio* nostri, cum adhuc essemus inimici, multo igitur magis id nobis obtinget, quod minoris est molis & facilius, nempe salus per vitam ejus, quæ *applicatio est bonorum parvorum.*

VIII. Si reconciliatio etiam reprobis est impetrata per Christi mortem, est utiq; impetrata ut applicetur. Nec enim alius nominari aut excogitari potest finis. Finem igitur hunc nempe applicationem Deus expectat à reprobis viribus, vel gratiâ suâ præstare ipsis decrevit, cum nullas in reprobis vires agnosceret. Si prius dicas, vel ad Pelagium oportet transfeas, vel id à reprobis expectatum fatearis, quod præstitum ipsis impossibile esse Deus noverat, quæ ne in hominem quidem cadit frustranea expectatio.

ctatio.

ctatio. Si posterius, vel applicari omnibus reprobis parta bona affirmabis, vel decretum divinum rescissum dices: prius falsum, posterius absurdum.

IX. Christus mortuus est, ut filios Dei congregaret, Joh. II. v. 52. Ergo pro solis Dei filijs est mortuus. Respondet Eckhardus, aliud esse loqui de passione Christi in intentione & consilio Dei consideratâ: aliud de ratione applicationis. Priori modo totius mundi peccatis expiandis esse destinatam. Resp: I. Loquitur hîc Apostolus de passione Christi in intentione & consilio Dei consideratâ. Quo enim sine Christus est mortuus, is est ex consilio & intentione Dei. Cum igitur Christus sit mortuus, ut Dei filios congregaret, sequitur ex consilio & intentione Dei finem hunc fuisse. Decretum ergo fuit in consilio Dei, ut Christus morte suâ filios Dei colligeret: excluduntur igitur, quicunq; filij Dei non sunt. II. Si ex consilio & intentione Dei Christus est mortuus, ut omnes simpliciter ad salutem aggregaret: aut omnes ad salutem actu aggregantur, aut Deus intentione suâ excidit: prius est falsum: posterius blasphemum.

X. Qui habent redemptionem per sanguinem Christi, in eos etiam redundavit remissio peccatorum ex divite gratiâ. At in reprobos & infideles contumaces non redundat remissio peccatorum ex divite gratiâ. Ergo. Propositio Pauli est ad Ephes. I. v. 7. & 8. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem, inquam, peccatorum ex divite ipsius gratiâ, quâ redundavit in nos, omni sapientia & intelligentia.* Pari apud Apostolum passu ambulant, habere redemptionem per sanguinem Christi, & habere remissionem peccatorum per gratiam in redemptos actu redundantem.

Respondet Eckhardus, haberi redemptionem & peccatorum remissionem in Christo tanquam bona parta & acquisita: Non verò ab omnibus actuali possessione & applicatione. Resp: Glossa hæc jam antè à nobis est explosa, & Paulo est contraria. Non tantùm de acquisitione loquitur Paulus, sed & de possessione, (quæ tamen in alijs maturior, in alijs tardior) Innuit hoc versiculus 8, *quâ redundavit in nos omni sapientia &c.* Quæ verò redemptionis erat ratio inter Ephesios, eadem inter omnes est. Nulli in Christo bona sunt acquisita, quin actu aliquando possideat.

XI. Christus satisfactionem suam plurimis ne annunciat quidem: pro plurimis ergo non est præstita. Antecedens supra demonstravimus. Ratio consequentiæ est, quia ad quoscunq; pertinet satisfactio, ijs quoq; annunciat, ut fide amplectantur: alias enim frustranea esset.

Excipi-

Excipiunt Remonstrantes pag. 189. & seqq. I. Hoc argumento & orthodoxos nos urgeri, cum fateamur Christum Servatorem omnibus nationibus & populis, nemine excepto, reconciliationem impetrasse. II. verbum reconciliationis esse ordinarium medium, quo beneficium morte Christi partum hominibus administratur. Inde verò non sequi, non aliã etiam ratione unquam & ullibi administratũ esse vel administrari. III. non esse disputandum de eo quod factum est, sed de eo quod fieri debuit. Etiam si igitur omnibus non esset propositum, debuisse tamen proponi. IV. verbum reconciliationis omnibus esse annunciatum in novo Testamento, secundum dicta Act. 17. v. 30. Rom. 10. v. 18. Colofs. 1. v. 23. Item in veteri etiam testamento omnes vocatos per Davidem, Psal. 147: verbum quoq; reconciliationis primis humani generis propagatoribus fuisse traditum, ut ad omnes posteros propagaretur: quod autem ad omnes propagatum non sit, culpam esse vel in negligentia præconum, vel in hominum ingratitude, quã Evangelij cursum sunt remorati, ob quam etiam Deus tanquam justus iudex præconio hoc eos privavit.

Resp. Ad I. Christum reconciliationem impetrasse omnibus populis, nemine prorsus excepto, ubicunq; locorum & quocunq; vixerit tempore, nos non affirmamus, sed cõtrarium potius, ut è scriptis nostrorum manifestum est. Ad II. Cùm præter verbum aliud externum & extraordinarium medium scriptura nobis nullum monstrat, supra scripturam sapere putemus esse desipere. Certè Paulus hisce *μετεωρολόγοις* haud obscure cõtradicit Rom. 10. v. 14. *Quomodo credent ei de quo non audiverint? quomodo ergo audient absq; predicante? quomodo autem predicabunt nisi missi fuerint?* Quibus monstrat Apostolus Deum ordinis sui esse observantissimum, ut ab eo non declinet. Ad III. Non debuisse verbum omnibus promiscuè populis & hominibus semper & ubiq; annunciari testatur scriptura. Spiritus enim Apostolis sermonem in Asiã & Bithyniã loqui non permisit. Act. 16. v. 6. Etsi verò postmodum in hæc quoq; regiones verbum penetravit, ijs tamen qui à prohibitione Spiritus usq; ad sequentis præconij initium sunt mortui, Deus verbum annunciari noluit. Et si omnibus ubi-vis locorum semper annunciari verbum Deus voluisset, cur in veteri testamento ad gentiles non æquè misisset prophetas, quam in novo Apostolos? Qui causam referunt in gentilium peccata, incauti fatentur Deum noluisse verbum ijs annunciari. Ad IV. Supra prolixè respondimus.

XII. Pro ijs Christus est mortuus, qui sunt ad vitam æternam prædestinati. Atqui non omnes ad vitam æternam sunt prædestinati. Ergo. Propositionis ratio est, quia satisfactio Christi medium est ad executionem prædestinationis ad vitam pertinens, idq; adæquatum & reciprocum. Quicumq; enim ad vitam sunt prædestinati, pro ijs Christus satisfecit: & pro quibus Christus satisfecit, ij ad vitam sunt prædestinati. Assumptio probatur Actor. 18. v. 48. *Crediderunt quotquot erant ad vitam æternam ordinati: ubi expressè particularitas quædam indigitatur, Matth. 20. v. 16. multi vocati, pauci electi: Et ij quidem ex omni tribu, & lingua, & populo & natione. Apocal. 5. v. 9. unde hoc respectu mundus appellatur. Sic igitur pro speciali universalitate concludimus, de quâ Ambrosius vel Prosper libro 1. de vocatione gentium cap. 3. Habet populus DEI plenitudinem suam. Et quamvis magna pars hominum salvantis gratiam aut negligat aut repellat, in electis tamen & præscitis, atq; ab omni generalitate discretis, specialis quædam censetur universalitas, ut de toto mundo totus mundus liberatus, & de omnibus hominibus omnes homines videantur redempti. Sic & Augustinus de conceptione & gratiâ cap. 14 Omnes homines vult salvos fieri, ut intelligantur in res prædestinati. Hactenus prior responsio, in quâ meritò acquiescimus. Addimus & alteram, quâ in gratiam importuniorum quorundam orthodoxi doctores nonnunquam utuntur. Respondent igitur: Christum pro omnibus citra restrictionem satisfecisse, quoad sufficientiam meriti, non quoad efficaciam; quæ Pontificijs quoq; Doctoribus arridet distinctio; Lombardo, Thomæ, Lyra & alijs. De quâ breviter ita judicamus.*

Si quæstio sit: an Christi meritum omnibus omnium mortalium peccatis expiandis sufficiat? Rectè affirmativam defendi arbitramur. Quis enim neget tantæ dignitatis esse Christi sacrificium, ut vel pro sexcentorum mundorum, si essent, peccatis expiandis per se sufficeret?

Sin verò quærarur: An eo fine Christus sit mortuus, ut omnium hominum, nemine prorsus excepto, peccata morte suâ expiaret: seu: an Christus pro omnibus promiscuè satisfecerit, salvo aliorum iudicio, rectius negativam defendi existimamus. Etenim pro aliquo mori (hoc quidem loco) est in gratiam alicujus mori, & eo fine ut in libertatem asseratur, qui sub tyrannide Diaboli captivus tenetur. Quod equidem de reprobis nemo orthodoxus facile affirmaverit. Pro quibus enim Christus est mortuus, pro ijs non tantum sufficienter, sed & efficaciter est mortuus. Nec enim
pro ul-

pro ullo frustra est mortuus, ut supra probavimus. Hactenus orthodoxa de satisfactionis Christi universalitate sententia: cui unicum hoc addimus: Si fundamentum prædestinationis idem sit adversarijs, quod causa prædestinationis, negare nos satisfactionem Christi esse fundamentum prædestinationis: non enim est nisi medium ex ordinatione divinâ ad executionem prædestinationis necessarium.

CAPUT XIII.

SOLUTIO RATIONUM CONTRARIARUM EX
toto partes concludentium.

Reneccij rationes ex Scripturâ pro satisfactionis Christi universalitate allatas in duas distinguî classes cap. 6. notavimus: Prior ex toto partes viginti rationibus concludit: Posterior ex partibus totum sex rationibus concludit. Rationum prioris classis solutioni hoc caput destinavimus.

Primæ consequentiæ negamus. Ratio, quam producit nulla est. Contrivit enim Christus Satanæ caput, hoc est, omnem potestatem, quam in fideles & electos Dei, tanquam immanis tyrannus, affectabat, hinc ad Rom. 16. v. 20. Contrivit Satanam sub pedibus fidelium. Reprobos sub tyrannide & carnificinâ Satanæ reliquit. Quod si verò omnem absolutè potestatem Satanæ contrivisset: eccur quæso seculi hujus Deus Satan appellaretur 2. Cor. 4. v. 4? Cur infidelium mentes excæcaret, ne Evangelij lumen eos irradiet? Quo sensu mundi princeps dici posset, cui potestas est aeris, & spiritus nunc agens in hominibus contumacibus. Ephes. 2. v. 2. Vana utiq; esset formido potentia diabolicæ, quam etiam fidelibus incutit Paulus Ephes. 6. v. 12. Non est nobis lucta adversus sanguinem & carnem, sed adversus imperia, adversus potestates, adversus mundi Dominos, rectores tenebrarum seculi hujus, adversus spirituales malitias, que sunt in sublimi. Quid quæso attineret contra hostes hosce spirituali armaturâ tam sollicitè fideles armare, si potestas eorum nulli amplius formidabilis, si prorsus contrita & nulla esset? Vana certè hæc essent terculamenta. Quis leonem rugientem formidaret, cui vis nocendi prorsus nulla esset? At jubet formidare, jubet vigilare Petrus epistolâ 1. cap. 5. v. 8. Sobriy estote, vigilate: Nam adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens obambulat, quarens quem devoret, cui resistite firmiter per fidem. Contritus igitur est Satan, sed sub pedibus electorum fidelium,

& ita contritus, non ut molestias ijs amplius nullas creare possit, Domino permittente, sed ut è Christi manibus eripere, & in gehennam præcipitare non possit. Sub reproborum verò pedibus, ex justo Dei iudicio, adeo non est contritus & enervatus, ut efficacissimus in ijs sit, & libidinis suæ mancipijs utatur perpetuis, tandemq; ad tartara præcipitet, teste Scripturâ & experientiâ. Summa igitur huc redit:

Pro quibus Christus noluit satisfacere, pro ijs etiam caput serpentis noluit conterere: sed permittere ut efficaciter in ijs operetur Ephes. 2. v. 2. Unde & Antichristi adventus dicitur esse ex efficaciâ Satanæ. 2. Thes. 2. v. 10.

Interim non diffitemur Satanæ potestatem etiam in reprobis certis esse limitibus circumscriptam: sed prorsus contritam & sublatam negamus, negante scripturâ, negante experientiâ.

Secunda antecedens, si de omnibus gentium individujs loquatur, è geneſeos testimonio non probatur. Redundat benedictio in singula gentium genera, non individua.

Tertia antecedens limitamus. Hirco emissario omniam fuere peccata imposita, cum conditione resipiscentiæ & obedientiæ. Ut enim Deus peccata non remittit nisi pœnitentiam agentibus & novam obedientiam inchoantibus; ita nec expiationis nec remissionis typos citra resipiscentiæ & obedientiæ conditionem populo Judaico exhibuit. Sic igitur & Christus satisfecit pro omnibus, qui fidei conditionem à Deo propositam accipiunt. Nam qui credit in filium habet vitam æternam. Ex antitypo igitur ad typum hunc in modum inferimus:

Quibus in antitypo peccata Deus remisit, ijs etiam in typo remissionem præfiguravit. Atqui in antitypo solis fidelibus Deus peccata remisit. In typo igitur ijsdem solis præfiguravit.

Propositionis ratio petitur ex typi & antitypi convenientiâ, quam urget quoq; Reneccius. Assumptio novi Testamenti luce claret.

Excipit Reneccius. Peccatorum iniquitates portare debuit hircus. Jam verò omnes filij Israëlj fuerunt peccatores. Ergo. Resp: Propositioni nisi pœnitentiæ conditionem adjecerit, particularem eam pronunciamus, Syllogismo, quem modò produximus, freti. Omnes promissiones, tam legales quàm Evangelicæ annexam habent obedientiæ conditionem.

Quarta propositio universalis non est: nec probari ea potest ex prophetâ,

pheta,

pheta, qui de fidelium duntaxat universalitate loquitur. *Omnes nos, inquit, ut oves erravimus.* Supponit igitur ab errore illo per Christum esse liberatos, & non amplius errare, quod de solis fidelibus dici potest, qui amplius non errant, cum pastoris sui vocem audiant, & agnoscantur à pastore, Joh. 10. v. 27. Ipsa ovis appellatio arguit de fidelibus sermonem esse: reprobi enim non oves, sed hirci appellantur in scripturâ Matth. 25. v. 32. 33.

Quinta propositio universalis non est. Ipse propheta vel Christus potius per prophetam sermonem suum restringit ad fideles. *Ad annuncian- dum, inquit, mansuetis misit me, ut mederer contritis corde,* hoc est, resipiscen- tibus. Locus igitur hic adversariorum sententiam funditus evertit.

Sexta consequentiam negamus. Ratio ex Matthæo ad rem non facit. Christus non de omnibus promiscuè, qui perierant, loquitur, sed de solis fidelibus electis suis. Unde habeam quæris? Resp: ex ipso propheta, per quem Christus loquitur, ore: *mansuetis misit me, ut mederer contritis corde. Animam meam,* inquit apud Johannem, *pono pro ovibus meis.*

Septima propositionem distinguimus. Offertur Evangelium vel per externum verbi præconium tantum, idque cum conditione fidei: vel per externum verbi præconium & internam Spiritus Sancti operationem simul. Si de posteriori oblatione propositio loquatur, assumptio ἀναυφισβηήτως falsa est: si de priori, ut absolutè universalis à nobis non admittitur. Nec tamen sequitur falsa propterea reprobis annunciari. Annunciat enim Christus per ministros propitiationem pro peccatis cum conditione fidei: & reprobis quidem etiam annunciat (etsi de electis unica ipsi cura) non ut ad eos tanquam infideles pertinere significet, sed ut justam damnationis suæ causam tandem agnoscant. inter alias, incredulitatem quoq; & contemptum meriti Christi. Hinc Simeon Luc. 2. v. 34, *positus est iste (Christus) in casum & resurrectionem multorum in Israël, & in signam cui contradicatur,* & ad Rom. 9. v. 33. ex Jesaiæ 8 v. 4. *Ecce pono in Sion lapidem offendiculi, & petram offensionis: quod repetitur 1. Pet. 2. v. 7. ubi observanda verba: immorigeris lapis, quem reprobaverunt edificantes, hic factus est caput anguli, & lapis offendiculi, & petra offensionis: nempe ijs, qui offendunt ad sermonem, immorigeri, ad quod etiam positi fuerunt.*

Octavam totam cōcedimus, si complexio de eo loquatur populo, de quo Angelus loquitur: nempe de populo, cui gaudium pariet nativitas Christi. Ex hoc populo igitur ab Angelo excluduntur reprobi, quos Evangelium hoc verò gaudio non afficit.

Nona consequentiam negamus : quia mundus in antecedente non nisi mundum denotat electorum fidelium ; ut supra ostensum. Quod si verò omnes promiscuè etiam reprobos denotaret vox mundi in allegatis locis, præter alia absurda & falsa, sequeretur, omnes quoq; reprobos per Evangelij lucem illuminari, & sic falsum esse, quod Paulus ait 2. Cor. 4. v. 4. *Deum hujus seculi excœcare mentes infidelium, ne irradiet eos lumen Evangelij.*

Excipit Reneccius : Licet omnes homines non illuminentur (cum plerosq; non illuminari manifestum sit) ejus tamen rei causa non in Deo, sed in hominibus residet. Proinde Johannes, lucem illam omnibus illuminandis sufficientem esse, & extra eam illuminari neminem, ostendit. Resp: I. Non quaestio est inter nos & Reneccium ejusq; commilitares : An Evangelij lux sufficiens sit omnibus hominibus illuminandis ? Hoc enim ultro confitemur : sed an homines actu illuminet ? quod negamus. Id si nobiscum negat Reneccius, uti negare cogitur per veritatis vim, negabit quoq; nobiscum in dicto Johan. 1. v. 9. per omnem hominem, intelligi debere singula hominum individua tam reprobos quam electos : sed solos electos, qui actu illuminantur. Non enim de potentiali sed actuali illuminatione loquitur Evangelista. *Illuminat, inquit, omnem hominem &c.* II. Si hic est Johannis sensus : extra lucem illam neminem illuminari, uti subindicat Reneccius, non contra nos, sed pro nobis allegatur Evangelista. Hoc enim ipsum contendimus : per lucem hanc illuminari, quicumq; illuminatur, & sine eâ neminem illuminari. Sic & Augustinus interpretatur Pauli dictam, *Deus vult omnes homines salvos fieri, nempe qui salvi fiunt.* Quo sensu quoq; Paulus ait, *Deum omnium misereri, hoc est, nemini ad salutem aditum patefieri, nisi per misericordiam DEI.*

Decimæ propositionem negamus. Contrarium erat inferendum : nempe beneficia Christi non esse acquisita ijs, qui ob finalem eorum contemptum damnantur. Nam si acquisita ijs essent, utiq; non contemnerent, nec damnarentur. Pro quibus enim Christus voluit pati, eos etiam passionis suæ fructum per efficacia applicationis media sentire voluit. Quos verò passionis suæ fructum per efficacia applicationis media sentire noluit, pro ijs & pati noluit, ne frustra pateretur & contraria velle videretur. Puniri verò aliquem ob promissionis ad se non pertinentis contemptum, ne in humano quidem foro paradoxum aut iniquum censetur. Quis enim injustitiæ principem accuset, si ob promissionum subditis suis factarum contemptum,

temptum,

temtum, derisionem & exagitationem in exteram aut advenam animadvertat?

Undecimæ propositionem negamus. Probatio ex Paulo ad rem nihil facit. Nec enim Paulo unquam in mentem venit justificationis beneficium, de quo loquitur, ad omnes promiscuè Adami filios extendere. Hoc enim paradoxum scripturæ & experientiæ adversatur. Sed ostendere saltem modum, quo facta electorum restitutio, nempe per justificationem in Christo, quâ solâ sunt restituti, quicunq; sunt restituti. Ut igitur per Adami inobedientiam omnes constituti sunt peccatores injusti: sic per Christi obedientiam constituuntur justis, quicunq; coram Deo pro justis habentur. Non exæquat ergò Paulus beneficium justificationis à Christo in homines redundans, cum condemnatione ab Adamo propagatâ respectu subjectorum: quasi omnes in Adamo damnati in Christo quoq; sint justificati, sed respectu originis seu causæ. Ut enim damnatio est in solo Adamo, sic justificatio est in solo Christo. Quicunq; enim justificantur, in Christo justificantur: extra Christum nemo. Quod nisi admiserit adversarius, universalis statuenda erit justificatio, quam nec ipsemet admittit.

Excipit Reneccius non sequi hinc universalem justificationem. Primum enim, inquit, Elenchus comparisonis est: Paulus non vult docere principaliter, quomodò simus justis vel injustis coram Deo, sed unde sit peccatum & justitia. Deinde & causæ Elenchum observat: Impij enim, ait, justificantur: non quia illis beneficia non sunt acquisita, sed quia illa non apprehendunt, sibiq; applicant. Resp: I. Distinguit Reneccius inter justificari, & quoad *λύτρον* verè justum constitui: posterius universale esse ait, prius non item. Sed proflus frivola hæc est distinctio & scripturæ ignota. Qui enim verè justis constituuntur per *λύτρον* Christi, ijdem & justificantur: & vicissim qui justificantur, verè per *λύτρον* Christi constituuntur justis: discrimen nullum agnoscit Paulus: nec ullus alius Apostolus vel Prophetas. Si igitur constitutio justorum per Christi *λύτρον* est universalis, & justificatio erit universalis. Tam in illâ, quàm in istâ fidei conditio est necessaria. Sic pariter inepta est distinctio inter justificationem, & transitum factum per justitiam in omnes homines ad justificationem vitæ. Quem enim imaginatur sibi transitum justitiæ in omnes homines ad justificationem vitæ, sine applicationis medio: est in somnium sine somno. II. Paulus non tantum docet unde sit peccatum & justitia, sed & maximè quomodò
justi

72
 iusti & iniusti coram Deo simus. Alterum enim ex altero sequitur neces-
 sario. Nam si peccatum nostrum est ab Adamo, & iustitia à Christo; utiq;
 iniusti coram Deo reputamur ob inobedientiam Adami in nos derivatam,
 & iusti ob Christi obedientiam nobis imputatam. III. Cur impij non ju-
 stificentur, causa quidem positiva est ipsorum voluntas malignosa: attamen & negativa est, quod beneficia ijs non sint acquisita, idq; ex iusto Dei
 iudicio. Si enim mori pro reprobis Christus voluisset, utiq; & fide eos do-
 nare decrevisset, sine quâ mors Christi frustranea est: si fide eos donare ab
 æterno decrevisset, in tempore utiq; donaret: justificarentur igitur: quo-
 rum eventus nihil docet. Reliqui tres syllogismi, quos ex eodem Pauli lo-
 co necit Reneccius ejusdem prorsus sunt sententiæ & farinæ.

Duodecima antecedens non nisi de fidelibus admittimus, de quibus
 & Paulus loquitur. Excipit Reneccius: Si Paulus solos credentes & electos
 intelligeret, particulâ universali non esset opus. Nemo enim dicit: Chri-
 stus pro quibusvis duntaxat credentibus & electis est mortuus. Quid au-
 dio? Ergone inter electos nulla est universalitas? Aut si fortè θεοδιδάκτοι
 nôrunt, Christum pro omnibus suis electis esse mortuum, illico & ij nô-
 rant, qui ad sanam Evangelij doctrinam primum manuducèdi? Vide verò
 an non Paulus de solis electis loquatur. Ad quos enim epistolam scripsit,
 quos instituit, de ijs loquitur. Ut enim contextus docet, ad alios sermo-
 nem non dirigit: Atqui ad solos ἀγαπητὸς Θεῶν, κλητὸς ἁγίους: hoc est, di-
 lectos Dei & vocatos sanctos epistolam scripsit Rom. i. v. 7. Quidni igitur
 de solis quoq; ijs loquatur? Etsi verò particulam exclusivam scriptura ex-
 pressè non addit, per sequelam tamen necessariam cum ex salutatione A-
 postolicâ, tum ex alijs Scripturæ locis ea evincitur, ut pluribus præcedenti
 capite ostendimus.

Decima tertia propositionem negamus. Probatio ad rem nihil facit:
 vivificabuntur enim ad vitam æternam in Christo, nempe qui vivificabun-
 tur. Extra Christum enim nemo vivificatur: veluti extra Adamum nemo
 est mortuus. Sic rationem hanc ipse solvit Reneccius, dum Apostolum de
 solis loqui fidelibus, qui sunt Christi (quam piorum & credentium ait
 esse descriptionem ex Rom. 5. v. 9, 10, 11.) expressè scribit in solutione oc-
 cupationis proximè sequentis. Sic ergo miles hic suo se gladio conficit.

Decima quarta antecedens non nisi de electis fidelibus admittimus:
 de solis hisce Paulus loquitur.

Excipit

Excipit Reneccius I. Quicumq; sunt mortui, pro ijs quoq; Christus est mortuus. Atqui omnes promiscuè sunt mortui. Ergo. Resp: Propositio probanda erat, quæ nec ex textu nec ex alio scripturæ loco probari potest. Omnes quidem sunt mortui, pro quibus Christus est mortuus. At verò inde non sequitur Christum pro omnibus esse mortuum, qui sunt mortui.

Excipit II. Ij, qui suum munus ita gerunt, ut Christo placeant, pro illis Christus est mortuus. Atqui tam fideles quàm infideles ita vivant, ut Christo probentur. Ergo. Resp: Quis quatuor hæc terminos non agnoscit? I. munus suum ita gerere ut Christo placeat. II. munus suum ita debere gerere: III. Christus est mortuus. IV. fideles & infideles. Nisi fortè Reneccio eadem sunt: *ita vivere, ut Christo placeas, & ita debere vivere ut Christo placeas.* Quod si admittatur, nonne sequetur, omnes impios perfectam divinæ legi obedientiam præstare: omnes gentiles in Christum credere: omnes diabolos angelicâ sanctitate pollere: immo omnes, qui infernalibus exercentur flammis, tranquillum & beatum in cælo ævum agere?

Eckhardus ad eandem responsionem excipit. I. Finis universalitatis exprimitur, ut non sibi sed Christo vivant: ad finem verò hunc cum omnes obligentur, utiq; & medium, nempe satisfactio ad omnes pertinebit.

Resp. Non sequitur. Finis enim Christo vivere, latius patet quàm satisfactio Christi. Omnes quidem pro quibus Christus satisfecit, ad vitam in Christo sunt obligati. Attamen pro omnibus ijs non satisfecit, qui ad vitam in Christo sunt obligati. Sic regenerat Deus homines, ut vitam divinæ Legi conformem agant: nec tamen omnes regenerat, qui ad vitam hanc agendam sunt obligati. Finis igitur regenerationis longè patet latius, quàm ipsa regeneratio. Etsi respectu reprobatorum officium potius, quàm finis dici debet.

Excipit II. Pauli verba sunt v. 19. Christus mundum sibi reconciliavit. Resp: Mundum fidelium.

Excipit III. Ministerium reconciliationis est universale, Ergo & reconciliatio. Resp: non sequitur. Non enim ad omnes pertinet reconciliatio, ad quos præconium reconciliationis pertinet. Significat Deus in verbo, omnes credentes reconciliatos esse Deo in Christo. Excluduntur igitur omnes reprobi, qui nunquam credunt.

Decima quinta assumptionem sensu Renecciano acceptam negamus.

K

Paulus

Paulus non nisi de universalitate electorum loquitur, ijs nimirum, qui reconciliantur. Extra Christum enim nemo reconciliatur. Nonne verò, si verba sine sensu & collatione aliorum Scripturæ locorum simpliciter urgenda, sequeretur & diabolos per Christum esse reconciliatos? Nam & hi in terrâ sunt, & quidem à Deo abalienati. Cum verò Paulus ad Colofs. de reconciliatione actuali & pacificatione, quæ sine proposito fidem per efficacia & infallibilia media conferendi, nulla est, expressè loquatur; nonne apertè satis excluduntur reprobi, qui ex infidelitate nunquam emergunt?

Excipit Reneccius. I. Si Christus pro fidelibus saltem & electis satisfecit, in ipso non omnia, quæ in cœlis & terris sunt, patri æterno sunt reconciliata. At consequenti contradicit Apostolus. Resp: Assumptionem nego. Non loquitur Paulus nisi de omnibus electis in cœlo & terrâ constitutis.

Excipit II. Homines, qui per Christum sunt creati, etiam per Christum sunt reconciliati: Colofs. i. v. 16. At omnes per Christum sunt creati Ergo. Resp. Propositio universalis non est: de universali reconciliatione in v. 16. nihil legitur: continet iste versiculus distributionem omnium creaturarum, & ne hominum quidem in specie mentionem facit. Si igitur τὰ πάντα vers: 20. eadem sunt, quæ v. 16. omnes creaturas per Christum Deo reconciliatas sequetur. Rectius igitur referret Reneccius τὰ πάντα v. 20. ad σῶμα τῆς ἐκκλησίας, hoc est, Ecclesiæ corpus, cuius caput Christus dicitur v. 18. Ecclesiam enim tam in terris militantem, quàm in cœlo triumphantem per Christum sibi Deus reconciliavit.

Excipit III. Qui sunt Dei inimici & purificatione egent, pro ijs Christus est mortuus. Colofs. i. v. 20, 21. At non electi tantum sed & reprobi sunt Dei inimici & purificatione egent: Ergo. Resp: Propositio universalis non est. Paulus non de omnibus promiscuè loquitur, sed de ijs ad quos scribit, quos cap. i. v. 2. appellat ἁγίους καὶ πιστὰς ἀδελφούς ἐν Χριστῷ: id est, sanctos & fideles fratres in Christo.

Excipit IV. Qui à spe Evangelij possunt dimoveri, illos reconciliavit Christus. Colofs. i. v. 23. At infideles & reprobi possunt dimoveri &c. Ergo. Resp: I. Assumptionem nego: quæ manifestam implicat contradictionem. Quæ enim à verâ spe & fide, de quâ loquitur Paulus, infideles & reprobi possunt dimoveri, qui in spe & fide verâ nunquam fuere τῆς ἐπιμελιῶν μένους καὶ ἐδραστοί, id est, fundati & firmi? Quod si verò propositio loquatur de
externâ

externâ tantum spei & fidei professione, quæ in hypocrytas quoque cadit; propositionem universalem esse negamus. Probatio ejus nulla est: nec enim Paulus de omnibus promiscuè loquitur, sed de solis fidelibus quos ad perseverantiam adhortatur, non quod ex parte Dei possint à fide dimoveri, sed quod nôrit Apostolus, adhortationem efficacem fidelibus ad perseverantiam esse medium: Ut indigitet quoque neminem coronari, nisi qui ad finem usque perseverarit.

Decima sexta antecedens non nisi de universalitate electorum fidelium ex omnibus gentibus & ordinibus admittimus, quam & Paulus intelligit, alijs scripturæ dictis *συμφωνῶν*.

Excipit Reneccius. I. Pro quibus orandum est, eos vult Deus servari. At pro omnibus est orandum. Ergo: Resp: videatur responsio cap. 9. Ref: ad rationem 7. except. 2.

Excipit II. Quos vult servari Deus, pro ijs in redemptionem se dedit. Atqui omnes vult servari: Ergo. Resp: Videatur responsio ad rationem 7. cap. II.

Excipit III. Si Christus pro omnibus se dedit in redemptionem: utiq; dedit se pretium tam pro electis quàm pro rejectis. At verum illud: Ergo & hoc. Resp: Exceptio hæc eadem prorsus est cum ratione 16. aliter tantum formata. Idem igitur probat per idem.

Decima septima antecedens negamus. Ex Paulo id probari nequit. Vox enim *σῶντες*, loco illo, non salvatorem sed conservatorem significat. Loquitur igitur Apostolus non de prædestinatione, sed de providentiâ Dei generali.

Decima octava propositio universalis non est. Apostolus non ait omnes promiscuè à peccato emundari: sed nos, hoc est, se, & ad quos scribit, nempe, ut habet ejusdem capituli v. 12, 13, 14. *filios* suos, quibus remissa sunt peccata: *Patres*, qui noverunt eum, qui à Principio est; *Adolescentes*, qui malum vicerunt, qui fortes sunt & in quibus verbum Dei habitat. Hos cine verò reprobos & infideles esse dicemus?

Excipit Reneccius: Qui peccata sua confiteantur, pro istis sanguinem suum Christus fudit, eorumq; peccata vult remittere. I. Joh: I. v. 9, 10. Atqui omnes homines peccata sua confiteantur: Ergo. Resp: Ineptum loquendi genus in propositione est. Quis enim nisi Reneccius ita loquitur: Qui peccata sua confiteantur: pro qui confiteri debent sua peccata? Sed

ad rem. Propositionem universalem esse nego. Ex Johanne probatio nulla suppetit. Sententia Reneccij nunquam in mentem venit Apostolo: immo contraria est ejusdem Apostoli doctrinæ, quod sic monstro.

Si pro omnibus ijs Christus sanguinem suum fudit eorumque peccata vult remittere, qui peccata sua debent confiteri: sequitur & ijs Deum velle remittere peccata, qui ad mortem peccant, proindeque pro eorum vitâ nos debere orare. Atqui consequens falsum & Apostoli doctrinæ & præcepto contrarium: videatur epistolæ I. cap. 5. v. 16. Ergo.

Connexi ratio est: quia & is, qui ad mortem peccat, peccatum suum debet confiteri, non minùs quàm ipsi etiam diaboli ad sanctæ & angelicæ vitæ studium sunt obligati.

Vide, quæso, Christiane Lector, sententiæ Reneccianæ absurditatem.

Si ijs omnibus Deus vult peccata remittere, qui ea debent confiteri: sequitur ijs etiam Deum velle peccata remittere, qui nunquam ea confitentur. At verum prius ex sententiâ Reneccij: Ergo & posterius.

Connexi ratio est; quia tenentur confiteri peccata, etiam qui nunquam ea confitentur. Observandum autem quod Apostolus dicit, *Deum remittere peccata, non, velle remittere*: Unde, ex mente Reneccij, vera erit hæc propositio: Qui peccata sua tenentur confiteri, ijs Deus remittit peccata. Quid verò hoc monstri? Nonne sic omnibus diabolis & reprobis Deus peccata remittet? Nonne & peccatum in Spiritum Sanctum remittet, quod remitti in hoc aut futuro seculo *διαπνέων* negat Christus? Matth: 12. v. 32.

Quantò rectius sensisset Reneccius, si Apostoli vestigia secutus, ex hypotheticâ; *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus ut remittat nobis peccata nostra*: hanc categoricam deduxisset: *Qui confitentur peccata sua, ijs Deus ea vult remittere, & actu remittit*. Quod si verò subsumisset: omnes homines peccata sua confitentur: manifesta fuisset assumptionis falsitas, quam dum declinat, exemplo suo verum esse comprobat, quod vulgò fertur: *Stulti dum vitant vitia in contraria currunt*.

Decima nona Antecedens ex Apostoli mente non loquitur nisi de universalitate credentium.

Vicesima propositio universalis non est. Apostolus non nisi de universalitate fidelium loquitur: & non tam de numero quàm de conditione liberandorum agit. *Particeps factus est carnis & sanguinis, ut liberaret*: *ecquos? quales? electos suos qui metu mortis per omnem vitam obnoxij erant*.

rant

CAPUT XIV.

erant servituti. Indigitat Apostolus in liberandis peccati & pœnæ peccati agnitionem: qui primus ad salutem gradus. Qui enim peccatum & peccati pœnam, hoc est mortem in primis æternam cum æternis cruciatibus conjunctam non norunt, in ijs metus æternæ mortis esse nequit.

CAPUT XIV.

SOLUTIO RATIONUM CONTRARIARUM
è partibus totum concludentium.

HActenus rationes è toto partes concludentes solutæ, sequitur earum, quæ è partibus totum concludunt, solutio.

Primam rationem implicatiorem obformæ *νεύψιν*, sic explicavimus: Si pro eo fratre Christus est mortuus qui intempestivo libertatis Christianæ abusu offensus à veritate desciscit, adeoque perditur & perit: sequitur pro reprobo Christum esse mortuum. Atqui prius verum. Ergo & posterius. Resp: Connexum distinguo. Si pro eo fratre Christus est mortuus, qui à veritate Evangelicâ totaliter & finaliter desciscit, quique absolute perditur & perit, non tantum respectu causarum secundarum, sed & primæ, hoc est, Dei manum ab ipso abstrahentis, & in æternum exitium præcipitantis; sequitur utique pro reprobo Christum esse mortuum. Sic igitur assumptionem negamus. Non approbat eam Paulus, cujus *18 9eσία* ad Romanos, non de primâ, sed de secundis causis loquitur, hoc sensu: Noli perdere, hoc est, quantum in te est, offendendo & serupulum injiciendo, perditionis causam infirmo fratri objicere, quâ, ratione sui & Satanæ instigantis, posset perire. Hinc verò absolute & respectu Dei, infirmum fratrem, pro quo Christus est mortuus, posse perire aut actu perire, quis sequi concesserit? Sed hæc de questione suo deinceps loco prolixius. Idem sensus alterius, ad Corinthios, loci est.

Secunda propositionem: Si loquatur de inhabitatione speciali Spiritus Sancti, admittimus: Sed assumptionem negamus: quam neutiquam Paulus approbat. Nec enim absolute Paulus ait, eos, qui templum Dei sunt, perdi, sed cum conditione, si ipsi templum Dei destruant: ex hypotheticâ verò propositione affirmativam categoricam reduci non posse, nisi positâ hypothese, vel pueri in scholis norunt.

Subjicit Reneccius alium syllogismum: Qui templum Dei fuerunt,
K 3 fuerunt

fuerunt verè regenerati. At quos perdit Dominus, fuerunt templum Dei. Ergo ij, quos perdit Dominus fuerunt verè regenerati. Resp: Assumptio falsa est, quia ex hypothese infert *ἴσον*, hypothese prius non positâ. Interim conclusio notetur absurda: verè regeneratos à Deo perdi: quod si verum est, ut alia omittam inconvenientia, sequitur electum neminem de suâ salute posse esse certum: quod tamen Reneccius cum suis sodalibus contra pontificios rectè negat. Assumptionis ratio hæc est:

Si id, quod salutis certitudinem in homine debet gignere, quodque *γνώρισμα* infallibile hæredium æternæ vitæ esse debet, commune est reprobis cum electis: sequitur electos de æternâ salute non posse esse certos. At verum illud ex sententiâ Reneccij: Ergò & hoc.

Connexi ratio manifesta est: quia non potest esse *γνώρισμα* verorum cœlestis Reipublicæ civium & Christi membrorum, quod commune est ipsis cum civibus Reipublicæ infernalis & Antichristi membris.

Assumptionem sic probo:

Fides salvifica, assensu constans & fiducia, ex Reneccij sententiâ communis est reprobis cum electis. At fides salvifica assensu constans & fiducia, illud est medium seu *γνώρισμα* quod salutis certitudinem in homine debet gignere, quo nōsse debet homo citra dubitationis fluctum se æternæ vitæ hæredem esse. Ergo illud medium, seu *γνώρισμα*, quod salutis certitudinem in homine debet gignere, quo nōsse debet homo citra dubitationis fluctum se æternæ vitæ hæredem esse, commune est reprobis cum electis.

Propositionem non negabit Reneccius, quia regenerationem & justificationem tam reprobis nonnullis quàm electis tribuit, quæ perpetua salvificæ fidei effecta esse ex scripturâ docet tomo 4. cap. 21. Eadem gregalium quoq; doctrina est, ut videre est in fasciculo Eckhardi cap. 14. q. 2. ubi quinque argumentis nititur probare fidem non esse electorum propriam.

Assumptionem contra pontificios probat Reneccius tomo 4. cap. 21. De hoc Lutheranorum & Remonstrantium scrupulo sub finem hujus tractationis.

Tertius Reneccij syllogismus ejusdem est farinæ: in quo idem absurdum ingeminat.

Tertiæ assumptionem negamus. Probatio ex Paulo ad rem non facit.

Nec enim

Nec enim dicit Paulus quid Christi membra faciant, sed quid facere non debeant. Reliqui duo syllogismi, quos subiicit, ejusdem sunt commatis, utriusq; assumptio falsissima est.

Quarta connexum negamus. Ad probationem respondemus. Illuminationem esse vel quoad notitiam tantum & aliquam ex notitiâ resultantem lætitiâ, vel quoad fiduciam fidei salvificæ Christi meritum sibi applicantis, & in eâ unicè acquiescentis. Illa in reprobos quoq; cadit, hæc electorum propria est. De illâ si loquatur, connexum falsum est: sin de istâ, assumptionem negamus, cui nihil præsidij in allegato loco, quo de pluribus in quæstione tertiâ de immutabilitate prædestinationis.

Quinta connexum negamus. Probatio ex epistolâ ad Hebræos ad rem non facit, scopus enim Apostoli est demonstrare non esse nisi unicam hostiam verè expiatoriam, hoc est, Christum crucifixum. Hanc qui rejiciant, non esse quod in aliâ spem ponant. Cum igitur omnes reprobi hostiam hanc rejiciant, ad se non pertinere reipsâ ostendunt. Ad quos enim pertinet, ijs & fidem D E U S largitur, quâ sibi applicent.

Sexta antecedens distinguimus: Christus pseudoprophetas emisse dicitur I. ex confessione & jactantiâ ipsorum, quia à Christo se redemptos prædicabant & jactant. II. ex opinione aliorum, quibus jactantiâ & professione id persuaserunt. De redemptione verâ Petrus non loquitur. Quos enim verè Christus redemit, ij Christi tanquam pastoris sui vocem audiunt, à pastore agnoscuntur, & æternâ vitâ donantur. Johan. 10.

CAPUT XV.

CONSIDERATIO TERTII FUNDAMENTI, UBI proponitur sententia orthodoxa de vocatione, quæ aliquot assertionibus explicatur, probatur & vindicatur.

I. **V**ocatio propriè fundamentum appellari nequit gratiosæ Dei voluntatis, vel decreti de salute homini conferendâ: Ratio est: quia non ideo decrevit D E U S homini salutem quia eum decrevit vocare, sed ideo decrevit vocare, & efficaciter vocat, quia ad salutem ab æterno eum prædestinavit. Non igitur vocatio efficax eorum, qui ad salutem sunt destinati, est fundamentum voluntatis seu decreti divini de salute conferendâ: sed decretum est fundamentum vocationis. Nisi quis fortè dicat finem esse destinatum.

natum.

narum ad media, non media ad finem: vel tectum esse fundamentum ædificij, non basin cui innititur tota moles.

II. *Vocatio est externa vel interna: Illâ Deus homini significat voluntatem suam & officium præscribit: istâ efficaciter mentem ac voluntatem hominis movet, ut & intelligat voluntatem Dei, & officium faciat.* Geminam hanc vocationem insinuat Paulus I. Cor: 3. v. 6. *Ego plantavi: Apollos rigavit: sed Deus dedit incrementum.* Plantatio & rigatio externa vocatio est, ad quam hominum ministerio Deus utitur. Interna incrementi nomine denotatur, quæ folius Dei est. Unde addit Paulus v. 7. *neq; is, qui plantat, est aliquid, neq; qui rigat: sed Deus qui dat incrementum.*

III. *Interna vocatio ordinariè in Ecclesiâ non est sine externâ: salutem enim suorum electorum Deus procurat per media: Necessarium mediolorum cum fine nexum, seu perpetuam vocationis internæ cum externâ conjunctionem docet Paulus Rom: 10. v. 13. & 14. Quomodo igitur invocabunt eum in quem non crediderunt? Quomodo autem credent, de quo non audierant? Quomodo ergo audient absq; prædicante? Quomodo autem prædicabunt nisi missi fuerint? & versu 17. fides ex auditu est, auditus autem per verbum Dei: & cap. 1. v. 16. Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.*

IV. *Externa vocatio potest esse & sæpe est sine internâ.* Veritatem assertionis docet experientia. Qui enim verbum Dei audiunt, non eosdem omnes fructus ferunt. Immo multi & cœciores & præfractiores evadunt, Deo nec mentes ipsorum illuminante nec voluntates efficaciter ad faciendum officium movente. Docet idem scriptura pluribus locis, ut cap. 2. ostendimus.

V. *Externa vocationi aures accommodare est in arbitrij nostri libertate; assensum vero præbere, cor aperire, firmâ fiduciâ promissa bona amplecti, eiq; obedire, non est in arbitrij nostri libertate, sed solius Dei in nobis speciale & gratiosum donum est.*

Expresse hoc dicit Moses Deut. 29. v. 2. *Vos ipsi vidistis omnia, quæ fecit Jehovah in oculis vestris, in terrâ Ægypti. Neq; tamen dedit Jehovah cor ad intelligendum & oculos ad videndum, & aures ad audiendû, usq; in diem hanc.* I. Cor: 3. v. 6. *Deus dat incrementum.* Hinc precatur Paulus Ephes: 1. v. 17. *ut Pater ille gloriæ det nobis Spiritum sapientiæ & revelationis per agnitionem ipsius.* Joh: 15. v. 5. *absq; me nihil potestis facere.* Rom: 9. v. 16. *Non est volentis aut currentis, sed Dei miserentis.* Philip: 2. v. 13. *Deus is est, qui efficit in vobis & ut velitis & ut efficiatis, pro gratuita suâ benevolentia.* Johan: 6. v. 44.

Nemo

Nemo potest venire ad me, nisi Pater eum traxerit. Hinc Deum cor Lydiæ aperuisse tanquam eximium quiddam in actis narrat Lucas. Et 1. Sam: 10. v. 26. Saulem noyū regem dicuntur secuti esse, *quorum tetigerat Deus cor.* VI. *Externa & interna vocatio simul solis electis contingit.* Interna enim vocatio perpetuò conjunctam habet fidem & regenerationem, quæ dona sunt electis propria. *Mundus enim* (hoc est cœtus reproborum) *non potest accipere Spiritum,* hoc est gratiosa & specialia Spiritus Sancti dona: Joh: 4. v. 17. *Evangelium tectum est ijs qui pereunt, in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes, hoc est, infidelibus, ne irradiet eos lumen Evangelij:* 2. Cor: 4. v. 3. & 4. *Vos non creditis non enim estis ex ovibus meis.* Joh: 10. v. 26. Distinguit hic Christus oves suas, hoc est, electos, à non ovibus, hoc est non electis, seu reprobis, per fidem. Ratio Christi nulla foret, si fides electis cum reprobis & hircis esset communis. *Crediderunt quotquot erant ad vitam ordinati.* Actor: 13. v. 48. Notat hic Apostolus originem fidei, nempe ordinationem ad vitam æternam, hoc est electionem. Non est igitur eorum fides, ad quos fidei fundamentum non pertinet.

Quæ contra assertionem hanc profert Eckhardus in fasciculo cap. 14. q. 2. prorsus nullius sunt momenti: breviter tamen ea perstringamus.

Arguit I. Omnes baptizati infantes sunt donati fide. Multi ex baptizatis infantibus non sunt electi. Ergo.

Resp: Propositio est falsa, quam veram esse nunquam evincet. Hieronimus in caput 16. Rom. ait. *In Ecclesia, qui non plenâ fide accipiunt baptismum, non Spiritum, sed aquam suscipiunt.* Et Augustinus psalmo 77. *Judeis omnibus communia erant sacramenta, sed non communis omnibus erat gratia, quæ est virtus sacramentorum: ita & nunc communis est baptismus omnibus baptizatis, sed non virtus baptismi, id est, ipsa gratia.*

II. Omnes renati & Christo implantati credunt. Quidam renati & Christo implantati sunt reprobi. Ergo quidam reprobi credunt. Assumptio ex epistolâ ad Rom. 11. v. 20. hoc modo probatur.

Qui excinduntur & ex arbore vitæ per infidelitatem defringuntur, ij sunt reprobi. At nonnulli renati & Christo implantati excinduntur & ex arbore vitæ per infidelitatem defringuntur. Ergo nonnulli renati & Christo implantati sunt reprobi.

Resp: Principalis syllogismi propositionem distinguo: omnes verè renati & Christo implantati non tantum per externam vocationem & ag-

L

gregatio-

gregationem ad visibilem Ecclesiæ cœtum, sed & per internam vocationem & aggregationem ad invisibilem electorum Ecclesiam: omnes, inquam, hoc modo implantati credunt. Sic verò assumptionem nego. Pro syllogismi propositio universaliter vera non est. Nonnunquam enim ad tempus rejiciuntur, & à visibilis Ecclesiæ cœtu excluduntur, qui postmodum revocantur, convertuntur & tandem glorificabuntur. Unde ex eventu rectè colligitur reprobos non fuisse. Quis durus adeo qui omnes Judæos justo Dei judicio ab Ecclesiâ jam exulantes, reprobos & æternum damnandos dicat? Nonne spem salutis Paulus eodem cap. v. 24. & 25. plurimis facit? Deinde & assumptio falsa est. Defracti enim sunt non renati, sed infideles, ut expressa Pauli habent verba, non Christo per veram fidem & internam vocationem implantati (sic enim infideles non essent) sed per externam duntaxat vocationem ad visibilem Ecclesiam aggregati.

III. Qui tempore tentationis de fide recedunt non sunt de numero electorum. Quidam ex ijs, qui cum gaudio verbum suscipiunt & ad tempus credunt, tempore tentationis de fide recedunt, Luc. 8. v. 13. Ergo quidam non electi cum gaudio suscipiunt verbum & ad tempus credunt.

Resp. Mirus hic est Syllogismus, in quo consequens conclusionis ponitur in assumptione, & antecedens in propositione. Interim propositio ex sententiâ adversariorum universalis non est. Docent enim ipsimet etiam, electos de fide posse recedere & quidem totaliter: sed reformemus Syllogismum.

Qui tempore tentationis de fide recedunt, ij verbum aliquando susceperunt & ad tempus crediderunt. Atqui quidam non electi tempore tentationis de fide recedunt. Ergo quidam non electi verbum aliquando susceperunt & ad tempus crediderunt.

Resp. Totum concedo, si *de credere* in conclusione accipiatur de fide temporariâ, quæ in hypocritas quoq; cadit, non de salvificâ, quæ solum electorum est. De hac igitur si assumptio loquatur, falsam eam esse pronunciamus: cum non nisi de temporariâ loquatur Christus.

IV. Servus crudelis & immisericors Matth: 18. ab initio erat fidelis: alioqui non impetrasset condonationem debiti. At servus ille erat non electus. Ergo quidam non electi sunt aliquando fideles.

Resp. Scriptura parabolica non est argumentativa, nisi argumentum petatur ex scopo parabola. Scopus verò parabola est, homines ad condonationem

nationem

nationem offensarum adhortari, ut patet ex versu 35. Ratio adhortationis gemina est I. quia Deus remittit hominibus debita longè gravissima. II. quia, qui offensas fratribus non condonant, in æternum carcerem con- jicientur. Explicatur hæc *νοῦ θεσία* & ejus approbatio per similitudinem à Rege cum servis suis rationes ineunte sumtam. Secùs si omnia in parabolis essent ad vivum resecanda, nonne sequeretur, Deum ab omnibus fide- libus exigere propriam satisfactionem? quando Rex hic ad exolvendum de- bitum jussit servum omnia sua vendere: sequeretur, & fideles propriam satisfactionem spondere, ad quam se obtulit servus. Nonne verò ex para- bolâ quoq; de operarijs, qui in vineâ conducuntur, Matth: 20. cum Pontifi- cijs esset concludendum, vitam æternam esse mercedem bonorum operum & dari etiam murmurantibus ac benignitatem Dei vellicantibus? Absit ergo hæc arguendi ratio. Dona Dei sunt *ἀμεταμέλητα*. Cuicumq; igitur semel remisit Deus peccata, eundem post modum in carcerem non trudit. Rex aliquis terrenus sententiam quandoq; mutat, quia hypocrisis servorum decipi potest. Deum nullius latet hypocrisis: Itaq; peccata non remittit, quos ob debita in Gehennæ carcerem detrudere semel constituit. Interim inter alias damnationis causas etiam crudelitatem reprobis nominat & ab eâ electos suos dehortatur propositâ similitudine à Rege mortali desumptâ, cujus omnes partes sibi applicari non patitur. Aliam quoq; in sequenti- bus responsionem observabis.

V. Simon Magus credidit: Actor: 8. v. 13. Simon Magus erat non ele- ctus: Ergo quidam non electus credit.

Resp: Consequens propositionis ambiguum est: Credere enim est vel fi- dem tantum profiteri, & assensum præconio præbere: vel firmâ fiduciâ in promissionibus acquiescere, eas sibi applicare per specialem Spiritus Sancti gratiam, quâ mens & voluntas obsignatur & *ἀμελέπρω* redditur. Priori modo Simonem Magum credidisse concedimus, posteriori negamus. *Non erat enim Simonis hujus cor rectum in Dei conspectu v. 21. Erat hic Simon posi- tus in felle amarissimo & nexu injustitiæ v. 23. Simon Magus, inquit Augusti- nus tractat: 6. in Johannem, qui non erat in Ecclesiâ columba sed corvus, ba- ptisma habebat, sed Christo non adhebat.* Hactenus Eckhardi ratiuncula.

VI. Interna vocatio certissimum *κεκτήμενον* & necessarium consequens est præ- destinationis ad vitam.

Expressè hoc docet salutis catena Rom: 8. v. 30. *Quos prædestinavit eos etiam*

eos etiam vocavit, & quos vocavit eos etiam justificavit, quos autem justificavit eos etiam glorificavit: Fluit hæc assertio ex sextâ.

VIII. *Externa vocatio ad reprobos quoq; pertingens non est indicium decreti divini de salute ipsis conferenda: sed significatio tantum officij, quod præstandū reprobis, si salutis velint esse participes, ut convincantur & ἀναπολόγητοι reddantur.*

Rationes sunt. I. Si eo fine Deus vocat reprobos, ut ad æternam salutem adducat, sequitur I. vocationem Dei esse frustraneam, & fine suo Deum excidere: II. vocationis finem contrarium esse æterno decreto, quo ad damnationem eos destinavit. At consequens est absurdum: Ergo & antecedens. Assumptio manifesta est: quando fine suo nemo excidit nisi per imprudentiam & impotentiam. Manifesta quoq; contrarietas est: designare aliquem damnationi, & eo fine vocare, ut servetur.

II. Si ea vocantis Dei esset voluntas, ut reprobi parerent, & vitam æternam consequerentur: utiq; & cordis duritiem, quâ obstante parere nequeunt, ijs auferret, daret ijs cor ad intelligendum & oculos ad videndum & aures ad audiendum. At consequens falsum: Ergo & antecedens. Ratio connexi est. Quia nemo propriè & seriò id dicitur velle fieri, cuius impedimenta si removeere vel solo nutu possit, nolit removeere: cum voluntati impossibilem annectere conditionem, sit nolle. Si triplici conclusum turri magistratus ad libertatem evocaret, & tamen reserare munitissimas fores neutiquam vellet: quis evocantis seriam voluntatem esse diceret, ut libertatem consequeretur captivus? Assumptionem experientia comprobabat. Quot enim sunt, quorum σκληροκαρδία Deus non emollit? quibus cor ad intelligendum internamq; mentis aciem & aures ad videndum & audiendum non largitur? Immo & populo suo quandoq; ad tempus hoc negat, ut expressè testatur Moses Deut: 29. v. 2.

At, inquit, duritiem Deus auferret & misereretur, si arbitrij liberi viribus rectè uterentur. Resp: I. Si quæ esset in salutis negotio ante conversionem vis liberi arbitrij, quâ ad gratiam conferendam Deus moveretur, eaq; à reprobis supprimeretur & quasi suffocaretur, nonne ad σκληροκαρδία & ipsa suppressio & suffocatio pertineret, & proinde amovenda à Deo esset, si amotam eam, & reprobos salvos Deus vellet? 2. Nonne hæc ratio falsum esset & invertendum illud Pauli. *Non est volentis aut currentis sed Dei miserentis?*

3. Non-

3. Nonne hęc ratione omnes hypocritas Deus converteret, qui eorum, quę in hominis sunt potestate, nihil videntur intermittere? Si perfectius quiddam in reproborum arbitrio positum affirmes, in Pelagij castra abitionem paras.

4. Quı fit, quod DEUS quandoq; ad veritatis agnitionem perducatur & fide donet, qui vel unicam audiunt concionem, posthabitis ijs qui externę obedientię nomine penę inculpabiles sunt? 5. *Non potest*, inquit Augustinus ad simplic: q. 2. *effectus misericordię DEI esse in hominis potestate, ut frustra misereatur ille, si homo nolit: quia, si vellet etiam illorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur & intelligerent & sequerentur.* 6. Falsum erit illud Pauli I. Cor: 4. v. 7. *Quis te discernit?* Plura repetantur ex superioribus.

III. Si Deus reprobos convertendi & servandi animo vocaret, non ad id essent constituti, ut offenderent ad sermonem, ut immorigeri essent. At consequens falsum, teste Petro epistolę 1. cap. 2. v. 8. *ijs, qui offendunt ad sermonem, immorigeri, ad quod etiam constituti fuerunt: (ἐτέθνον)* teste Judę vers: 4. *jam olim descripti (πρὸ γεγραμμένοι) ad hanc damnationem.*

IV. Si DEUS eo fine reprobos vocaret ut parerent, non induraret cor, ut ne parerent. At consequens falsum: Ergo & antecedens. Assumptio probatur exemplo Pharaonis, quem per Mosen Deus jubet populum dimittere, & tamen indurat cor ejus & cor servorum, ne dimittat. Si voluisset Deus populum suum dimitti, cur, quęso, cor ejus, ne dimitteret, indurasset?

V. Si Deus eo fine vocaret reprobos, ut crederent, non excęcasset oculos, ut ne crederent: At consequens falsum: Ergo & antecedens. Assumptio probatur Johann: 12. v. 39. & 48. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias: excęcavit oculos eorum, & obduravit corda eorum: ne videant oculis & intelligant corde, & convertantur & sanem eos.* Aures hęc arrigant, & Evangelistam ac Prophetam audiant, qui nos audire non sustinent. Ratio ex Apostoli & Prophetę verbis deprompta hęc est:

Si Deus quorundam vocatorum oculos excęcat, & corda obdurat, ne videant oculis & intelligant corde, ne convertantur & sanentur: utiq; eo fine non vocat, ut oculis videant, ut corde intelligant, ut convertantur & sanentur: At verum illud: Ergo & hoc. Item:

Si eo fine Deus omnes vocat, ut oculis videant & corde intelligant, ut convertantur & sanentur: falsum utiq; est aliquorum vocatorum oculos

excœcari, ne videant, corda indurari, ne intelligant, ne convertantur, ne fiant: At verum illud ex mente aduersariorum: Falsum igitur hoc, quod Prophetæ & Apostoli effatum est:

Pertinet quoq; huc illud CHRISTI Luc: 8. v. 10. *Vobis datum est nosse mysteria Regni Dei: reliquis autem per parabolas, ut videntes non videant, & audientes non intelligant.*

VI. Si Deus eo fine omnes vocaret, ut mysteriorum divinorum cognitione illustraret, à multis non absconderet mysteria. At consequens falsum: Ergo & Antecedens. Assumptio Christi est Matth: 11. v. 25. Si dicas contemptum esse causam absconsonis, omnibus abscondi mysteria affirmandum fuerit. *Animalis enim homo (quales ante conversionem omnes sumus) non est capax eorum, quæ sunt Spiritus Dei: sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere, quæ spiritualiter dijudicantur.* 1. Cor. 2. v. 14. Unde hunc in modum concludi poterit.

Si ea, quæ sunt Spiritus, hoc est, doctrina Evangelica, animali homini sunt stultitia, utiq; ridentur & contemnuntur ab animali homine, quâ talis. At verum illud: Ergo & hoc. Item.

Qui inimici sunt Dei, & legi Dei non subjiciuntur, ij doctrinam & legem Dei contemnunt. Atqui omnes naturâ sunt inimici Dei, & legi Dei non subjiciuntur. Ergo.

Assumptio ex Paulo probatur Rom. 8. v. 1. *Intelligentia carnis (quæ in omnibus hominibus ante conversionem est) est inimicitia adversus Deum.* &c.

Eckhardus in fasciculo cap. 15. quæst. 8. sententiam hanc oppugnat sequentibus rationibus.

I. Quibus Deus eum in finem annunciat verbum suum, ut resipiscant, illos non majoris damnationis aut occæcationis sed salvationis ergò vocat. At Deus annunciat verbum suum eum in finem, ut omnes resipiscant. Actor. 17. v. 30. Ergo non majoris damnationis aut occæcationis aliquos sed salvationis ergò omnes vocat.

Resp: Conclusio directè est contraria testimonio Evangelistæ & Prophetæ, quod ratione nostrâ quintâ allegavimus. Falsa igitur propositio vel assumptio. Missâ propositione assumptionem negamus. Non probatur ea exactis. Nec enim habet textus, eum in finem omnibus ubique annunciar i verbum, ut omnes resipiscant. De fine annunciationis non loquitur textus, sed

tus, sed de objecto duntaxat, hoc sensu, Deus per verbum omnibus ubique resipiscentiam imperat: quod non negamus: eodem verò fine omnibus imperari, cum scripturâ rectè negamus.

II. Qui docetur & admonetur, ut Deo perfectus exhibeatur in Christo: ille serio ad salutem à Deo vocatur. At omnes homines docentur & admonentur, ut Deo in Christo perfecti exhibeantur. Col. i. v. 28. Ergo.

Resp: I. Conclusio rectè intellecta nobis non adversatur. Concedimus enim etiam reprobos ad salutem serio vocari, quatenus admonentur, ut perfectos se exhibeant in Christo, hoc est, quatenus perfectio hæc ipsis imperatur. Hoc enim tanquam debitum meritò ab eis exigitur: non tamen eodem fine, quo ab electis. II. Si finem quoq; admonitionis indigitari ab Apostolo urgeas, ex illis verbis: *ut quemvis sistamus perfectum in Christo Jesu*, & hoc sensu assumptionem accipias tam de reprobis quàm de electis: assumptionem nego. Loquitur enim hoc sensu Apostolus de solis electis fidelibus. Unde habeam, quæris? De ijs Paulus loquitur, ad quos epistolam hanc scripsit: ij verò sunt sancti & fideles fratres in Christo: cap. i. v. 2. Quemvis igitur sanctorum & fidelium docet ut sistat se perfectum in Christo Jesu.

III. Quos Christus ad se venire jubet, cum annexâ promissione refectionis, illorum vocatio destinata est ad salutem. Atqui omnes ad se venire jubet cum annexâ promissione refectionis. Matth. ii. v. 21. Ergo omnium vocatio est destinata ad salutem.

Resp: Conclusio iterum directè opposita testimonio Evangelistæ & Prophetæ, de quo ratione quinta. Falsa igitur Propositio vel assumptio, vel utraq; . Primum igitur propositionem universalem esse negamus. Reprobos quoq; ad se Christus venire in verbo jubet cum annexâ promissione refectionis, si veniant, si credant: ubi tamen finis divinæ vocationis non indigitatur, sed officium saltem reprobis faciendum significatur, si refici velint. Etsi Deus eos reficere non decrevit: frustrâ enim decrevisset, cum non venturos præsciverit. Sub impossibili igitur conditione quod promittit, idem est ac si neget. Nec tamen promissio hujusmodi est ludificatio. Ostendit enim Deus reprobis causam propriæ perditionis, neglectum nimirum officij, quod præstitum quidem ipsis est impossibile, sed ex propriâ culpâ. Est verò qui & assumptionem neget. Vocat enim apud Matthæum Christus, *qui laborant & onerati sunt*, hoc est, qui sub
onere

onere peccatorum gemunt, & miseriæ suæ onus sentiunt. Quod certè in omnes non cadit. Interim tamen hæc ratione & reprobi dicuntur vocari; etsi primariò eos Deus non alloquitur. E vocatione enim electorum & descriptione conditionum, quid sui sit officij docentur.

IV. Quos Deus incitat ad epulas cœlestes eo fine, ut comedant, illos vult epulis cœlestibus, quæ in verbo vocationis offeruntur, reipsâ frui. Deus ad epulas cœlestes omnes invitat eo fine, ut comedant. Esa. 57. v. 1. Ergo omnes vult epulis cœlestibus reipsâ frui.

Resp: Si complexio loquatur de voluntate Dei impropriè sic dictâ, hoc est, præceptis Dei, quibus officij sui reprobos admonet, nobis non adversatur. Sed videtur ab Adversario intelligi voluntas Dei propriè sic dicta, hoc est, æternum ejus decretum de salute homini conferendâ. Assumptionem igitur negamus. Probatio ex Jesaiæ 57. v. 1. nulla est. Loquitur enim Propheta non de hominibus ad salutem vocandis, sed de bestiis agrestibus: *venite, inquit, omnes bestie agrestes, venite ad comedendum, omnes bestie sylvestres.* Etsi autem per metaphoram homines indigitari quispiam contendat, nempe Syrios, Ægyptios, Assyrios, Græcos, Babylo-nios, Romanos: locus tamen ad vocationem salutarem minimè pertinebat. Vocantur enim bestie istæ ad vindictam de populo Judaico sumendam, ut textus docet. Aptior igitur est locus, qui occurrit cap. 55. v. 1. *Quisquis sitit, venite ad istas aquas, venite, comparate, comedite:* Sed nec hic locus assumptionem probat. Primum enim non vocantur promiscuè omnes, sed qui sitiunt, hoc est, ariditatis suæ conscientiam pressi, beneficia ad vitam spiritualem pertinentia seriò expetunt, quales certè reprobi non sunt. Deinde si maximè & reprobos vocari concederemus, finem tamen vocationis heic exprimi non concederemus: sed objectum duntaxat: debere nimirum eos venire ad epulas cœlestes.

V. Christus voluit congregare Judæos, quemadmodum Gallina congregat pullos suos. Matth. 23. v. 37 At Gallina congregat pullos suos animo materno, ut tuti sint adversus omnes injurias: Ergo & Christus hoc modo voluit congregare Judæos.

Resp. Damus Christum loqui heic de Judæis reprobis. Propositionem verò non admittimus nisi eo sensu, quo à Christo est pronunciata. Cùm igitur Christus ait se Judæos voluisse congregare, ut Gallina pullos congregat, id tantum subindicat: se vocando monstrasse Judæis viam, quâ adversus immi-

sus immi-

sus imminentes injurias potuissent tuti esse, si vocantem audijissent: veluti pulli si ad expansas matris alas confugiunt, tuti esse possunt. De fine vocationis ex parte vocantis non agit: similitudo igitur eò non trahenda. Unde nec conclusio ex præmissis sequitur.

VI. Una est vocatio seu una spes vocationis Ephes. 4. v. 4. Ergo vocatio est seria & eo fine, ut vocati ingrediantur regnum cœlorum.

Resp: Totum concedimus, si de vocatione internâ accipiatur, de quâ Paulus loquitur: *Vos enim*, inquit, Ephesij, nempe sancti & fideles in Christo Jesu, (ad hos enim scripsit cap. 1. v. 1. hos alloquitur) *vocati estis in unam spem vocationis*. Unica igitur hæc est vocatio, & una fides salvifica. Ut autem ex hoc loco nequit colligi nullam esse fidem nisi salvificam: cum palàm sit fidem quoq; dari miraculorum & historiarum, quæ in Diabolos quoq; cadit: Sic nec colligi inde potest, præter internam vocationem nullam esse aliam. Res enim ipsa loquitur, vocationem quoq; externam esse, quæ ab internâ in plurimis separatur, ut assertione quartâ ostendimus. Nec sequitur igitur, unus internæ vocationis finis est in omnibus: ergo externæ quoq; unus in omnibus est.

VII. Deus jubet vocatos compelli ad intrandum. Luc. 14. v. 23. Ergo vocatio est seria & eo fit fine, ut ingrediantur regnum cœlorum.

Resp: Consequens conjungit, quæ ejusdem rationis non sunt, & proinde pari ratione ex antecedente non sequuntur. Sequitur enim: Deus jubet vocatos compelli ad intrandum. Ergo vocatio est seria. Non sequitur: Deus jubet vocatos compelli ad intrandum: Ergo eo fine omnes vocat, ut ingrediantur regnum cœlorum. Primum enim domus, in quam jubentur compelli, si parabolæ insistendum, non est regnum cœlorum, sed cœtus duntaxat Ecclesiæ visibilis, in quâ *multi vocati, pauci electi*. Ex regno enim cœlorum nemo ejicitur, qui semel est ingressus, nec datur ingressus in regnum cœlorum nisi per fidem in Christum. Atqui ex hac domo, in quam jubentur compelli hospites, aliquis est ejectus, ingressus quoq; sine fide, hypocrita scilicet: ut videre est Matth. 22. v. 11, 12, 13. Non igitur per domum hanc intelligitur regnum cœlorum. Deinde faciamus sermonem, heic esse de compulsione in regnum cœlorum: Anne illico finis compulsions, hoc est, severæ adhortationis erit ingressus in regnum cœlorum? Nonne & eo fine compelli possunt, ut quid officij sui sit intelligant? Ut exclusionis perpetuæ legitimas causas agnoscant?

IIX. Si Deus contemptoribus gratiam suam seriò non offerret, nequam illis irasceretur. At contemptoribus gratiæ irascitur. Luc. 14. v. 21. Matth. 22. v. 7. Ergo seriò illis gratiam offert.

Resp: Totum concedimus.

IX. Reprobi ideo luunt pœnas æternas, quod verbum vocationis fide non recipiunt. Johann. 12. v. 48. Ergo verbum vocationis fide recipiendum ad reprobos pertinet. Ratio consequentiæ, quia nemo luit pœnam rei, quæ ad ipsum non pertinet. Resp. Si consequentiæ hic sit sensus: Reprobi ideo vocantur ut credant & vocantem sequantur (quod quidem aduersarius omnino videtur sibi velle) contradicet sapius jam laudato Evangelistæ & Prophetæ testimonio, item scopo Dei dimissionem populi Pharaoni imperantis. Itaq; consequens ex antecedente sequi negamus. Approbatio universaliter vera non est, ut exemplo ostendimus cap. II. in resp: ad rationem 10. justè puniuntur reprobis ad contemptum promissionum fidelibus factarum, etsi ad ipsos tanquam infideles pertinaces non pertinent. Sic justè quoque Deus Satanam punit ob contemptum meriti Christi, etsi ad Satanam minimè pertinet.

X. Deus in verbo suo offert pœnitentiam, gratiam, remissionem peccatorum & vitam æternam hominibus etiam impijs, qui pereunt. Ergo seriò vult, ut convertantur, gratiam fide amplectantur & salventur. Ratio consequentiæ: quia Deus non est hypocrita, qui forinsecus se velle simulet, quod intus nolit.

Resp: Antecedens phrasi constat obscurâ, (Deus offert pœnitentiam:) explicatior est, Deus imperat pœnitentiam, offert remissionem peccatorum &c. Sed consequens ex antecedenti sequi negamus: si seriò velle conversionem, idem sit, quod ab æterno decrevisse convertere, gratiam largiri, & æternùm beare. Primum enim extra controversiam est, etiam impossibilia Deum reprobis imperare, quorum præstandorum potentiam semel amissam ut in tempore non reddit, sic & ab æterno non reddere decrevit. Non imperat igitur eo fine ut faciant, quod non facturos ab æterno præscivit, & ejus faciendi gratiam non largiri ab æterno decrevit: aliter & frustra imperaret, & contraria vellet. Deinde oblatio remissionis peccatorum & vitæ æternæ cum impossibili conditione fidei, equam quæso conferendi voluntatem in offerente arguit? Nec tamen hypocritam agit Deus, ut inconsideratè, nequid gravius dicam, infert aduersarius.

versarius.

versarius. Nec enim simulat Deus externè vocando, reprobos se ad vitam ab æterno destinasse, sed cum conditione fide vitam offerendo quid officij eorum sit ostendit, & justissimæ damnationis causam ut intelligant efficit; etsi hunc vocationis finem non nisi per eventum patefacit. Hinc igitur fit, ut revelata voluntas arcanae circa reprobos videatur adversari; quia revelatae, hoc est, præceptorum & prohibitionum promissionum ac comminationum fines occultos habet. Sententiæ veritatem exempla & testimonia comprobant, quæ ante adduximus. Exemplum illustre Pharaonis observetur: quem jubet Dominus populum dimittere, & tamen cor ejus indurat ne dimittat, ut expressa habent textus verba. Testimonium Jesaiæ insigne est: *excacavit oculos eorum, obduravit corda, ne videant oculis, ne intelligant corde, ne convertantur & sanentur.* Nostra igitur sententia si hypocrisus Deum insimulat, certe in idem incommodum non poterit non scriptura incurrere. Haecenus octava assertio.

IX. *Vocatio externa fuit ante lapsum vel post lapsum.*

X. *Ante lapsum in Adamo, tanquam radice totius humani generis, universum genus humanum fuit sufficienter vocatum, eâ conditione, ut si in innocentia sua Adamus perseveraret, felicitas ad omnes ejus posteros propagaretur: sin deficeret, miseria similiter in omnes transfunderetur.*

Hanc vocationem cum & in Adamo omnes posteri contemserunt. Unde propagatâ in eos miseriâ ac maledictione, omnes æternæ mortis rei sunt constituti: &, nisi misericordia Dei subvenisset, ex justo Dei judicio æternum omnes fuissent damnandi. Hæc tamen vocatio ad præsentem controversiam non pertinet: quæstio enim nobis de vocatione peccatorum, non justorum: de vocatione Evangelicâ, non legali. Quid? quod nec hæc vocatio decreti divini de beando humano genere in Adamo indicium fuerit. Nec enim decrevit Deus in Adamo humanum genus beare, sed in Christo. Scopus igitur vocationis hujus erat, ut obedientiam creatori debitam Adamus cum posteris inde agnosceret, & neglectâ obedientiæ conditione, miseriæ suæ se auctorem esse intelligeret. Decretum Dei conditionale nullum agnoscimus: frustraneum enim hoc fuisset, & imprudentiam in decernente ac hæsitacionem argueret.

XI. *Post lapsum in uno homine, tanquam radice totius humani generis, nulla fuit vocatio universalis, quâ æterna vita promitteretur universis & singulis sub conditione obedientia jugis à radice præstita.*

Violato enim foedere naturali, Deus cum Adamo & posteris pepigit foedus gratiae, quae per generationem non propagatur: sed naturae corruptae de novo accedit. Et quae quæso illa fuisset radix? Adamus, Noah, Abraham? Hos equidem gratiae foedus inviolatum servasse & ad aeternae felicitatis portum appulisse non inficiamur. De posteris verò ipsorum omnibus & singulis quis idem affirmet, scripturâ reclamante?

XII. *Proprie igitur externe & sufficienter non possunt dici vocati, nisi ad quos in specie per præconem à Deo missum Evangelij concio ita penetravit, ut & audire ipsi & intelligere, saltem quoad verba potuerint.*

Hoc ex Pauli ore pronunciatum est. Rom. 10. v. 14. & 15. *Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderint? quomodo autem credent ei, de quo non audiverint? quomodo ergo audient absq; predicante? quomodo autem predicabunt, nisi missi fuerint?* Requiritur ergo ad vocationem externam prædicantium missio, requiritur externa prædicatio, requiritur vocandorum auditio. Absq; his vocatio externa nulla est, si Apostolo credimus.

XIII. *Hanc verò vocationem respectu omnium individuorum à condito mundo universalem fuisse experientia & scriptura negat, ut cap. 2. abundè probavimus.*

Ingenuam hinc habemus Hunnij confessionem in libro de providentiâ & prædestinatione. *Certum est, inquit, quod in veteri Testamento non omnes gentes vocatae sint. Vocatio namq; fit per annunciationem verbi & institutum ministerium. At gentibus, præsertim à Judæâ remotioribus in novissimis orbis terrarum angulis olim habitantibus non fuit annunciatum verbum Dei: secundum illud Psalmi 147. Annunciat verbum suum Jacob, justitias & judicia sua Israël. Non taliter fecit omni nationi: & judicia sua non manifestavit eis. Similiter Esa. 52. & Rom. 15. Quibus non est annunciatum de eo, videbunt, & qui non audierunt, intelligent. Quapropter etiam de vocatione gentium, quae sub regno Christi futura erat, tot præclara extant vaticinia, quae demonstrant, illas plerasq; præteritis ætatibus non fuisse vocatas, sed demum sub regno Christi ad communionem Evangelij vocandas.*

Quod autem subjicit, non ex consilio divinae voluntatis sed per accidens fieri, ut non omnes semper omnium seculorum, temporum & locorum homines verbi ministerio vocentur actu, nempe, propter incuriam, negligentiam & contemptum majorum, ineptum est. Nisi quis fortè

ita

CAPUT XVI.

ita insaniat, ut affirmare aufit, pleraq; Dei judicia adversus impios non à consilio divinæ voluntatis proficisci, sed per accidens tantum administrari, & à Deo non volente. Quo contra Dei justitiam nihil iniquius excogitari potest.

CAPUT XVI.

SOLUTIO RATIONUM CONTRARIARUM.

EX ijs quæ capite præcedenti dicta sunt, planum est, rationes pro universali vocatione allatas sententiæ nostræ non obstare, si maximè ad unam omnes à nobis admittantur. Quamvis enim adversario concederemus, à condito mundo omnia hominum individua esse vocata per Evangelij præconium (quod longè falsissimum) non tamen sequeretur inde universale esse Dei decretum de salute omnibus hominibus conferendâ, ut capitis præcedentis assertione octavâ monstravimus.

Sed singulas rationes in specie videamus.

Prima ratio ad rem non facit, ut præcedentis capitis assertione decimâ monstravimus.

Secunda consequentiam negamus: vocationis post lapsum longè alia est ratio, quàm vocationis ante lapsum, ut assertione undecimâ monstravimus. Deinde cum de universali vocatione loquimur, non unius seculi vel ætatis homines intelligimus, sed omnes omnium seculorum, à primo usq; ad præsens. A familiâ igitur Adami & Noachi ad omnia hominum individua non valet consequentia. Evangelij præconio non dicuntur vocati, nisi ad quos missi præcones, quiq; & audire & intelligere præconium potuerunt: aliàs gentilium à Christo nato supervacanea aut frustranea fuisset vocatio toties per Prophetas promissa: videatur assertio duodecima. Ad alias exceptiones cap. 3. responsum est.

Tertia consequentiam negamus: ratio est, quia Apostolorum ætate non omnes omnium seculorum homines vixerunt. Ut igitur maximè concedamus, Apostolorum temporibus omnes fuisse vocatos, qui tum vixere: anne de ijs, qui ante & post Apostolos vixere, idem propterea dicendum fuerit? Apostoli uno momento totum terrarum orbem non peragrârunt: Quis igitur eos vocavit, qui ante Apostolorum adventum fati concesserunt? Si ideo vocati omnes Apostolorum temporibus, quia emissi sunt Apostoli in orbem terræ ad prædicandum omni creaturæ: nonne

ante Apostolorum tempora plurimi non sunt vocati, quia Prophetae in orbem terræ ad prædicandum omni creaturæ non sunt emissi? Nonne & post Apostolorum tempora & posterioribus seculis plurimæ gentes neglectæ, ad quas præconij Evangelici sonus non penetravit? Nec est, quod majorum contemptum quis prætendat. Ad hoc effugium prolixè respondimus capite tertio. Qui verò hoc utuntur effugio, manus dant. Fatentur enim expressè multos non vocari: & in causâ negatæ vocationis insuper hallucinantur, vel ad Pelagianismum declinantes, paralogismum causæ committentes.

Ad quartam & quintam rationem idem responsi damus. Ad loca Pauli, Rom. 10. v. 18. *In omnem terram exiit sonus eorum.* Coloss. 1. v. 23. *Evangelium prædicatum omni creaturæ sub cælo:* observandum, familiare scripturæ esse, per omnes sub cælo, non semper absolutè indigitare, singula hominum individua, nemine prorsus excepto, sed quandoq; valde multos & variorum nationum homines. Insignis præreliquis est locus Actor. 2. v. 5. *Erant Hierosolymis commorantes Judæi ex omni natione sub cælo:* recensentur nationes vers. 8. 9. 10. 11. Anne verò inter eos & Germani fuerunt & Americani, quiq; adhuc sub australi polo latent ignoti? Sic Ecclesiastes ait, cap. 4: v. 15. *Vidi omnes vivos qui incedunt sub sole.* Quis dicat Salomoni omnes mortales qui tum vixerant, nemine prorsus excepto, fuisse vivos? Cum & paucissima mortalium pars ad Salomonem venerit, minimamq; orbis partem Salomon perlustraverit. Similia loca alia in scripturâ occurrunt, è quibus Paulus explicari debet. De Apostolorum fidelitate non est quod quisquam dubitet. Quis vero credat à solis Apostolis, omnes mundi angulos, nullo prorsus excepto, potuisse perreptari, in tantâ vitæ brevitate, tantâ itinerum difficultate? Ubi & hoc observandum, mandatum de prædicando Evangelio per universum orbem, non ad solos pertinuisse Apostolos, quasi necesse fuerit Apostolos universum orbem pervolitare, sed ad eorum quoq; successores, qui telam ab ipsis captam deberent pertere.

Sextæ assumptionem negamus. Sitire enim in scripturâ propriè ij dicuntur, qui miseriam agnoscunt & medicinam quærunt, quod de maximâ hominum parte dici nequit. Sic & laborare & onerati dicuntur, qui peccati onus sentiunt, & sub eo gemiscunt. Sed concedamus sanè sitire & laborare apud Prophetam & Apostolum idem esse, quod miserum & peccato obnoxii-

obnoxii-

obnoxium esse: anne exinde vocationem universalem firmiter concludit adversarius? minimè verò. Vocationum enim formulæ in scripturâ universales non diriguntur nisi ad eos, qui actu audiunt, vel audituri sunt, vel ad minimum de ijs certiores redditi, audire possunt. Quot verò omnibus penè seculis fuerunt, ad quos ne indicium quidem illarum vocationum pervenit? Apostolus in vocatione requirit missionem præconum, doctrinæ annunciationem, auditionem conjunctam cum intellectione: monstrent hæc nobis adversarij in singulis singulorum seculorum gentibus. Contrarium monstrant dicta capite secundo allegata.

Septima consequentiam negamus, ob falsam adversariorum interpretationem, de qua supra. Si ad veritatis agnitionem singula singulorum seculorum individua pervenire Deus vellet, cur ignorantia tempora *dissimulasset*, & poenitentia præconium post Christi demum adventum omnibus ubiq; hominibus annunciasset? Actor. 17. v. 30. Cur *retracti fuissent Apostoli per Spiritum ab Asiâ*? Actor. 16. v. 6. Cur *preteritis etatibus sivisset DEUS gentes in suis ipsarum vijs incedere*? Actor. 14. v. 16. Cur *mysterium Evangelij à temporibus secularibus tacuisset*? Rom. 16. v. 25. 26. Cur *gentes olim fuissent absq; Christo, alienæ à Republicâ Israëlis, extraneæ à pactis promissionis, spem non habentes & Dei expertes in mundo*? Ephes. 2. v. 11. 12. Cur *alijs atatibus non innotuisset filijs hominum, gentes esse coheredes & concorpores consortesq; promissionis in Christo per Evangelium*? Ephes. 3. v. 5. & 6. Cur *mysterium Evangelij fuisset absconditum à seculis & atatibus*? Colofs. 1. v. 26. 27.

Octava primum antecedens negamus, si de verâ loquatur Ecclesiâ. Ante annos ducentos aut trecentos, durante & invalescente idolomania Pontificiâ, in quo, quæso, illustri loco collocata erat vera Ecclesia? Cum Elias se solum superesse existimaret, ubi conspicua & illustris fuit Ecclesia? Quod si externa Ecclesiæ amplitudo & claritas perpetua est, cur ejus in solitudinem fuga describitur Apocal. 12. v. 6? Quid generalis illa sub Antichristo *ἀποκρυφία* sibi volet Apocal. 13? Eccur de ipsius Judaicæ Ecclesiæ obscuritate queritur Deus Jerem. 5. v. 1? *Circumspicite oras Jerusalem, & aspici- te & considerate & querite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium & quarentem fidem: & propitius ero ei.* Vide, quæso, quæ facies fuerit Ecclesiæ Judaicæ sub impio Rege Achazo 2. Chron. 28. 2. Reg. 16. De Ecclesiâ Israëliticâ idem testantur verba Hazaræ ad Asam Regem. 2. Paralip. 15. v.

lip. 15. v. 3. *Transibant dies multi in Israël, sine Deo vero, sine sacerdote & doctore, & sine lege.* Deinde & consequentiam rationis hujus negamus. Ad vocationem enim non sufficit fama saltem obscurior de Dei cultu ad exteras & idololatrias gentes sparsa: requiritur auditio & intellectio præconij in specie, ut ex Paulo ostendimus, qualis olim erat in populo Judaico, & post Christi adventum inter gentes. Hæc vocatio, quia gentibus ante Christi adventum non obtigit, gentes vocatas esse scriptura negat ijs in locis, quæ supra produximus. Sed quî probabit adversarius ad omnes gentes, ad omnia individua à condito mundo veræ Ecclesiæ famam pervenisse? Hic opus, hic labor. Equidem tam hoc falsum esse arbitror, quàm quicquam.

Nonæ consequentiam negamus: quî enim ab illo ipso momento omnes vocari gentes potuerint, cum omnes non fuerint? Aliud est vocationem promittere, aliud actu vocare. Si igitur ex antecedente hujusmodi inferatur consequens: Omnes gentes erant vocandæ: admittimus de ijs gentibus, quibus in semine Abrahami promissa fuit benedictio. Nos distributionem in genera singulorum, non in singula generum admittimus.

Decimæ antecedens negamus. Probatio ad rem non facit. *Προφητείας* illæ Davidis, ad vocationem, de quâ loquimur, minimè sufficiunt. Quot enim inter Christianos quoq; sunt, quibus eæ in specie nunquam auditæ, ut gentes taceam, quæ ne fando quidem de Davide vel ejus Psalmis aut ullo libro biblico vel vaticinio divino quicquam perceperunt. Pia igitur hæc sunt Davidis vota: immò & præcepta de hominum officijs generaliter informata, ut per præcones in specie dein applicentur: quibus tamen vocati non possunt dici, nisi qui ea vel audiverunt, vel audire potuerunt. *Quomodo verò audient absq; predicante? quomodo predicabunt, nisi missi fuerint?* Rom. 10. v. 15. Sed si maximè gentes, quæ vel Davidis temporibus vel post ejus tempora vixerunt, effatis istis vocatas concederemus; quid de ijs dicendum fuerit, qui ante Davidem fuerunt? mortui non audiunt.

Undecimam admittimus, si de quibusdam gentilibus inferat: si de omnibus, consequentia nulla erit. Ut enim infidelibus aut fidem saltem non profitentibus non licuit sacrificare, sic nec vocati possunt dici: si ex sacrificandi jure vocatio est inferenda. Quot verò gentes putemus fuisse, quibus Judaicæ Ecclesiæ ritus nunquam auditi sunt? Quas si seriò Deus vocare voluisset, Prophetas emisisset, ut, post Christi tempora, Apostolos emisit ad gentes.

Duodecime

Duodecima consequentiam negamus duplici nomine. I. Quia ex aliquibus ad omnes infertur. Judæi in sacrificijs & precibus suis Spartanorum & Romanorum fecere mentionem. Ergo omnium meminerunt. II. Quia à voto piorum ad vocationem impiorum non valet consequentia. Optant enim & precantur pij, ut vocentur impij & infideles, qui vocati nondum sunt.

Decima tertia primò antecedens negamus, si de omnibus loquatur Ethnicis. Deinde & consequentiam. Ad vocationem enim non sufficit fortuita sacri alicujus libri oblatio: requiritur intellectio & explicatio.

Qui possim, inquit Eunuchus Æthiops, intelligere, nisi quis mihi præierit? Actor. 8. v. 31. Animalis homo non est capax eorum, quæ sunt spiritus DEI: sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur. I. Cor. 2. v. 14.

Decima quarta antecedens negamus. Ortum victimarum humanarum inter Ethnicos Diabolo adscribimus; qui, non ad mysterium redemptionis commendanda & significanda, sed ad Deum offendendum, eas inter Ethnicos institui voluit. Quis verò hoc sine, quem adversarius allegat, frequentata inter Ethnicos sacrificia humana in ullo Ethnicorum libro legit? Quâ igitur hoc temeritate asseritur, eadem à nobis facilitate rejicitur.

CAPUT XVII.

DE CAUSSA IMPELLENTE PRÆDESTINATIONIS ad vitam sententia orthodoxa proponitur & demonstratur; demonstrationes vindicantur à cavillis Lutheranorum & Remonstrantium: & ostenditur contra hos fidem electione priorem non esse: contra utrosq; nec fidem in Christum, nec Christi meritum esse causam electionis.

HActenus de objecto prædestinationis ad vitam. De causâ impellente sequitur ut dispiciamus: quæ de sententia nostra rotundis verbis explicata hæc est:

Cur Deus ex omnibus aliquos saltem ad vitam æternam elegerit, præter solam suam eudoxicam causam nullam habuit: nec fide in Christum; vel Christi merito; nec operibus prævisis motus, nec vel illâ vel his instrumentis usus.

Sententiæ hujus fundamenta sequentia producimus: I. Effecta di-

N

vinæ vo-

vinæ voluntatis non sunt causæ efficientes impellentes vel instrumentales ejusdem voluntatis. At fides in Christum & missio Christi, omniaq; bona opera sunt effecta divinæ voluntatis, ad vitam quosdam destinantis. Ergo non sunt causæ efficientes impellentes vel instrumentales divinæ voluntatis.

Assumptionem ex Scripturâ non est quod operosè contra Lutheranos probemus, cum prolixè eam concedat Hunnius de prædestinatione pag. 407. hisce verbis: *Ita manet decretum prædestinationis causâ non tantum fidei & salutis, sed ipsius etiam missionis & mortis Filij Dei.* Item: *Omnia ex illo fonte promanant, nimirum ex salutari decreto aternæ prædestinationis & electionis nostræ, quod & fidei & salutis nostræ principium & causa est.* Scripturæ testimonia, quæ assumptionem contra Remonstrantes approbant, deinceps suo loco videbimus.

Meisnerus anthropologiæ sacræ disputatione 14. thesi 30. respondet primò ad propositionem; negando eam universalem esse: probatq; cum philosophorum testimonijs, tum exemplis, Rem unam quandoque causam & effectum esse posse. Namque ædificium est causa finalis & effectum architecti. Felicitas est finis hominis & effectum ejusdem, nempe ἐνέργεια ψυχῆς λογικῆς. Corpus est efficiens sanitatis, & eadem sanitas est causa finalis exercitij. Fides effectum est verbi, & causa est, ut verbum existat salutare, &c.

Resp. Unam & eandem rem posse causam & effectum esse γενικῶς non negamus. Patet id exemplis modò allegatis. Etsi postremum ad rem non facit. Aliud enim est verbum: aliud salutaris verbi usus. Etsi igitur fides est causa salutaris usus verbi: non tamen propterea ea est causa ipsius verbi. Admittimus ergo unam & eandem rem posse esse causam finalem & effectum simul ejus, cujus est causa finalis. Sed quid hoc ad propositionis nostræ veritatem labefactandam?

De causis efficientibus impellentibus & instrumentalibus loquimur, de quibus & adversarij in hoc negotio loquuntur. Nisi ergo demonstraverit adversarius: idem respectu ejusdem posse esse & causam impellentem vel instrumentalem, & causam simul impulsam vel per instrumentum productam: contra nos nihil demonstrat. Queritur enim, inter nos & adversarios;

An

An electio impellat DEum ad Christi meritum ordinandum? An verò Christi meritum ordinandum impellat DEum ad electionem?

Prius affirmamus. Etsi, quia de sublimitate divinâ est sermo, idem nos aliter eloqui posse non diffitemur. Posterius negamus. Utramq; simul affirmari posse non iudicamus: quia idem respectu ejusdem non potest esse causa impellens simul & causatum impulsam.

De causâ instrumentali suo loco videbimus.

Ad Assumptionis examen accedit adversarius & respondet: I. meritum Christi & fidem considerari vel ratione divini intuitus, qui fuit ab æterno: vel ratione ipsius actus, qui sequitur in tempore. Sensu illo causam, isto effectum electionis dici: veluti finis præconceptus à primario agente & cupitus vim causæ habet, idem verò effectum est, si consideretur ut productus. Resp. I. Distinctio hæc & explicatio ejus per exemplum ad rem nihil faciunt, nisi demonstraverit adversarius, meritum Christi & fidem esse finem electionis: quod falsissimum esse arbitramur. Non enim ideo DEus aliquos elegit ad vitam æternam, ut Christum mitteret: sed ideo Christum decrevit mittere, quia aliquos ad vitam æternam elegit. II. Si maxime concederemus, Christi mortem finem esse decreti seu voluntatis divinæ de salute nonnullis conferendâ, causa tamen divinæ voluntatis, si Thomæ credimus, propterea non esset: verba ejus part: 1. quæst. 19. artic: 5. in explicatione conclusionis hæc sunt: *Si aliquis uno actu velit finem, & alio actu ea quæ sunt ad finem: velle finem erit ei causa volendi ea, quæ sunt ad finem: sed si uno actu velit finem & ea quæ sunt ad finem, hoc esse non poterit; quia idem non est causa sui ipsius: & tamen erit verum dicere, quod velit ordinare ea quæ sunt ad finem, in finem. Deus enim sicut uno actu omnia in essentiâ suâ intelligit: ita uno actu vult omnia in suâ voluntate. Unde sicut in Deo intelligere causam non est causa intelligendi effectus, sed ipse intelligit effectus in causa; ita velle finem non est ei causa volendi ea quæ sunt ad finem &c.* III. Manifestum est, inquit Thomas comment: in epist: ad Rom: quod nihil potest poni ut ratio prædestinationis, quod est prædestinationis effectus: etiamsi accipiatur pro ut est in DEI præscientiâ: quia ratio prædestinationis præintelligitur prædestinationi, effectus autem in ipsâ includitur: manifestum est autem quod omne Dei beneficium, quod homini confert ad salutem, est divinæ prædestinationis effectus. IV. Hoc ipsum quæritur: An meritum Christi futurum in æterno Dei decreto fuerit causa decreti? Nos negamus; quod simplici suâ

affirmatione adversarius non evertit. Putat tamen duobus exemplis Calvinianos constringi posse. Audiamus ea. Primum, inquit, desumitur à lapsu *πρωτοπλάτων*, ad quem respexisse Deum in decreto reprobationis omnes fatentur Calviniani. Fuit enim ab æterno causa movens Deum ad reprobandum. Et nihilominus docent lapsum Adami fuisse medium & effectum istius decreti immutabilis. Unum igitur idemq; peccatum Adæ habent pro causâ movente, respectu divinæ considerationis; tum pro effectu, ratione temporalis executionis.

Resp: I. Si omnes Calviniani fatentur in decreto reprobationis Deum respexisse ad lapsum *πρωτοπλάτων*: magna igitur Lutheranorum est calumniandi libido, dum absq; ullo peccati intuitu maximam hominum partem ad damnationem esse destinatum, à Calvinianis doceri, ad raucedinem usq; clamitant. II. Per lapsum fuisse Deum motum (secundum communem Theologorum nostrorum sententiam) ad decretum reprobationis faciendum, falsum est. Quin contrarium docent hoc argumento: Si lapsus Deum impulisset ad reprobationem: omnes homines essent reprobatii, quia omnes lapsi. III. Docere nos lapsum esse effectum divini decreti longè falsissimum est. E falsis hisce quod cõcludit non potest non esse falsum. Hoc primum exemplum.

Secundum inquit, petitur à decreto salvationis. Quærit: Annon meritum Christi fide apprehensum sit causa decreti salvationis? Negare, inquit, non poterunt, si thesin suam defendere voluerint. Resp: Ecce, stante thesi suâ, negare non possint? Meritum Christi fide apprehensum est quidem causa salvationis: At decreti salvationis propterea causa non est. Admittimus decretum salvationis & electionis ad vitam non differre. Easdem verò electionis & vitæ decreti, & salvationis esse causas, quis concesserit? Sic enim omnes salutis & vitæ causas sub divinâ ordinatione cõprehensas æternæ electionis esse causas absurdissimè statuendum esset. Observanda igitur Aquinatis regula loco antea allegato: *Vult Deus hoc esse propter hoc: sed non propter hoc, vult hoc*. Sic ab æterno decrevit salvare propter Christi meritum, sed non propter Christi meritum decrevit. Aliud enim salus, aliud decretum de salute. Hactenus prima adversarij responsio.

Respondet II. Æternum Dei propositum duo respicit objecta: alterum personarum, alterum rerum: secundum hæc duæ quasi partes decreti electionis

tionis

ctionis oriuntur, quarum prior in specie personarum electio, posterior medi-
 orum præordinatio vel prædestinatio. Media igitur salutis, nempe Chri-
 sti meritum & fides apprehendens, geminum sortiuntur respectum: cau-
 sã alterum, alterum effectus. Relata enim ad ἐκλογὴν salvandorum causã
 rationem obtinent: siquidem sine merito Christi fide apprehenso nemo
 ad salutem potuisset eligi. Rursus verò relata ad ordinationem medi-
 orum electioni inclusam, sortiuntur rationem effectus, quoniam ideo meritum
 Christi & fides confertur in tempore, quia Deus ita fieri ab æterno ordi-
 navit. Resp: I. Distributionem electionis in partes duas, nempe electio-
 nem personarum & præordinationem medi- orum facile toleramus, nisi
 præordinatio medi- orum ordine prior statuatur electione personarum: et-
 si rectius prædestinatio personarum dicitur esse ad finem & ad media. At-
 tamen, quã morbidam ea causã juvet, non videmus. Ideonẽ media sa-
 lutis causã sunt τῆς ἐκλογῆς personarum, quia nemo ad salutem potuit e-
 ligi, quin ad meritum Christi & fidem idem ordinaretur? Sic certẽ & con-
 ceptio & nativitas, & educatio causã erunt electionis, quia quos elegit
 Deus omnes voluit concipi, plerosq; in lucem edi & nasci. Quidnã verò &
 parentes, & locus, & tempus conceptionis, nativitatis, educationis, partim
 causã, partim circumstantiã? II. Posterius non est causã prioris. Atqui
 ordinatio medi- orum est posterior electione personarum, ut verba habent
 adversarij. Ergo ordinatio medi- orum non est causa electionis personarum.
 III. Si adversario ita licet colligere: sine Christi merito & fide nemo ad sa-
 lutem potuit eligi. Ergo Christi meritum & fides prævisa sunt causã ele-
 ctionis personarum. Quidnã & nobis ita liceat colligere. Sine electione
 personarum media ordinari non potuissent: Ergo electio personarum est
 causa ordinatorum medi- orum. Hactenus secunda adversarij responsio.

Respondet III. Distinguendum esse inter locutiones populares & ex-
 quisitas. Electio igitur cum dicitur causã meriti Christi & fidei, non accu-
 rata sed popularis est loquendi formula, cum vera causã meriti sit gratui-
 tum de missione & passione decretum: fidei verò causã principalis sit Spi-
 ritus Sanctus: instrumentalis verbum. Vocabulum ergo causã, quia latius
 quandoq; sumitur pro omni antecedente; & effecti, pro consequente: eo-
 dem sensu quoq; eãdem loquendi formulã populari, fides effectum electi-
 onis dicitur, quia consequens est electionis: electio verò causã fidei, quia
 antecedens est fidei. Resp: I. Cum igitur & adversarius Christi meritum

& fidem appellet causas electionis, electionem effectum meriti Christi & fidei: fateatur utiq; se non accuratè, ut disputatorem decet, sed populariter loqui. II. Causa, cur adversarius electionem causam esse meriti Christi & fidei negat, prorsus nulla est, quando proxima & immediata causa non tollit remotam & mediatam. Etsi igitur meriti causa est gratuitum de missione & passione decretum, Fidei causa Spiritus Sanctus & verbum; ex electione tamen gratuità tanquam fonte & causâ omnia hæc fluunt. III. Ipse adversarius sibi contradicit. Qui enim causam nominat impellentem & meritoriam, is certè causam propriè & accuratè sic dictam intelligit. Adversarius Christi meritum fide apprehensum haud semel causam impellentem & meritoriam electionis nominat. Causam igitur propriè & accuratè sic dictam intelligit. IV. Sed sit sanè electio antecedens, Christi meritum fide apprehensum necessarium consequens: hoc ipsum causam non minus nostram juvat, quam si causæ & effecti appellationes retineas. Ut enim idem respectu ejusdem non est causa impellens vel instrumentalis, & effectum simul earundem causarum: sic nec idem antecedens simul & consequens esse potest. Hactenus tertia adversarij responsio.

Respondet IV. Ex observatione Theologorum, quædam dici de toto, quæ totum est, quædam de toto propter aliquam ejus partem. Quoniam igitur electionis decretum veluti causa princeps ingreditur gratia & dilectio Dei, à quâ, ceu primo fonte emanat omne, quod nostram ob salutem fit, & in tempore donatur: ideo meritum Christi & fides electionis effectum dicuntur non ob ipsam electionem totam, sed ob amorem & gratiam electioni inclusam. Resp: I. Novimus logicum esse Canonem: *Quod est partis, quæ pars est, tribuitur toti secundum illam partem*: ejusdem sensus videtur esse, qui ab adversario allegatur: *quædam de toto propter aliquam ejus partem dicuntur*. Insunt enim quædam partibus, quæ partes sunt, hoc est, suo toti adhærent: quædam non quæ partes, sed quæ substantiam & proprietates habent à toto diversas. Quæ prioris sunt generis, de toto rectius dicuntur & demonstrantur, quàm de partibus; quia, destructo toto, partibus amplius non conveniunt: ut videre oculo, audire auri, gustare linguæ, &c. Cui canoni an præsens exemplum rectè accommodetur, haud immeritò dubitari potest. Nam si gratia & dilectio est efficiens princeps decreti electionis, utiq; pars propriè sic dicta non est. Nec enim efficiens princeps est pars totius à se producti: aliàs Deus esset pars mundi: ut nec pars est efficiens prin-

ens prin-

ens princeps totius. Sed admittamus sanè locutionem hanc non ut accuratam & acroamaticam, sed ut popularem. Hæccine verò sufficiens causa, ut meritum Christi & fides effecta electionis appellentur, quia dilectionis, è quâ fluit electio sunt effecta, non verò ipsius electionis è dilectione fluente? Exemplo rem probat. Pars, inquit, familiæ sunt liberi, & ejusdem pariter effecta rectè dicuntur, propter parentes, qui illos genuerant. Malè, inquam, liberi dicuntur effecta totius familiæ, è parentibus, liberis, servis & ancillis constitutæ: rectè solorum parentum. At, inquis, visio effectum dicitur totius hominis, cum non nisi ab oculis, quâ hominis sunt partes, proficiscatur. Exemplum, inquam, dissimile est; visio proficiscitur ab animâ totius hominis per oculum, quatenus toti actu adhæret (unde rectè toti tribuitur, secundum canonem, Quod est partis &c.) separatus enim ab homine oculus amplius non videt. Liberi non proficiscuntur à formâ totius familiæ, sed à solis parentibus, & separati à familiâ vel parentibus, parentum nihilominus manent effecta. II. Sed transeant hæc: Concedamus Christi meritum & fidem effecta electionis appellari posse, eo modo, quem adversarius explicat. Anne verò electionis, uti à dilectione distinguitur, propterea effecta non esse sequitur? Itane subordinata pugnant, ut ab ejusdem effecti participatione se excludant? III. Ecceur, quæso, missionem & passionem Filij divina misericordia decrevit, nisi quia electionis decretum per eam exequi decrevit? Decrevit igitur Deus Filium mittere, quia in misericordiæ suæ gloriam aliquos ad vitam destinavit; non verò ideo ad vitam aliquos destinavit, quia decrevit Filium mittere.

Hactenus prima nostra ratio vindicata, succedit

II. Media ad executionem electionis divinæ destinata, non sunt causæ vel impellentes, vel instrumentales ipsius electionis. At Christi meritum & fides sunt media ad electionis divinæ executionem destinata. Ergo non sunt causæ ipsius electionis. Propositionis ratio est, quia etiam quoad intentionem eligentis media sunt posteriora electione. Electio enim ex intentione eligentis, ratione ordinis, primum est ad finem, deinde ad media finis assecutioni præstituta. Nisi surgat forsan, qui novam nobis logicam cudat, & doceat finem esse mediorum gratia, non media finis gratiâ. Assumptio ex eventu manifesta est.

Respondet adversarius I. Medium decreti salvationis tanquam finis esse Christi meritum juxta Calvinianos: & tamen hoc ipsum meritum esse
causam

causam istius decreti. Resp: Christi meritum esse medium salvationis cōcedimus. At decreti salvationis medium esse negamus. Aliud enim salvatio, aliud decretum salvationis. Instat, futile discretum esse, : Meritum Christi est quidem causa salutis, sed non electionis. Rationem subjicit. Si enim absolutè prædestinamur ad salutem, absolutè etiam eadem conferatur. Nos verò discretum hoc futile esse pernegamus, & inter decretum & decreti effectum perpetuò distinguimus. Illud enim æternum, hoc temporale : illud non nisi solum Dei beneplacitum causam agnoscit, estq; à Deo immediatè factum; hoc præter Dei beneplacitum causas multas intermedias habet. Nec movet nos adversarij ratio, quæ minimè nos attingit; nec enim nos quovis respectu absolutam esse prædestinationem docemus. Fatemur ultrò prædestinationi ad gloriam subordinata esse media, per quæ in tempore exequi decretum Deus ab æterno voluerit : etq; media à prædestinatione pendentia ipsius prædestinationis esse causas constanter negamus. Repetimus Aquinatis pronunciatum. *Deus vult hoc propter hoc, sed non propter hoc vult hoc.*

Respondet II. Meritum Christi non esse propriè medium electionis. Non enim, inquit, Deus primum absolutè aliquos elegit, & postea media ordinavit : sed contra, primum media ordinavit pro omnibus : quia verò non omnes accepturi erant, ideo non omnes elegit. Sic ergo decretum mediorum ordine prius est decreto electionis. Resp. I. Christi meritum propriè esse electionis medium nos non affirmamus. Est enim electio immediata, quia internum Dei decretum est sine ullo instrumento vel medio factum. Interim tamen non minus est ad media, quàm ad finem. Ipsa ordinatio mediorum est immediata : nec enim per media Deus ordinavit, sed media ordinavit immediatè. Quod mirum est ab ijs tandem aliquando non posse comprehendere, qui nil non sibi videntur posse comprehendere. II. Electioem absolutam esse ratione mediorum ad finem destinatorum nemo unquam nostrum affirmavit. Pro absoluto enim decreto cum dimicamus, causas duntaxat decreti alias, præter Dei *εὐδοκίαν*, excludimus : media verò ad finis assecutionem in eodem decreto ordinata, minimè. Uno & eodem simplicissimo actu ad finem & ad media ab æterno ordinati sumus. III. Media esse ordinata pro omnibus, falsum esse supra diximus. IV. Apprehensionem mediorum causam esse electionis, falsum est. Sic enim nos Deum ad electionem permovissemus. Scriptura docet nos apprehendere

hendere

hendere media, quia sumus electi, ut pluribus deinceps monstrabimus. V. Decretum mediorum ordine prius esse decreto electionis ab adversario absurdè & contradictoriè asseritur. Absurdè: quia ut nemo sanus media quoad intentionem priora esse sine affirmat: sic nec ordinationem mediorum constitutione finis priorem esse in consilio & decreto sapienti quisquam sanæ mentis affirmat. Contradictoriè: quia paulò ante duas decreti electionis partes constituit, & priorem esse dixit electionē personarum; posteriorem præordinationem mediorum. Et rectè quidem: sunt enim media propter personas primò ad finem destinatas, non personæ propter media. Hactenus secunda nostra ratio vindicata, sequitur.

III. Si Deus ad vitam æternam ideo nos elegit, quia prævidit, nos Christi meritum fide apprehensuros: prævidit aut ex liberi arbitrij viribus nos fide id apprehensuros; aut per fidem à Spiritu Sancto in nobis excitatam, omnibus naturæ depravatæ obicibus per gratiam remotis. Prius plusquam Pelagianum est. Posterius fidicatur, sensus hic erit: Deus ad vitam æternam nos elegit, quia decrevit fidem in nobis per Spiritum Sanctum excitare, omnibus naturæ depravatæ obicibus remotis, perquam Christi meritum apprehendamus, & sic æternæ vitæ participes reddamur. Nihil enim aliud esse potest prævisio hujusmodi, quam decretum. Quid verò aliud hoc nisi decretorum divinorum ordinem pervertere? Anne verò finem propter media nobis Deus decrevit, & non media propter finem?

IV. Si ideo aliqui ad æternam vitam sunt electi, quia Deus omnes naturæ depravatæ obices removere & fide in Christum donatis Christi meritum decrevit applicare; sequitur ideo alios non esse electos, quia depravatæ naturæ obices ab ijs non removere & fide in Christum eos non donare decrevit. At consequens ex sententiâ Lutheranorum est falsum. Negant enim expressè causam paucitatis electorum ad Dei decretum ex parte causarum impellentium absolutum esse referendam. Ergò & antecedens. Connexio est, quia contrariorum effectorum causæ sunt contrariæ.

V. Scriptura altiorem divino beneplacito causam nostræ salutis nullam nobis monstrat. Ergo nec ulla nobis est fingenda. Antecedens concedunt adversarij Lutherani, dum ajunt, à gratiâ & dilectione ceu primo fonte emanare omne id, quod nostram ob salutem fit. Hanc causam quoque missi & dati Christi ipse Christus allegat, Johann: 3. v. 16. *Sic DEUS dilexit mundum,*

O

Respon-

Respondet adversarius, voluntatis divinæ beneplacitum esse summam causam in efficiendo salutem; meritum Christi cum in promerendo salutem, tum in movendo & impellendo beneplacitum voluntatis divinæ.

Resp. I. Quasi verò impellens causa ad efficientis causæ genus non pertineat. II. Si Christi meritum impellit & movet divinam voluntatem, prima salutis nostræ efficiens causa non est Dei voluntas, sed Christi meritum; adeoq; beneplacitum voluntatis fluit ex Christi merito, non Christi meritum ex beneplacito voluntatis, contra adversariorum assertionem, quam in ratione nostrâ allegavimus. III. Voluntatis divinæ præter Deum causam propriè sic dictam assignare, absurdum est. Sic ratio docet, sic Augustinus docet, lib: 1 de Genesi, contra Manichæos cap. 2. *Causas voluntatis DEI scire querunt, cum voluntas DEI omnium que sunt, ipsa sit causa. Si enim habet causam voluntas DEI, est aliquid quod antecedit voluntatem DEI, quod nefas est credere.* Idem ostendit Thomas part: 1. q. 19. art. 5. ubi in responsione ad primum hæc observanda verba. *Voluntas DEI rationalis est, non quod aliquid Deo sit causa volendi, sed in quantum vult unum esse propter aliud.* Idem repetit lib. 1. contra gentes cap. 87. videatur Ferraricus in idem caput. Scoti verba lib. 3. Sentent. distinct. 32. q. unicâ in Tartareti commentario hæc sunt: *Sola divina essentia est ratio formalis volendi voluntatis, quia à nullo alio movetur, quia vilesceret.* Zanchiam accurate hoc explicantem vide lib. 3. de natura DEI, cap. 4. q. 11. IV. Nonne verò adversarij responsio contraria est assertio in Christi? Christus amore erga genus humanum, hoc est, benevolâ suâ voluntate impulsam Deum asserit, ut Filium mitteret & credentes in eum salvaret. Adversarius ordinem invertit, & benevolam voluntatem à Christo impulsam ait.

VI. Omnis actio Dei æterna & interna est immediata ex parte causæ instrumentalis. Electio ad vitam æternam est actio Dei æterna & interna. Ergo est immediata ex parte causæ instrumentalis: & per consequens fides non est causa instrumentalis electionis. Propositio adeo manifesta est, ut mirum sit, quâ contrarium ulli unquam homini in mentem venire potuerit. Quod enim, quæso, intellectionis aut volitionis divinæ instrumentum excogitari possit? cum ne in spiritu quidem rationali ullum admittatur. Ecquæ immediata Dei esset actio, si æterna & interna non esset?

VII. Si fides est causa instrumentalis electionis; sequitur ipsius DEI
causam

eam esse causam instrumentalem, At consequens absurdissimum. Ergo & antecedens. Connexi ratio est, quia actio Dei interna & æterna idem est realiter cum Deo. Assumptio apud omnes sanos in confesso est. Est enim Deus primum ens, & prima causa independens. Hoc equidem absurdum adversarijs non tribuo: rationem tamen hanc produco, ut phraseos saltem absurditatem intelligant. Nam si fides electionis, quæ aliud nihil est nisi Dei volitio, esset causa instrumentalis; nonne sequeretur, electionem produci per fidem? Est igitur hæc loquendi formula admodum popularis, quod & Meisnerus ipse animadvertit, cum quasi sese recolligens ait, fidem esse causam instrumentalem, non quidem totius decreti, sed potius partis, nempe meriti Christi, quod fides apprehendit. Sed nec hinc accuratam loquendi formulam animadverto. Primum enim, quis electionis, quæ Dei volitio est, partem propriè sic dictam concedat esse meritum Christi? Volitio simplicissima, impartibilis, indivisibilis est, etsi varia ejus sunt vel effecta vel objecta volita, ut ita loqui liceat: quæ de re supra quoq; Deinde & hoc nimis est popolare, fidem appellare causam instrumentalem meriti Christi, cum sit non meriti, sed apprehensionis causa. Deniq; quid attinet ænigmaticis hisce uti locutionibus? Cur non rotundè & perspicuè sententiam vestram explicatis? nempe fidem non esse causam instrumentalem ipsius decreti, sed quorundam ex ijs, de quibus est decretum: nempe, & apprehensionis meriti Christi, & consequenter ipsius salutis. Ita è nostris nemo vobis contradiceret. Quamdiu verò fidem ipsius electionis causam appellatis, non possumus non contradicere.

VIII Ut ergo pateat, quàm necessaria sit decreti divini ab executione distinctio; & planum fiat, non esse protinus decreti causam, quod executionis & actionis externæ causa est: de Christi merito hunc quoq; in modum arguo. Si Christi meritum est causa propriè sic dicta electionis æternæ & internæ; sequitur id causam esse Dei, & proinde Deum non esse *αὐτῆς* independentem. At consequens absurdissimum. Ergo & antecedens.

IX. Si electio flueret ex fide prævisâ; Apostolus Actor. 13. v. 48. dixisset, ordinati fuere ad vitam quotquot crediderunt. At invertit hoc Apostolus, & *τὸ credere* deducit ex ordinatione ad vitam. Non igitur fuit ordinatio ad vitam ex prævisione fidei; sed prævisio, hoc est, decretum conferendæ fidei ex ordinatione ad vitam: hoc nimirum ordine, ut prædesti-

natio sit prius ad vitam quàm ad fidem. Etsi vitam sine fide conferre Deus non decrevit.

Respondet adversarius I. Expositum esse quo sensu fides sit effectum & causa electionis. *Resp.* I. haud obscure negavit fidem esse electionis causam, cum non nisi meriti Christi causam esse affirmavit. At Christi meritum non est electio. II. explicatio illa principium petit & Apostolo contradicit. Dixit enim fidem ad ἐκλογήν personarum relatam habere rationem causæ, ad ordinationem mediorum rationem effecti. At hoc ipsum quaeritur, an fides relata ad ἐκλογήν personarum ad vitam, habeat rationem causæ τῆς ἐκλογῆς? Apostolus hoc loco subjungit ordinationi ad vitam τὸ credere tanquam effectum: *crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam.* En tibi fontem fidei. Sed quam glossam heic adferat videamus.

Respondet II. Fides non tam effectum, quam consequens electionis dicitur. Sensus enim simplicissimus est, Electi ab æterno crediderunt in tempore. Electio præcessit, fides sequitur. Est igitur descriptio fidelium ab æternâ electione. Non redditur causa cur pauci crediderint. *Resp.* I. Cum æterna Dei electio aliud nihil sit nisi Deus ab æterno eligens, quâ fronte quæso negat adversarius, fidem esse effectum electionis, quod Hunnius ultro concedit? II. Ut in tempore ad electionem fides se habet, sic in æterno quoq; intuitu se habuit. Nec enim aliud Deus fidem ab æterno voluit aut prævidit esse, quam in tempore fuit. III. Causam non reddi, cur pauci crediderint, falsissimum est. Ex ijs enim, qui Apostolos audiverant, crediderunt alij, alij non crediderunt, hoc est, fides alijs per gratiam est data, alijs non data, seu ut Augustinus loquitur, *alijs preparantur voluntates, alijs non preparantur.* Quam quæso ob causam? *Respondet* Apostolus, *crediderunt, quotquot ad vitam erant ordinati.* Nonne fidei rivulos ex ordinationis ad vitam fonte deducit? Et ut causam hic reddi appareat: quæro quæ causa sit cur ex Apostolorum auditoribus alij crediderint, alij non crediderint? Diversitas eventuum horum est, vel quod obices fidei alij removerint & ad fidem se disposuerint, alij non item: vel quod obices in nonnullis Deus removerit, & voluntates ipsorum efficaciter flexerit, in alijs non item. Si prius eligis, *πελαγισμός.* Si posterius: amplius quæso, cur in alijs obices Deus removerit & voluntates ad credendum efficaciter flexerit? reddi nulla alia potest ratio, nisi Apostolica, *quia ad vitam sunt ordinati, quando fides medium est ad vitam destinatum.*

NOB

Non igitur vitam nobis Deus decrevit, ut per eam assequeremur fidem, sed fidem, ut per eam assequeremur vitam. Est igitur fides in decreto Dei vitæ posterior, & proinde electio ad vitam ex electione ad fidem non est deducenda, sed hæc ex illâ. Summa: qui Pelagianismum non verbis tantum sed & reipsâ animè detestantur & ejurant, non possunt non fateri fontem fidei ab Apostolo heic ostendi, nempe ordinationem seu electionem ad vitam. Longè impudentior est Hunnij glossa: verba enim: *quotquot erant ordinati ad vitam*: sic interpretatur: Quotquot ordinem ad salutem à Deo constitutum sunt secuti. Itanè verò ad vitam æternam à Deo ab æterno ordinatum esse, idem est, quod, ordinem à Deo constitutum sequi? Apostolus de Dei actione loquitur, Hunnius de hominum actione. Quis verò unquam hominum, *ordinatum aliquid esse*, interpretatus est, *ordinem ab aliquo constitutum sequi*: ænigmata hæc sunt quovis Apollinis oraculo obscuriora. Ita scilicet tractanda est scriptura; ut præceptis hominum opinionibus patrocinetur. Glossam hanc quoq; elidit germanica Lutheri interpretatio, quæ vocem *τεταγμένοι* reddit, *veròrdnet*. Ab Hunnij hæc *παρεσκευηία* non longe abit *Remonstrantium* glossa collat: Hag: pag. 99. *Non dicit, inquit, Lucas eos, qui credebant à Deo in æterno suo consilio ad fidem atq; ita ad salutem predestinatos fuisse; sed credidisse, quotquot ad vitam æternam erant ordinati & dispositi: respiciens non ad aliquem præordinationem aut predestinationem Dei ad salutem, sed presentem conditionem, dispositionem, habilitatem seu aptitudinem Gentilium, quâ Dei gratiâ præditi erant, ut ad vitam æternam pervenirent.*

Resp: I. Corruptelam hanc ex Socino & Arminio hauserunt. Voce *τεταγμένοι*, *dispositionem, habilitatem seu aptitudinem* indigitari, æternùm nunquam demonstrabunt Remonstrantes; quæ glossa tum demùm haberet locum, si pro *τεταγμένοι* Lucas diceret, *διατεθειμένοι*; *διάθεσις* enim dispositionem & habilitatem significat, *τάξις* nunquam. Unde rectè Chrysostomus vocem hanc reddidit *ὠρισμένοι* hoc est, *definiti seu destinati*. II. Si voce *τεταγμένοι* significaretur dispositio seu aptitudo quædam ad fidem, præcedens fidem, uti iidem volunt pag. 116. Lucas dixisset potius, *credidisse quotquot erant τεταγμένοι ad fidem*, quam ad vitam, quia dispositio illa ad fidem immediatè pertinuisset. III. Ajunt Remonstrantes, aptitudine illâ Gentiles per Dei gratiam fuisse præditos, ut ad vitam æternam pervenirent.

Fuit igitur aptitudo ista destinata ad vitam tanquam medium ad finem. Prius igitur destinati fuerint Gentiles ad vitam quam ad fidem, & sic ordinatio ad fidem fluxit ex ordinatione ad vitam, quæ nostra & Apostoli sententia est. IV. Cur non rotundius eloquuntur quod sentiunt? Nempè dispositionem & habilitatē illam inbibere hominis arbitrio sitam esse: quam Remonstrantium & Arminianorum sententiam esse, tam est certum, quam certum esse dies jam docet, de Socinianismo & Pelagianismo in Ecclesiam invehendo ipsos esse sollicitos. Sed mittamus hæc: ad sequentia pergamus. Confert adversarius Apostoli pronunciatum cum hoc pronunciato. Crediderunt quotquot Deus justificare voluit. Ergone, inquit, sequitur, per fidem nos non justificari. Resp: ut vitæ, ad quam ordinati sumus, causam in suo genere agnoscimus esse fidem, non verò ordinationis ad vitam: sic & justificationis causam esse fidem concedimus, non verò ipsius ordinationis ad justificationem. Itaq; illatio hæc ad rem non facit. Sic enim ex Apostolo nos arguimus: crediderunt quotquot ad vitam sunt ordinati. Ergo fides non est causa ordinationis, etsi causa est vitæ. Similiter igitur hunc in modum inferendum erat: crediderunt quotquot ad justificationem sunt ordinati. Ergo fides non est causa ordinationis, etsi causa est justificationis.

Respondet III. Vocabulum ordinationis observari debere, quod electionem non absolutam, sed certo cum ordine factam esse innuit. Resp: Nos hoc non ferit, qui ordinem ab electione non removemus.

X. Paulus ait 1. Cor: 7. v. 25. *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem:* Ergò misericordia Dei, quæ misericors est electio, non fluit ex fide, sed fides ex electione misericordie.

XI. Si ideo sumus electi ut sancti & inculpati essemus: utiq; ideo non sumus electi, quia sancti, inculpati, & proinde fideles eramus. At verum prius: Ergo & posterius. Assumptio Apostoli est Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipso antequam jacerentur fundamenta mundi, ut simus sancti & inculpati coram eo per charitatem.* Non ait Paulus, inquit Hieronymus, *elegit nos ante constitutionem mundi cum essemus sancti & immaculati, sed elegit nos ut essemus sancti & immaculati, hoc est, qui sancti & immaculati antea non fuimus, ut postea essemus.*

Excipiunt Remonstrantes I. Non colligi ex allegato Apostoli loco fidem esse electionis fructum, quia in textu habetur, *ut essemus sancti & inculpati,*

NON

non, ut crederemus. II. Loqui Apostolum non de hominibus, qui electi sunt ut crederent, sed de fidelibus, qui electi sunt, ut sancti sint, quos antea appellarat *benedictos & fideles*. III. Verba illa, *ut sancti coram eo & inculpatis simus*, non respicere conditionem fidelium in terrâ, sed quæ illis futura est post, in cœlis, in gloriâ: sensum igitur esse: *elegit nos ut salvi essemus*.

Resp: Ad I. Fidem electionis fructum seu consequens esse ex allegato loco optimè colligitur. Nam si elegit nos Deus jam actu fideles in conspectu divino, utiq; elegit quoq; jam actu sanctos. Fides enim & sanctitas nexu indissolubili & perpetuo junguntur. Quî igitur Apostolico effato sua constabit veritas? *Elegit nos ut essemus sancti*: nonnè invertendum fuerit? *Elegit nos quia eramus sancti*. Si ergo elegit nos nondum sanctos ut demum essemus sancti: utiq; elegit quoq; nondum credentes ut demum crederemus. Videant quæso Remonstrantes ex hoc ipso loco contra se fulminantem Augustinum lib. 1. de præd. sanct. cap. 17. 18. 19. Brevicula sententia est, quam sæpius, quoad sensum ingeminat: *Elegit Deus fideles, sed ut sint, non quia jam erant*. II. Ex ijs quæ dicta sunt modò, patet falsam esse hanc Remonstrantiû glossam. Cum enim fideles eo ipso momento, quo sunt fideles, etiam sancti coram Deo reputentur: præpostere dicerentur electi fideles ut demum post electionem essent sancti, qui ante electionem jam erant sancti. Itaq; si maximè concedamus Remonstrantibus fidem non esse partem sanctitatis, sed causam: argumenti nostri robur nihilominus invictum esset. Nisi probaverint actu fideles in conspectu Dei pro sanctis non fuisse reputatos. Sed & sanctitatis voce fidem tanquam partem comprehendendi, etsi alias sanctitas à fide ut fructus ab arbore distinguitur, à Contraremonstrantibus seu orthodoxis haud malè asseritur. Nec enim ratio adferri potest idonea, cur fides sanctitatis nostræ pars minus rectè appelletur, quàm alia quævis virtus Christiana. Certè Apostolus ad Gal. 5. v. 22, dum Spiritus fructus, in quibus nostra sanctitas consistit, enumerat; non fidem minus quàm alias virtutes nominat, & Christianæ sanctitatis partem constituit. Nec est quod quæquam moveat, quod sanctitas alias à fide distinguatur tanquam fructus ab arbore. Hæc enim distinctio perpetua non est: sanctitatis enim nomine quandoq; totus virtutum Christianorum chorus comprehenditur, cujus fides quoq; pars est: quandoq; verò boni fructus à fide tanquam arbore distincti indigitantur. Etsi igitur fides virtutum Christianarum à fide distinctarum est quasi arbor aut principium: sanctitatis tamen, & fidem
& reli-

& reliquas virtutes complexu suo continentis, quo minus appelletur pars nihil obstat: cum videamus ad unum totum tanquam partes referri, quæ invicem ut causæ & effectus se habent. Sic exempli gratia: Cælestia corpora inferiorum perhibentur causæ, quæ tamen non minus universi constituunt partes quàm ipsa corpora inferiora, sublunaria. Theophylactus, paraphrasi in locum Pauli præsentem, per sanctos intelligit *fidei consortes*, per immaculatos, *qui inculpatae sunt vitæ*. Arborem igitur & fructus ab Apostolo duabus istis vocibus significari docet. Quod verò Paulus electos Ephesios in præcedentibus appellavit benedictos & fideles, Remonstrantium causam non juvat, sed lædit potius: fontem enim benedictionis & fidei ostendit electionem & prædestinationem *eis iohannis*. Ad III. Verba Pauli respicere tantum ad conditionem fidelium in futurâ gloriâ, falsissimum est. Sanctitatis enim & inculpatae vitæ, de quâ loquitur, certi dantur gradus, quorum aliqui præsentem, aliqui futuram vitam respiciunt: tam illos quàm istos intelligit Paulus. Nec enim Deus nos elegit ut in alterâ demum vitâ inculpati essemus, sed ut sanctitatem quoq; in hâc vitâ inchoaremus, & per gradus in hâc vitâ inferiores ad superiores contenderemus. Idem sensus est reliquorum locorum Ephes: 5. v. 26. 27. Coloss: 1. v. 20. 21. 22. 23, & Remonstrantibus allegatorum.

XII. Quos Deus prædestinavit in adoptionem filiorum, eos etiam prædestinavit ad fidem. Atqui Ephesios & Ephesiorum similes prædestinavit in adoptionem filiorum. Ergo ad fidem quoq; prædestinavit. Et per consequens fides est ex prædestinatione, non prædestinatio ex fide.

Propositionis ratio est, quia prædestinationi ad finem, nempe *iohannis*, subordinata est prædestinatio ad medium nempe fidem, per quam adoptamur in filios, Johan. 1. v. 12. Assumptio est Pauli Ephes. 1. v. 5.

Excipiunt *Remonstrantes* I. Non esse firmam nostram consequentiam, quia Paulus non loquitur de ullâ prædestinatione ad fidem, sed ad adoptionem filiorum. Deus autem, inquiunt, cõsideravit eos, quos in adoptionem filiorum prædestinavit, ut fideles, & quia tales prædestinavit in adoptionem. II. Locum igitur hunc sibi patrocinari hoc modo. Qui prædestinati sunt in adoptionem filiorum, sunt prædestinati in hæreditatem salutis Rom: 8. v. 17. Fideles verò quia fideles sunt prædestinati in adoptionem filiorum Ephes. 1. v. 5. Joh. 1. v. 12. Ergo fideles, quia fideles sunt prædestinati ad hæreditatem salutis.

Resp:

Resp: ad I. Firmissima est nostra consequentia, quia prædestinationi ad finem, subordinata est prædestinatio ad media. Nec enim quisquam sanæ mentis, ne dum immensa & æterna Sapientia ordinationem mediorem præmittit constitutioni finis. Quod ajunt, considerasse Deum eos, quos in adoptionem filiorum prædestinavit, ut fideles, & qua tales prædestinasse in adoptionem: ambigue loquuntur. Si enim hic sit sensus, *Fuisse jam actu fideles quos Deus in adoptionem prædestinavit, adeo ut fides sit conditio in prædestinandis prærequisita*: fallunt & falluntur. In filios enim Deus prædestinavit non fideles, sed inimicos & peccatores, quos prædestinando ad finem & media sanctos & amicos suos erat factururus. Sensus igitur orthodoxus hic est: quos Deus in adoptionem prædestinavit, consideravit ut fideles, nempe demum futuros per prædestinationem ad fidem, prædestinationi ad adoptionem subordinatam: secus, si Deus actu jam fideles prædestinasset in *υποθετικῶν*, filios utiq; jam suos in adoptionem filiorum prædestinasset: nec enim actu fidelis est, qui actu filius non sit. Ad II. Assumptio syllogismi ambiguitate laborat, quam modò explicavimus.

XIII. Si iudici ideo non crediderunt, quia non erant ex ovibus CHRISTI: sequitur eos, qui credunt, ideo credere, quia sunt ex ovibus CHRISTI, hoc est electi. At verum prius Joh: 10. v. 26. Ergo & posterius: Et proinde fides fluit ex electione.

Excipiunt *Remonstrantes* I. ovem Christi esse non idem esse, quod ad vitam æternam electum esse: quia Christus Matth. 10. v. 6. & 15. v. 24. *domum Israël nominat oves perditas*, in quibus multi erant, ad vitam æternam non electi. II. Si Christi ovem esse, idem est quod ad vitam æternam electum esse, hi vero propterea non credebant, quia non erant electi: sequi, infidelitatem esse fructum reprobationis, quod absurdum. III. Genuinum loci sensum esse: eos propterea non credidisse, quoniam Christum non agnoscebant pastorem & doctorem, neq; volebant esse ejus discipuli, vocem ejus audire & Patris voluntatem facere.

Resp: ad I. CHRISTUS in Novo Testamento nusquam ovium suarum nomine alios intelligit quàm electos. In loco allegato oves perditæ appellantur electi nondùm conversi, propter quos convertendos & servandos Christus venit. Quod si verò ovium illarum perditarum nomine etiam reprobos intelligi contendas: observandum fuerit, Christum *γενικῶς* loqui de *ovibus perditis*, quas inter electi & reprobi esse possunt: non in specie de suis

P

ovibus,

ovibus, quæ non sunt nisi electi. Ad II. Non sequitur propterea infidelitatem esse fructum reprobationis. Nec enim omne consequens est fructus antecedentis. Certum quidem est & eos, qui pereunt infideles, fuisse credituros, si ad vitam æternam fuissent electi. Attamen infidelitatis propterea causa non est reprobatio, nisi forsitan causam appellare libeat *sine quâ non*, aut *deficientem*. Reprobavit enim Deus peccatores, qui, Deo suam ipsis negante gratiam, quam ab æterno decrevit negare, nativæ & insitæ pravitatis vitio sunt & manent infideles, pullulantem ex originali malo infidelitatem Deo ab ipsis non auferente. Ad III. Sensus, quem Remonstrantes adferunt, meram gignit tautologiam. Quid enim aliud est, *non credere*, quam *Christum non agnoscere pastorem & doctorem, neq; velle ejus esse discipulum vel vocem ejus audire*? Paraphrasis igitur verborum Christi, *vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis*, hæc esset: *Vos non creditis, quia non creditis.*

XIV. Si non prius ad Christum venimus, quàm secundum æternum decretum à Patre Christo demur: utique fides in Christum, quâ venimus ad Christum, non est prior traditione, quæ fit per æternum decretum. At verum prius: ergò & posterius.

Assumptio patet è Christi verbis Joh: 6. v. 37. *Quicquid pater mihi dat, ad me veniet*. Dare patris est ab æterno ad vitam in Christo obtinendam prædestinare: venire ad Christum, est, interpretibus *Cyrillo & Theophylacto*, in Christum credere, quod & antecedentia Christi verba expressè docent, è quibus patet opponi, non credere & ad Christum venire. Docet igitur expressè Christus causam cur ad Christum nonnulli veniant, nempe, quia à Patre dantur Christo.

Excipiunt *Remonstrantes*, si illud dari accipiatur, pro dari ad servandum: fideles esse illos, qui Christo dantur.

Resp: si fideles intelligant prius quàm dentur Christo, expressè contradicunt Christo. Monstrat enim Christus, unde sit, quod nonnulli ad se veniant, hoc est, credant; nempe, quia à Patre dantur. Quod si ergo ex Remonstrantium mente fideles nonnulli sunt prius quam dentur Christo; invertenda erunt Christi verba, hoc modo, *Quicquid ad me venit, Pater mihi dat.*

XV. Si ideo sumus electi, quia Deus decrevit fidem nobis donare, utiq; ad fidem tanquam terminum sumus electi. At consequens ex sententiâ adversarij falsum est. Ergò & antecedens. Connexi ratio est: quia ut incon-

sequens

sequens simile hoc connexum nemo rejicit. Si ideo Deus decrevit, nobis fidem donare, quia decrevit nos salvos facere, utiq; ad salutem tanquam terminum sumus electi. Sic, qui exulem viatico instruit, ut in patriam reducatur, non terminum ipsi monstrat viaticum, sed patriam, quam per viaticum assequatur.

XVI. Si ideo Jacobum Deus dilexit, quia prævidit eum crediturum, Esavum odio habuit, quia prævidit eum non crediturum: utiq; Paulus Rom: 9. ad occupationem de injustitiâ Dei responsurus rationem hanc assignasset, captui occupantium longè accommodatissimam. Cum enim versiculo 12. testimonium Prophetæ allegasset. *Jacobum dilexi, Esavum odio habui, quos in se pares fuisse (cum nec boni, nec mali quicquam fecissent)* vers. 11. dixerat: versu 14. interrogat: *Num injustitia est apud Deum?* Occupationem verò ex præcedentibus hanc fuisse liquet.

Injustus est, qui æqualibus tribuit inæqualia. At Jacobus & Esavus in se considerati fuere æquales: cum enim unum amaret, alterum odio haberet, neuter erat natus, neuter quicquam boni vel mali fecerat. Ergo injustus est Deus, qui inæqualia illis tribuit: uni amorem, alteri odium.

Si ulla in Jacobo fuisset prærogativa, nonne opportunum fuerat eam hoc loco explicare, & assumptionem negare. Jam verò concessâ assumptione propositionem negat, ut patet ex subjectâ ratione v. 15. & sequentibus: *Miserebor, cujus misertus fuero, & commiserabor, quem commiseratus fuero. Nempe igitur non est ejus, qui velit, neq; ejus, qui currat, sed miserentis Dei. & v. 18. Cujus vult, miseretur, quem vult, indurat.* Nil poterat certè aptius & accommodatius ad omnem difficultatem tollendam à Paulo proferri, quàm prærogativa Jacobi seu prævisa Jacobi fides & pietas: si amoris divini causa ea fuisset. Nec moror jam eos, qui non de electione & reprobatione ad vitam vel à vitâ, sed de extremâ duntaxat prærogativâ Paulum verba facere excipiunt. Hoc enim præterquam quod falsum est, ut patet ex vers. 21, 22, 23, & seqq: ex scopo Pauli & connexionem omnium membrorum: etiam sententiæ nostræ robur non infringit. Nam si ne temporale quidem bonum largiri Jacobo decrevit ob prævisam pietatem, multo minus decreti de vitâ æternâ conferendâ causa erit prævisa fides & pietas.

Ad hoc argumentum *Remonstrantes* pag. 120. Collat: Hag: *excipiunt*:
I. Non omnia quæ alicui objiciuntur probabiliter objici. Sapientem itaq; qui hominum ingenia perversa norit, apud se aliquas objectiones excogi-

tare, quæ propterea nihilo probabiliore erunt. Hujusmodi quoq; ajunt esse hanc Apostoli objectionem, quam Judæis tribuit, qui doctrinæ Apostolicæ quod objicerent, non habebant. II. Hanc objectionem nullis nixam rationibus, quia Apostolus nihil dixerat, quo posset inferri probabiliter, *Deum esse injustum*. III. Non esse solidum, quod dicamus, à Judæis nullam injustitiæ speciem inveniendam fuisse, si Apostolus docuisset, Deum elegisse, quos prævidebat credituros. Nihilominus, inquiunt, videbatur illis iniquum, Deum, qui ante (ut illi quidem existimabant) salutem in operibus statuerat, eam nunc statuisse in fide: & qui prius in populum suum Judæos legis divinæ observantissimos adoptaret; jam gentiles legis contemtores velle vocare. Hanc putant occasionem fuisse objectionis motæ. IV. Si quis neget hanc fuisse occasionem motæ objectionis, aliam utiq; & sublimiorem rationem esse exponendam. Objicientibus verba illa: *antequam nati erant pueri, & vel boni vel mali quicquam fecissent, &c: dictum est, major serviet minori, Jacob dilexi, Esau odio habui*: Respondent:

Non esse hoc probabile, propterea quod verba illa Mosis & Malachiæ Judæis fuerint ex lectione quotidiana notissima, nec tamen ullus unquam propterea Deum injustitiæ accusavit. Rursus excipientibus, Apostolum penitiori Mosis & Malachiæ sensu introspecto, objectionem illam elicuisse, nempe cum Dei justitiâ non convenire, Jacobum non habitâ fidei ratione voluisse servare, & Esavum, non habito incredulitatis ratione voluisse condemnare: Respondent fuisse cur dubitarent, an cum justitiâ Dei conveniret, nullâ impietatis habitâ ratione Esavum destinare ad æternam damnationem. Sed 1. quærunt an aliquid probabilitatis aut verisimilitudinis habeat, quod Judæi valdè fuissent solliciti de disputandâ Dei justitiâ in negotio quod ad solum Esavum pertinebat, qui antè tot annorum centurias obierat, & Judæis nullo pacto acceptus erat. 2. Edoceri volunt, an sequentibus verbis, *misereror cujus misertus fuero: &: non est currentis neq; volentis, sed DEI miserentis*, objectio satis sit refutata, apud eos qui solo Apostoli verbo non stabant, sed rationes postulabant. 3. Ajunt non esse hanc Mosis & Malachiæ sensum quem nos afferimus, sed eum quem supra ipsi attulerunt, nempe de justificatione per opera aut fidem. Unde Apostoli responsionem validissimâ ratione nixam contendunt, nempe probè cum Dei justitiâ convenire, quod hominem, qui legem jam esset transgressus, nollet ex operibus servare, sed ex fide, adeoq; pro populo suo nollet agnoscere, qui

ccu ry-

een typo adumbrati in Esavo odio habito justitiam ex operibus quærebant: sed eos, qui adumbrati in Jacobo dilecto justitiam ex fide quærebant.

4. Sequi dicunt ex nostrâ interpretatione prævisam infidelitatem non esse causam reprobationis. Quid si dicamus, habere nihilominus reprobos quod conquerantur?

Resp: Tantæ molis erat invictum hoc nostrum argumentum convellere! Sed stat invicta nihilominus veritas sophisticis hisce machinis ne minimum quidem convulsa. Ad singulas igitur exceptiones ordine respondeamus. Ad I. Perinde est sive Judæi objecerint Paulo, sive Paulus ex Judæorum mente sibi met ipsi. Illud certum est, vidisse Paulum, siquidem ipse formavit objectionem hanc, invenire rationem humanam, quod ad arcana hæc Dei judicia ogganniat. Quod verò ajunt, non omnia quæ objiciuntur, probabiliter objici: de ijs forsan concedi possit, qui rationis usu sunt destituti: nemo sanæ mentis vel sibi vel alijs objicit quæ planè nihil habent probabilitatis, vel respectu ejus qui objicit, vel respectu ejus, cui objicitur. Quod si igitur nihil fuisset, quod aliquâ probabilitatis specie vel à Judæis, vel à Paulo pro Judæis potuisset objici: in objectione illâ proponendâ & refutandâ Paulus non laborasset. Sed quid verbis opus? Ipsi Remonstrantes testantur objectionem hanc è præcedentibus haud temerè enatam esse, exceptione tertiâ. Ad II. Si Apostolus nihil dixerat, quo probabiliter inferri poterat, *DEUM esse injustum*: cur exceptione vestra tertiâ occasionem hujus de justitiâ Dei accusandâ objectionis natæ ipsi monstrare conamini? Est verò nimis audax & impudens hæc exceptio. Nonne satis evidenter objectionem de violatâ DEI justitiâ proponit Paulus v. 14. *Quod igitur dicemus? Num injustitia est apud Deum?* Hanc objectionem è præcedentibus enatam esse, quis sanæ mentis neget? Aut quis Paulum existimet tam insubidum esse disputatorem, ut objiciat sibi ubi objiciendi nulla est occasio? Ad III. Audax certè Remonstrantium hæc glossa est; injustitiæ Deum à Judæis fuisse accusatum, quod antea salutem in operibus statuerit, jam in fide: Cum è textu manifestum sit non agi in præcedentibus de medijs obtinendæ salutis, sed de summâ salutis causâ, quæ est gratuita Dei electio, quæ quorundam necessariò infert rejectionem vel reprobationem. Ultramq; ita absolutam statuit Apostolus, ut causam vel illius vel hujus extra Deum nullam agnoscat: sed solam Dei miserendi vel non miserendi voluntatem, quod verbis illis indigitat: *Cum nondum nati essent. pu-*

eri, cum nihil boni vel mali fecissent. vers. 11. miserebor cuius misertus fuero. v. 15. Non est ejus qui velit, neq; ejus qui currat, sed miserentis Dei. v. 16. Cujus vult miseretur, quem vult indurat, v. 18. O homo, tu quis es qui ex adverso responsas Deo? Num dicet figulus fictori, cur me talem fecisti? Annon habet potestatem figulus in totum, ut ex eadem massâ faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus? v. 20. 21. Cum igitur certum sit, objectionem Pauli natam esse è versiculis, 11. 12. 13. In quibus rejectionis Judæorum & adoptionis gentilium in specie nulla fit mentio, palàm utiq; est Apostolicæ objectionis eam non esse occasionem quam Remonstrantes assignant: quod nempè Deus gentiles legis contemptores velit vocare, qui antè adoptaverat Judæos legis divinæ observantissimos. Deinde non erat probabilis ratio cur justitiam Dei sugillarent Judæi, quod in fide salutem statui audirent, qui operibus legis promissam existimassent: quasi verò Deus unicâ tantum ratione justitiæ suæ potuisset satisfacere: aut Esavi odio habiti ea fuisse opera existimassent, quibus Jacobo exæquari meritò debuisset. Porro erroris hujus suspicionem si præcedentia Pauli verba præbuissem, nonne par erat à Paulo expressis eum verbis tolli, & monstrari primùm in legis operibus nunquam salutem fuisse constitutam; deindè, si maximè aliquando fuisset constituta, non tamen injustum propterea Deum esse, quod in fide jam eam statuatur, & justitiæ suæ de filio proprio pro nobis satisfaciatur, ejusq; nobis justitiam imputet. Sed nihil harum Paulus agit; verùm simpliciter ad Dei voluntatem miserendi & non miserendi provocat. Præterea divini decreti justitiam heïc sugillarunt Judæi, quod nempè intelligerent, Deum ab æterno ex æqualibus, qui nondum erant nati & nec mali nec boni quicquam fecerant, unum amasse, alterum odisse, unum Dominum, alterum servum esse voluisse. Si quam in Jacobo prærogativam Deus attendisset, nonnè declaratione ejus Dei justitiam facillimè Apostolus potuisset vindicare? Quid attinisset ad solam miserendi, & non miserendi voluntatem provocare? Deniq; ostenderat jam antè Paulus tam Judæos quam gentiles esse legis transgressores, & utrisq; justitiam ex fide quærendam esse: cap. 1. 2. 3. 4. 5. &c. Non igitur amplius absurdum videri poterat Judæis quod audirent salutem in fide statui, & gentiles legis transgressores esse vocandos. Ad IV. sublimiorem rationem jam exposuimus. Responsio ad objectionem verborum, *antequam nati erant pueri & vel boni vel mali* &c: nulla est. Primùm enim probare nequeunt Remonstrantes, super

super

super verbis Moyſis & Malachia nunquam à Judæis diſputatum eſſe de Dei juſtitiâ. Deinde probare nequeunt omnibus fuiſſe obſervata & nota iſta Moyſis & Malachia verba. Nos enim biblia quotidie legentes multa ſurgunt, quod & Judæis accidit extra dubium eſt. Denique qui probabunt, penitentiorem verborum illorum ſententiam, quam Paulus huc promit, Judæis cognitam? Agnoſcunt igitur tandem Remonſtrantes non ſine cauſa potuiſſe Judæos dubitare, an divina juſtitiâ conveniat, Eſavum damnationi deſtinare nullâ impietatis habitâ ratione: quod & ipſum nos volumus, modo dextrè accipiantur verba, *nullâ habitâ impietatis ratione*, de quorum ſenſu ſuo loco, & iteratò egimus. Sed, quæ porro heic movent, videamus.

Reſpondemus ergo ad 1. Non ſine cauſâ de juſtitiâ Dei diſputandâ fuiſſe Judæos in hoc negotio ſolicitos: quia non de ſolâ Jacobi vel Eſavi perſonâ hoc loco agebatur, ſed de arduo illo electionis & reprobationis myſterio, quod in duabus hiſce perſonis, Jacobo & Eſavo repræſentabatur. Turpiter autem falluntur Remonſtrantes, ſi non niſi de ſolo Eſavo heic diſputari arbitrantur: imò contrarium ipſimet expreſſè ſtatuunt, dum Eſavum odio habitum proferri ajunt tanquam typum eorum, qui juſtitiâ ex operibus quærebant. Ad 2. verbis iſtis ſufficientiſſimè refutata eſt obſectio: quæ enim ſublimior & juſtior reddi poſſit ratio, quàm Dei voluntas? In hac quis non merito acquieſcat. Audite quæſo Remonſtrantes, concionantem vobis Chryſoſtomum lib. 2. in Rom. cap. 8. *Cum omnes homines velit Deus ſalvos fieri, quid eſt quod alienatur à ſalute perpetuâ tanta infantium multitudo, totq; in his ætatibus hominum millia extra vitam relinquuntur æternam? Quæſi ad hoc tantum conditi ſint ab eo qui neminem odians creavit, ut, quia in hunc mundum cum peccati carne venerunt, inſolubilis culpæ vincula ſine reatu propriæ actionis inciderent. Quid hoc profundius? Quid mirabilius eſſe poſſet? Et magis ſtupendum, magisq; ſit mirum, quod, ubi actio non offendit, ubi arbitrium non reſiſtit, ubi eadem miſeria, ſimilis imbecillitas, cauſa communis eſt, non unum eſſe de tanta paritate judicem, & quales reprobat abdicatio, tales adoptat electio. Veruntamen de hac altitudine diſcretionis Dei, non conturbabitur cor noſtrum, ſi firmâ & ſtabili fide omne judicium Dei juſtum eſſe credamus, nec appetamus habere cognitum, quod voluit eſſe ſecretum, ut inveſtigari non poteſt. Quare ita judicet ſufficiat ſcire quis judicet. Hactenus Chryſoſtomus. Etiamnum igitur inſufficientis vobis videbitur Pauli reſponſio? Qui poterat aliam assignare rationem cum aliam nesciverit:*

cum

cum hanc assignare Spiritus sanctus voluerit? Ad 3. Genuinum Moyſis & Malachiae ſenſum ſufficienter antè approbavimus. Ratio verò diſcretionis à Paulo allata veriffima & ſufficientiffima eſt, uti ex Chryſoſtomo oſtendimus. Illa verò quam Remonſtrantes adferunt, nec ſcopo nec objectioni Apoſtolicæ eſt accommodata, ut ex ijs patet, quæ ſupra diximus. Ad 4. Præviſam infidelitatem reprobationis cauſſam non eſſe ultro fateamur. Nec tamen habent propterea de quo conquerantur reprobi: quia peccatoribus nihil Deus debet, niſi mortem. Cumq; juſtiſſimè damnentur, non eſt quod injuſte ſe reprobatos querantur, etſi pravitas ipsis inhærens divini decreti cauſa non fuit.

XVII. Scriptura nuſquam dicit, nos vel per fidem tanquam cauſam instrumentalem, vel propter præviſam fidem, vel propter Chriſti meritum electos eſſe. Quid igitur attinet in negotio tam arduo cauſas hæc extra & contra ſcripturam fingere? Conſequentiæ, quas nec tere vel potius per vim & fidiculas extorquere nituntur, nullæ proſus ſunt, ut mox videbimus.

XVIII. Si Deus nos elegit ut filios iræ, ut mortuos in peccatis, ut inimicos Dei: certè non elegit nos propter reconciliationem, quia eramus vel futuri eramus juſti vel amici Dei. At verum prius. Ergo & poſterius. Connexi ratio eſt manifeſta. Si enim ideo nos Deus elegit, quia prævidit, nos Chriſti meritum fide apprehenſuros: utiq; non elegit nos ut filios iræ & inimicos Dei. Nam iræ filij & inimici Dei dicimur in nobis conſiderati, non ut fide in Chriſtum juſtificati, & Spiritu Sancto ſanctificati. Sic enim filij gratiæ & amici Dei reputamur. Aſſumptio probatur. Quales juſtificamur, tales etiam juſtificare Deus decrevit & elegit. At impij & inimici Dei juſtificamur. Rom. 4. v. 5. & cap. 5. v. 8. & 10.

XIX. Si ideo per fidem tanquam cauſam instrumentalem ſumus electi, quia fides eſt cauſa instrumentalis ſalutis; ſequitur per miniſtros quoque tanquam cauſas instrumentales nos eſſe electos, quia & hi ſunt cauſæ instrumentales ſalutis. At conſequens falſum pronunciat Meisnerus & rationem reddit longè optimam theſi 19: *quia prædeſtinatio eſt internum Dei decretum, quod ſolus fecit.* Salvatio eſt decreti executio, quæ fit mediantibus miniſtris. Deus quidem ſolus decrevit, ſed non ſolus exequitur: quod veriffimè dicitur. Unde & probamus fidem ipſius electionis cauſam instrumentalem abſurdiffimè dici. Decrevit enim Deus ſine instrumento, etiamſi decretum non exequitur ſine instrumento.

XX. Ad

XX. Ad scripturam rursus nos convertamus : è quâ hunc in modum contra spiritum Arminianum arguimus. Deum non elegimus priores. Ergo prius quam eligeremur non eramus fideles : seu fides nostra electionem non præcessit. Ratio consequentiæ est : si fides nostra electionem præcessisset : Deo utiq; adhæsisset, & in eo tanquam summo bono acquievisset, prius quam ad æternæ vitæ hæreditatem electus homo fuisset. Sic igitur homo Deum prior elegisset quàm à Deo electus fuisset. Antecedens Christi est, Johan: 15. v. 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.*

Hoc argumentū contra Pelagium, quo cum eandem fovent causam Remonstrantes Arminiani & Lutherani, vehementer urget Augustinus lib. 1. de prædestinatione sanctorum cap. 17. 18. 19, è quibus insignem sententiam unam atq; alteram libet adducere. Cap. 17. ait : *Intelligamus ergo vocationem quâ fiunt electi, non qui eliguntur quia crediderunt, sed qui eliguntur ut credant. Hanc enim Dominus ipse satis aperit, ubi dicit : Non vos me elegistis : sed ego elegi vos. Nam si propterea electi erant, quoniam crediderunt, ipsi eum prius utiq; elegerant credendo in eum, ut eligi mererentur. Aufert autem hoc omnino qui dicit, Non vos me elegistis, sed ego vos elegi. Et ipsi quidem procul dubio elegerunt eum, quando crediderunt in eum. Unde non ob aliud dicit, non vos me elegistis, sed ego vos elegi, nisi quia non elegerunt eum ut eligeret eos, sed ut eligerent eum, elegit eos : quia misericordia prævenit eos secundum gratiam, non secundum debitum. Et paulo post : Elegit ergo Deus fideles, sed ut sint, non quia jam erant. Item : Eligendo ergo facit divites in fide, & hæredes regni. Item : Rogo quis audiat Dominum dicentem, non vos me elegistis, sed ego vos elegi, & audeat dicere, credere homines ut eligantur, cum potius eligantur ut credant, ne contra sententiam veritatis priores inveniuntur elegisse Christum, quibus dicit Christus, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Et cap: 29. Electionem quam significavit Dominus dicens, Non vos me elegistis, sed ego vos elegi, nec fides ipsa præcedit. Non enim quia credimus, sed ut credamus elegit nos, ne priores eum elegisse dicamur, falsumq; sit, quod absit, Non vos me elegistis, sed ego vos elegi. Nec quia credimus, sed ut credamus vocamur &c.*

XXI. DEUS Paulum elegit, ut voluntatem suam cognosceret. Ergo elegit ipsum ut fidelis esset : & per consequens fides electione posterior est.

Antecedens constat ex verbis Ananiæ Actor. 22. v. 14. *Dēus te elegit ut cognosceres ejus voluntatem.* At, inquis, voluntatis hæc cognitio est revelatio doctrinæ Evangelicæ cujus Paulus erat futurus præco. Resp: Præfra-

Q

ctè hoc

Et hoc non nego. Tu ne verò credis Paulum fuisse potius electum ad Evangelicam doctrinam cognoscendam, quam ad credendum doctrinæ Evangelicæ?

XXII. *Gratis servamur per fidem*, Ephes. 2. v. 8. Ergò fides est medium ad salutem. Prius igitur decreta salus quam fides. Illa enim finis, hæc mediij ad finem habet rationem.

Videte quæso quid regerat heic spiritus Arminianus. Negat salutem esse finem Dei: sed & salutem & fidem esse dona Dei, hoc invicem ex voluntate DEI connexa ordine, ut fides salutem præcedat respectu DEI datoris. Resp: I. Major apud nos est Pauli autoritas, quam Arminij profanitas. Paulus ait, *nos servari gratis per fidem*: affirmat igitur fidem esse medium ad salutem obtinendam destinatum. Sequitur igitur fidem ad salutem se habere tanquam medium ad finem: sunt enim correlata destinatum & finis. II. Quæ quæso consequentiæ est ratio: salus & fides sunt dona Dei; Ergo non habent se invicem ut finis & medium? Annè forsan dona Dei datoris esse nequeunt, quæ à paterna ejus voluntate profecta sibi invicem ita sunt subordinata, ut unum finis, alterum mediij rationem habeat? III. Ambiguè dicitur fides salutem præcedere respectu datoris Dei. Nam si de executione accipiatur, verum est. Prius enim Deus nobis dat fidem, quam salutem, quam non nisi per fidem dat. Si de intentione Dei, falsum: quæ enim priora sunt in executione, posteriora sunt in intentione: ut patet ex collocatione mediij & finis. IV. Dicunt nobis quæso Arminiani, cur credant fidem præcedere salutis adeptionem? Non ideò, quia salutem adipisci nemo potest nisi credat? Fateantur igitur oportet, fidem ad salutis adeptionem esse destinatum, tanquam medium ad finem.

XXIII. Si propositum Dei, quod est secundum electionem, non est ex operibus sed ex vocante: utiq; non fuit electio seu propositum Dei ex prævisione fidei vel operum. At verum prius: Rom: 9. v. 11. Ergo & posterius. Connexi ratio est: quia excludunt se mutuò, esse *ex vocante*, non *ex operibus*: & esse *ex prævisa fide aut operibus in eligendis*. Sic enim consilij & propositi sui exordium Deus non duxisset à se, sed ab hominis eligendi fide vel operibus.

Excipiunt *Remonstrantes*: pag: 90. & 119: verborum Pauli, *non ex operibus, sed ex vocante*, hunc esse sensum, *secundum fidem ex gratiâ, non ex operibus*.

Resp:

Resp: Vide mihi quæso audaciam & impudentiam horum hominum! *Ex vocante* idem ajunt esse, quod *ex credente*! Quis sensum hunc potuisset divinare (cum Paulus nullam antea fidei mentionem, quæ commodè huc referri possit, fecerit; nec in occupationis solutione ad fidem ullo modo provocat, quo tamen facillimè se potuisset expedire) nisi spiritus Socinianus & Arminianus? Accedat & Pelagianus. Excutite, Arminiani, omnes linguarum thesauros, & ostendite nobis, cui unquam homini *vocare* idem fuerit, quod *credere*. Dei est vocare, hominis credere. Ex vocante igitur propositum esse cum Paulus affirmat, ex homine credente esse negat. *Non ex operibus*, inquit Augustinus contra Pelagium lib. i. de prædestinatione sanctorum cap: 19, *sed ex vocante, cum posset dicere, sed ex credente*. Opera igitur dum Apostolus heic simpliciter opponit vocanti, ipsam quoq; hominis fidem excludit, quæ vocanti opposita operis quoq; habet rationem: quod nec Arminius diffitetur, quando fidem ait impurari in justitiam non qua *opus & actio* est. Et quid aliud sibi volunt Pelagianâ illâ phrasi, *prævidit Deus quinam essent credituri*, quàm opus quiddam hominis esse prævisum: secus si sentirent (arrigant heic aures & Lutherani) rotundius sese explicarent, hoc nempe modo, *constituit secum Deus, quibus fidem esset daturus*. Sed priori malunt uti phrasi, quâ Pelagianismum occultari posse opinantur. Sic enim alibi se explicant: *prævidit Deus qui reliquis arbitrii liberi viribus benè essent usuri, qui non reluctaturi, & ad fidem accipiendam se præparaturi*. Quod quid aliud quæso est, quàm non ex vocante, sed ex operibus esse propositum secundùm electionem? Deducit vero hoc loco Apostolus stabilitatem & firmitudinem propositi *ex vocante, non ex operibus*. Si per vocantem intelligitur fides vel homo credens, uti Remonstrantes volunt: quæro cur stabilius sit eligentis propositum, si homines nitatur fide, quàm si nitatur operibus? Annè forsan fides hominis stabilior quam opera? aut arbitrii libertas plùs potest circà fidem, quàm circà opera? aut non æquè stabilire Deus potest opera ac fidem? Summa: *parturient Remonstrantes, & nascetur infelix Pelagianismus*. Ab hoc sibi caveant Lutherani.

XXIV. DEUS in electione & discretionem salvandorum à damnandis, nō respicit hominis eligendi bonam voluntatem aut cursum, tanquam causam electionis aut conditionem in eligendo prærequisitam: sed solum suum miserendi propositum attendit. Ergo fides non est electionis vel causa, vel conditio prærequisita. Ratio consequentiæ; quia bona voluntas & cur-

sus esset ipsa fidei *ἐνέργεια*, respectu cuius fidem Deus diceretur attendere, & respectu cuius electio esset volentis & currentis. Antecedens ex Paulo probatur. Rom. 9. v. 16. *Nempè igitur (electio) non est ejus qui velit, neque ejus qui currat, sed misereantis DEI.*

Excipiunt *Arminiani*, non est volentis, nempè, *justitia*.

Resp: I. Impudens hæc glossa est: non enim locutus est Apostolus de justitia, sed de electione & discretionem salvandorum à damnandis. II. Falsa est glossa. Est enim justitia volentis, scilicet per fidem, Dei donum gratuitum. III. Si justitia non est volentis; Ergo nec salus volentis est. Falsum igitur erit volentes à Deo fuisse consideratos, quos primum elegit ad salutem participandam.

Longè impudentior est *Georgij Mylij* glossa disputat: II. thesi 80. 85. 86: illud enim *volentis*, non ad hominem, sed ad Deum refert, hoc modo, *non est volentis Dei, sed misereantis DEI.*

Resp: annotasse hanc glossam est refutasse: paucula tamen ei opponamus. I. Malè opponit Mylius voluntatem Dei miserationi Dei: quasi vel voluntas Dei contraria sit misericordiae: vel in hoc negotio distinguantur, *ita misereri alicujus, ut salutem ei decernat, & velle aliquem salutis participem fieri*, cum Apostolus utrumque conjungat, v. 18. *ejus vult miseretur*. II. Pejus negat primum salutis principium esse Dei voluntatem. Num ergo frustra Deus velle potest ut peccator servetur quem vult servari? Apage hanc blasphemiam. III. Ergone nec Dei *currentis* est? vide quæso ineptiam & blasphemiam! Forsan ad Hominem pertinebit *currentis*? Ita sanè est: sed quis divinet quæso, extrema duo participia de Deo, medium verò tantum de homine accipi debere? Taceo quod ex Lutheranâ hypothese falsa sit sententia. Docent enim *ij esse currentis*, hoc est, Deum elegisse, quos præviderit *non reluctaturos, conciones diligenter audituros, sacrarum literarum lectioni incubituros, precibus sedulam operam daturus*. An non hac ratione hominis esset *currentis*? Velim hæc observari, oppositionem Apostolicam: *Non est currentis hominis, sed Dei misereantis*: Undè apparet, miserationi divinæ detrahi, quicquid cursui humano tribuitur. IV. Scopum modo Pauli attendisset Aristarchus hic, & impudentem hanc glossam facile elidi animadvertisset. Diluit Apostolus objectionem de injustitia Deo imputata, quod æqualibus inæqualia tribuat: vindicat igitur Dei justitiam, non petito argumento ex inæqualitate Esavi & Jacobi, sed ex ipsâ Dei voluntate.

te mi-

re miserendi & non miserendi, qua altiozem dari causam negat, & expresse quorundam responsionem rejicit, qui vindicandæ divinæ justitiæ ergo dicere poterant, fortè Jacobum præ Esavo voluisse aut cucurrisse. Ad hanc infert, non est volentis aut currentis &c. V. Glossam Mylij refutat versio germanica Lutheri, quæ ita habet : So ligt es nun nicht an jemandes wollen oder lauffen.

XXV. Sed age monstremus electionis causam ne CHRISTUM quidem esse : hoc argumento. Si destinatio & missio mediatoris fuit ex dilectione Patris, quâ mundum dilexit ita ut servatum vellet : utiq; Mediator CHRISTUS non est causa electionis, sed medium electionis executioni subordinatum. At verum prius. Ergo & posterius. Connexi ratio est, quia Patris dilectio, quâ mundum vult servatum, aliud nihil est, nisi æterna electio. Assumptio est CHRISTI Johan: 3. v. 16:

Excipit *Arminius* negando syllogismi nostri assumptionem. *Dilectio*, inquit, *illa non est quâ Deus vult æternam vitam* : quorsum autem ea spectet, non explicat.

Resp: Impudens est *Arminij* negatio. Quorsum enim dilectio illa DEI erga homines, quâ motus filium misit, nisi ad miseros homines in felicitatis, è quâ exciderant, statum reducendos? expressis verbis id ipse Christus indicat, dum ex dilectione Patris factum testatur, ut ad servandum mundum Christus mitteretur. Nec refert, quod inter dilectionem Patris & vitam æternam fides in Christum interjungatur, quod objicit *Arminius*. Dilectionis enim ejusdem est ad vitam destinare, & ad fidem, per quam vitam adipiscamur.

Lutherani syllogismum nostrum aliter adoriuntur. Itaq; connexum negant, una cum approbatione. Negatio ipsorum rotunda hæc est : *Voluntas in Deo misericors, quâ salvos vult homines, non est unum & idem cum electione*. Nobis idem est dilectio Dei patris misericors, & voluntas in Deo misericors. Itaq; negationem hanc affirmationi nostræ directè oppositam arbitramur. Contra universalem verò illam Dei misericordiam & dilectionem, quæ in salutis negotio ad omnes & singulos extendi dicitur, supra prolixè disputavimus, refutatis omnibus ejus fundamentis. Unam jam saltem & alteram *Mylij* rationem videamus. Affirmat is disput: II. thes: 79. inter se plurimum differre : *voluntatem in Deo misericordem, quâ salvos velit homines, & Electionem*. Rationes ait esse manifestas. Audiamus eas.

I. Misericors Dei voluntas, quâ homines vult salvos, non convertitur cum electione. Ergo non est idem cum ea. Antecedens probat : quia Deus elector quidem omnes vult salvatos : sed non vice versâ, quoscunq; vult salvatos sunt electi. Multi enim vocati, quos Deus vult salvos, pauci electi?
 II. Misericors ad nudam & simplicem voluntatem refertur ab Apostolo : miseretur enim Deus cuius miseretur : Electionem autem refert ad voluntatem limitatam misericordiâ. Quia non volentis, sed miserentis Dei electio dicitur esse Rom: 9. v. 16. III. Misericors voluntas salutem hominum nude respicit : electio modum salutis sive ordinem implicat.

Resp: Ad I. Si voluntas Dei accipiatur pro decreto Dei, uti à Lutheranis accipitur, antecedens negamus. Approbatio nulla est. Nec enim externa vocatio necessario arguit decretum salvandi, ut suo loco supra probavimus. Adde si vocatio externa necessario arguit decretum salvandi, sequitur decretum de ijs salvandis nullum esse, qui externe non vocantur; quod negant Lutherani. Ad II. Contradictio est in adjecto, *voluntatem misericordem referri ad nudam & simplicem voluntatem misericordiâ non limitatam* : quam contradictionem absit ut implicet allegatus Apostoli locus. Glossam impudentem loci, *non est volentis &c.* ante vidimus. Ad III. voluntatem misericors salutem hominum nudè respicere, sine modò seu ordine salutis, longè falsissimum. Cujus Deus ita miseretur, ut salutem ei velit, ejus etiam ita miseretur, ut media salutis ei ordinet, & per ea efficacissimè operetur. Hinc videmus inter dilectionem Dei & vitam æternam à Christo interponi Filium Dei & fidem, tanquam media ad electionis executionem destinata.

XXVI. CHRISTUS non est mortuus pro nobis ut ipsi daremur, hoc est, eligeremur : sed quia nos ipsi dederat pater, per æternam electionem. Ergò Christus non est causa electionis, sed medium ad electionis executionem destinatum. Antecedens patet ex Johan: 17. v. 2. 6. 7. 9. 10. 11. 12. in quibus causa missi mediatoris indicatur *traditio facta à Patre*, quæ aliud nihil est nisi æterna electio.

XXVII. Tandem igitur ita colligimus : Cogitatio de fine, prior est cogitatione de medijs ad finem. Decretum de aliquibus beandis est cogitatio de fine : decretum verò de mittendo mediatore est cogitatio de medio ad finem obtinendum. Ergo cogitatio de aliquibus beandis est prior cogitatione de mittendo mediatore : & per consequens, non decrevit Deus aliquos
 beare

beare quia decrevit mediatorem mittere : sed vice versâ , decrevit mediatorem mittere, quia decrevit aliquos beare. Propositio extra controversiam est. Assumptionem approbat scriptura & experientia. Illa enim mediatorem docet esse *agnum immaculatum ante jacta mundi fundamenta ordinatum, ut nos redimeret suo sanguine.* 1. Pet. 1. v. 19. 20. Jesaia 42. v. 1. Si ergo mediator est ordinatus ad redemptionem : cogitatio utiq; de redemptione fuit cogitatio de fine, cogitatio verò de mittendo mediatore, fuit cogitatio de medio. Ista rem ita se habere facto comprobatur. Per Christum enim tanquam *viam*, ad vitam tanquam *metam*, nobis patet aditus. Quis verò dixerit metam esse propter viam, & non potius viam propter metam, ad cuius assecutionem destinata via? Metaphoram de via Christus usurpat & ad se applicat: Johan: 14. v. 6. *Ostium* se appellavit, cap. 10. v. 7. 9.

XXVIII. Quærentibus olim nobis, quid moverit Deum, ut Petrum ad vitam æternam elegerit, Judam verò reprobârit, respondebatur; prævisa fides & perseverantia. Quia enim prævidit Deus, Petrum post lapsum pœnitentiam acturum, & in fide ad finem perseveraturum, Judam non item: ideo Petrum elegit, Judam reprobavit. Absurdum hoc esse dogma, cum prudentiores jam agnoscant, & ex Pelagij scholâ profectum intelligant, negant fide Deum prævisâ ad electionem esse permotum; quo candore nō video. Cur enim pauci electi sint, hanc ajunt esse rationem, quod Deus præviderit oblatum in verbo Christi meritum à paucis ita apprehensum iri, ut ad finem in apprehensione perseverent: quod præviderit paucos cum attentione, cum fame audiendi & studio cognoscendi verbum audituros, & sic gratiæ obices remoturos: quod etiam à non renatis posse fieri ex vi liberi arbitrij expressè docent. Summa: quod præviderit paucos medijs legitimè usuros: quod præviderit paucos non reluctaturos. Sic Meisnerus loquitur decad: 2. Anthropolog: disput: 6. thes: 49. Quid verò hoc aliud, quàm à prævisâ perseverantiâ & operum bonorum studio ad electionem Deum esse permotum confiteri, & in Pelagij castra transire? Colophonis igitur loco pro sententiæ nostræ orthodoxæ confirmatione contra Pelagianum dogma sequentia scripturæ testimonia subjicimus. Philipp: 2. v. 13. *Deus operatur in nobis velle & perficere pro beneplacito suo.* 1. Cor: 4. v. 7. *Quid habes, quod non acceperis.* & cap. 7. 25. *Misericordiam sum consecutus, ut fidelis essem.* 2. Cor: 3. v. 5. *Non sumus sufficientes ex nobis cogitare aliquid è nobis, sed sufficientia, aptitudo (ικανότης) nostra ex DEO est.* Ephes. 1. v. 4. *Elegit*

Elegit nos in ipso ante jacta mundi fundamenta, ut essemus sancti & inculpati. & v. 5. Prædestinavit nos, quos adoptaret in filios per Christum Jesum in sese, pro benevolo affectu voluntatis sue. & v. 9. Patefacto nobis mysterio voluntatis sue secundum gratuitam suam benevolentiam, quam proposuerat in sese. & v. 11. Cum essemus prædestinati, secundum propositum ejus, qui omnia efficit ex consilio voluntatis sue. Rom. 8. Quos prædestinavit, hos & justificavit. & cap. 9. v. 11. Nondum natis pueris cum nihil fecissent boni vel mali, ut propositum Dei, quod est secundum electionem, non ex operibus sed ex vocante maneret, dictum est ei &c. & v. 16. Non est volentis aut currentis, sed Dei miserentis, & v. 18. Cujus vult miseretur, quem vult indurat. Rom. 11. v. 5, 6. Reservatio secundum electionem gratuitam facta est: quod si per gratiam, non jam ex operibus &c. 2. Timoth. 1. v. 9. Vocavit nos vocatione sancta, non ex operibus nostris, sed ex proposito & gratia. Opponit hic Deus propositum suum & gratiam operibus nostris; aitque, nos non vocari ex operibus; hoc est, quod benè nos operari vel operaturos videat vel prævideat: sed ex proposito & gratia. Non igitur Deus internè nos vocat, quia ipsi currimus, nostro Marte, attentè, studiosè, cum fame audiendi. Quid enim hoc esset nisi ex operibus nostris nos vocare? Multò minus ergo ex operibus elegit. Est enim electio à Deo immediatè ab æterno, vocatio mediatè in tempore. Hactenus sententiæ nostræ confirmatio & confirmationis vindicatio.

CAPUT XVIII.

PROPONITUR SENTENTIA LUTHERANORUM
& Remonstrantium de causis prædestinationis
ad vitam.

IN causis prædestinationis ad vitam assignandis Lutherani vel non consentiunt: vel certè aliud loquuntur, aliud sentiunt.

Renecius in armaturæ suæ theologicæ tom: 3. cap. 4. Tres prædestinationis causas constituit. I. misericordiam & gratiam Dei. II. meritum Christi. III. fidem. Misericordiam nonnulli appellant summam causam in efficiendo decreto electionis: meritum Christi causam impellentem efficientis: fidem, causam instrumentalem eligentis. In primâ & secundâ causâ omnes consentiunt, in tertiâ discrepant.

Fidem esse causam instrumentalem electionis æternæ ait Renecius in loco al-

loco allegato. Hunnius in libro de prædestinatione editionis Francofurt: pag. 350. Grauerus in absurdis capite de prædestinatione Sect. 49. & 50. Gesnerus in disput: de libro Concordiæ disput. 16. p. 644. Meisnerus in disputatione sæpius allegatâ, & plurimi alij.

Interim tamen non diffitentur eandem fidem habere quoq; rationem effecti pro diversâ consideratione. Grauerus in sectione allegatâ dicit, fidem actu existentem esse *effectum electionis*, prævisam verò & cum respectu ad Christi meritum esse *causam instrumentalem electionis*. Unde ibidem ait: *Ut se habet fides actu existens ad justificationem, ita se habet fides prævisa ad electionem*. Meisnerus (ex Hunnio in refutat: thesium D. Tossani ad thesin 165.) duas quasi partes electionis constituit, *electionem personarum, & præordinationem mediorum*. Illius respectu *causam electionis*, istius, *effectum esse*, fidem ait.

Cum autem fidem ipsius electionis, id est, æterni decreti causam appellare instrumentalem nimis durum videatur alijs, ad veritatem propius accedentes docent, fidem *ἀνεξαρτήτως* loquendo non habere *vim cause*, sed *cautelæ & mediæ*, ut ut nomines rationem conditionis in prædestinatione. Sic Cramerus de prædestin. pag. 69. Mylius in volæm. disp: 16. thes. 16. ait electionem à fide hominum pendere, *sub respectu conditionali*: fidem verò ab electione *non ut effectum à causâ, sed ut subordinatum à subordinato*. Eckardus in fasciculo cap. 15. q. 9. respons. ad object. 5. ait: Electionem pendere à fide, *non ut à principio, neq; ut à causâ impellente, sed ut subordinatum à suo ordine*. Meisnerus in allegatæ disputationis thes. 30. ex quorundam theologorum observatione notat, non accuratas sed populares locutiones esse, cum fides appellatur diverso respectu *caussa & effectum electionis*: accuratè enim loquendo fidem actu existentem esse *consequens*, prævisam *antecedens* tantum electionis. Idem Meisnerus thes. 36. inquit, fidem esse *causam instrumentalem*, non quidem totius decreti seu electionis, sed potius partis, nempe meriti Christi, quod fides apprehendit, de quo paulò ante. Idem pergit ibidem. *Cum sit causâ partis decreti, populari modo loquendi, causâ dicitur ipsius decreti*. Convenientius tamen est, fidem nuncupare vel *conditionem* electionis, ne fingatur esse absoluta: vel *partem ordinis prædestinatorij*, quam Deus ab æterno non minus ut Christi meritum adspexerit. Sed nec hic, in quo acquiescat, invenit. Itaq; subjicit; *Convenientissimum illud videtur, fidem non considerari seorsim ut causam electionis*

R

peculi-

peculiarem à Christi merito distinctam; sed conjunctim unà cum ipso merito apprehenso, ut sic utrumq; copulatum unam electionis causam impellentem constituat. Neg; enim meritum sine applicatione, neg; fides per se movit Deum ad eligendum: sed utrumq; in præscientiâ divinâ conjunctum: hoc est, meritum fide apprehensum; vel, fides meritum apprehendens. Hactenus Meisnerus. Hunnius de prædestinatione pag. 351: Pacis causâ non litigabo cum quoquam, num præstet fidem appellare partem illius divinæ *τίξεως* sive ordinis, quem Deus in eterno decreto sue electionis inclusit. & pag. 521: Quis negat electionis decreto adscribendam esse causam cum fidei tum salutis? Certè nisi statuisset Deus in Filio suo nos eligere, sed simpliciter absq; spe veniæ nos rejecisset: tum nunquam missus fuisset Filius in mundum, nunquam prædicatum verbum, nunquam etiam in cordibus nostris accensa fides, nulla etiam esset spes consequendæ perpetuæ salutis. Quod autem unigenitus Filius mittitur, obedit legi, patitur, moritur pro nobis; prædicari jubet Evangelium & in eo gratiam Dei Patris, suumq; meritum commendari & annunciari, & offerri toti mundo, quod idem per prædicationem hanc efficax est ad excitandam fidem, operandam salutem: Hec simul omnia ex illo fonte promanant, nimirum ex salutari decreto æternæ prædestinationis & electionis nostræ, quod & fidei & salutis nostræ principium & causa est. Quamvis autem decretum electionis est fidei nostræ causa: tamen quia Deus non absolutè elegit homines, sed ordinem constituit electionis proposito inclusum, sub quo & agnitio Messie, sive vera in illum fiducia continetur: hinc adeo fit, ut ipsa quoq; fides & salvifica Christi servatoris agnitio ingrediatur electionis mysterium, & sine fidei in Christum respectu nulla constet electio. Hactenus Hunnius. Remonstrantes de electione sequentia docent. I. negant quenquam esse electum, nisi fidelem; hoc sensu, ut objectum electionis intelligantur homines aliqui, non qua homines, aut qua peccatores, sed qua fideles: Collat. Hag. pag. 66. & seqq; & pag. 90. Hi, inquiunt, loci faciunt ad probandum, hoc electionis præstitutum non pertinere ad singulares homines, quâ singulares homines, sed quâ fideles. II. negant fidem esse fructum ex electione prodeuntem, pag. 109. In hoc vertitur questionis cardo, an fides sit fructus ex electione ad salutem prodiens? quod quia Fratres (orthodoxi) affirmant: nos vero, (Remonstrantes seu Arminiani) negamus &c. III. negant fidem esse causam electionis: pag. 108. affirmamus nos fidem nequaquam statuere ut causam, cur Deus aliquos elegerit: & 109. Dicimus causam cur aliquem ad salutem elegit, non esse fidem sed solum Dei beneplacitum, gratiam, imo

am, imo meram gratiam. IV. affirmant, fidem in Dei consideratione, cum ad salutem eligeret, præcedere quidem, sed non ut causam. pag. 108. non repugnant si quis appellet electionis conditionem præcedaneam. Interim tamen negant fidem in electione considerari ut conditionem, cujus eventum Deus expectet in incertum; sed ut *donum*, quod ille secundum suam æternam præscientiam in homine tanquam præsens & certum videt. pag. 118. fatenturq: pag. 124. *Dæum homini fidem dare nihil ad eam conferenti, ut ex se.* V. affirmant Christum esse electionis causam, propter quam electi sumus: pag. 110. Et sic sententia adversariorum ipsorummet verbis proposita & exposita.

CAPUT XIX.

PROPONUNTUR DUE ADVERSARIORUM RATIONES generales, quibus Christi meritum & fidem electionis æternæ causas esse probant.

PRIMA petitur ab harmoniâ decreti cum executione, ea Hunnij verbis informata hæc est:

Quibus causis Deus in executione temporali propositi sui æterni salvos facit homines, iisdem ab æterno constituit illos salvos facere. At verò salvat homines in tempore suâ misericordiâ propter Christi meritum per fidem apprehensum. Ergo etiam ab æterno decrevit illos his ipsis causis (inter quas & fides est) salvos facere.

Addit: *Et hoc considerationis respectu fides ingreditur mysterium electionis, non ut causa meritoria, propter quam Deus nos eligat: sed ut instrumentalis, qua gratiam eligētis Dei meritumq; Christi in Evangelio oblatum apprehendat.*

De hoc argumento plurimum sibi pollicetur Hunnius, ut è sequentibus verbis apparet. *Hoc, inquit, argumentum tam diu stabit firmum & immotum sive contra Calvinianos, sive contra falsos fratres cujuscunq; tandem nominis & factionis: donec probatum fuerit, Deum ab æterno decrevisse per alias causas salvos facere homines, quam in tempore salvos faciat: id est, donec probaverit quispiam, æternum propositum electionis ab ejusdem executione dissidere, & Deum aliud decrevisse in æternitate, aliud exequi in tempore.* Faciunt hæc ad propositionis approbationem. Hoc argumento omnes Lutherani putant de Calvinianis se posse triumphare. Meisnerus *invictum planè* appellat.

Altera ratio à præsentia DEI depromta hæc est : Si electio est facta κατὰ ἀρετὴν Θεοῦ : sequitur in electione Deum attendisse ad Christi meritum fide apprehensum. At verum prius, 1. Petr. 1. 2. Rom. 8. v. 29. Ergo & posterius. Connexi ratio est, quia aliud nihil excogitari potest, quod quidem scripturis sit consentaneum, quàm Christi meritum fide apprehensum. Non enim opera nostra, non dignitatem generis respexit, siquidem hæc omnia Pelagianismum sapiunt. Hucusq; argumenta duo generalia.

CAPUT XX.

PROPONUNTUR RATIONES SPECIALES, QUIBUS probare nituntur, Christi meritum esse causam electionis.

IN specie porro probant Christi meritum Electionis æternæ causam esse hisce rationibus, quas Meisnerus profert :

I. Si eligimur in Christo, utiq; Christus electionis nostræ causa erit. At verum illud. Ergo & hoc. Propositio probatur, quia præpositio in apud Hebræos plerunq; notat causam propter quam, ut Gen: 29. v. 18. *Serviam tibi Berachel*, hoc est, propter Rachel, & Deut: 24. v. 16. *Unusquisq; in peccatis suis morietur*, hoc est, propter peccata. Sic in novo testamento sæpè per & propter significat, ut Luc. 22. v. 20. *Hoc est novum testamentum in meo sanguine. In Deo sumus, vivimus & movemur. In Deo faciemus virtutem &c.* Assumptio probatur Ephes: 1. v. 3. & 4.

II. Si ita in Christo eligimur, veluti benedicimur: utiq; per & propter Christum eligimur. At verum illud: Ergo & hoc. Connexi ratio est, quia in Christo benedici, est per & propter Christum benedici. Assumptio probatur ex Ephes: 1. v. 3, 4. *Benedixit nos in Christo, quemadmodum elegit nos in Christo.*

III. Si per Christum sumus prædestinati: utiq; decreto electionis inclusus est Christus. At verum illud. Ephes: 1. v. 5. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum* Ἀγ. Ἰησοῦ Χριστοῦ, per Jesum Christum.

IV. In quo sumus cari redditi, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum, in quo sorte vocati sumus: in eodem eligimur. At in Christo, seu per & propter Christum sumus cari redditi, & habemus remissionem peccatorum, &c. Ergo in Christo seu per & propter Christum sumus electi.

V. Ele-

V. Electio non est facta sine intuitu beneficiorum Christi, puta redemptionis & remissionis. Ergo nec sine Christo.

VI. Si reconciliatio per Christum facta causa est propositi electionis: erit etiam causa decreti electionis. At prius verum. Ergo & posterius. Assumptio probatur I. Deus non elegit nos iratus. Ergo placatus. Antecedens probatur: quia sic electio redundaret in perniciem nostram. Si ergo placatus nos elegit, utiq; propter Christi meritum elegit. At verum illud: Ergo & hoc. II. Deus erat graviter hominum lapsu offensus. Ergo non potuit eorum misereri, nisi prius læsæ justitiæ sufficiens decreta esset reconciliatio.

VII. Ex 2. Timoth. 1. v. 9. hunc in modum arguit Reneccius: Si ante tempora æterna Dei gratia nobis data est in Christo Jesu: certè in Christo Jesu ante tempora æterna sumus electi. At verum prius: Ergo & posterius.

CAPUT XXI.

PROPONUNTUR RATIONES SPECIALES, QUIBUS

Lutherani conantur probare Fidem esse causam electionis:

Remonstrantes verò, antecedens.

PRO fide tanquam causâ instrumentali electionis sequentes rationes produciunt: quas collegit Meisnerus & in sequentes formas redegit:

I. Si electio facta est in sanctificatione Spiritus & fide veritatis: utiq; non est facta absq; omni intuitu fidei. At verum illud. 2. Thessal. 2. v. 13. Ergo & hoc.

II. Propter incredulitatem fracti sunt Judæi, gentiles fidei stant: Rô: 11. v. 20. Ergo decreto electionis includitur fides, decreto reprobationis infidelitas.

III. Prædestinati sumus secundum propositum Dei, qui ante in Christo speravimus, Ephes. 1. v. 12. Ergo electio facta est secundum prævisionem fidei.

IV. *Anobis & titulis*, quibus electi describuntur. Decretum electionis comprehendit eos, qui diligunt Deum. Rom. 8. v. 28. Electi dicuntur *ΜΕΜΝΟΥΤΕΣ ΠΙΣΤΕΥΕΙΝ*, 1. Timoth. 1. v. 16. *ἅγιοι πιστοί*, Ephes. 1. v. 1. Ergo decretum electionis est cum intuitu fidei conjunctum.

V. *A complacentiâ electorum*. Quicumq; Deo placent, ij per fidem placent:

cent: sine fide enim impossibile est Deo placere. Hebr. II. v. 6. Electi Deo placent: Ergo per fidem, & proinde electio non est facta sine aspectu fidei.

VI. *A Christo in quo eligimur.* Nemo extra Christum eligitur, sed omnes in Christo. Ephes. I. v. 4. Ergo peccatores non sine intuitu fidei eliguntur.

VII. *A gratiâ Dei.* Sine quo gratia nobis ab æterno non fuit data, sine eo non sumus electi. At sine fidei intuitu gratia nobis ab æterno non fuit data: Ergo.

VIII. *Ab υιοθεσία.* Prædestinati sumus εις υιοθεσίαν. Ephes. I. v. 5. Ergo cum respectu fidei. Ratio: quia nulla υιοθεσία est sine fide.

IX. *Ab hereditate vitæ.* Nemo sine fide assumitur in hæreditatem vitæ æternæ. At in electione assumti sumus in hæreditatem vitæ æternæ. Ergo non sine fidei respectu assumti sumus.

X. *A proposito Dei.* Si propositum divinæ voluntatis de hominum salvatione includit Christum & fidem: etiam electio facta κατὰ πρόθεσιν includit. At verum illud. Ergo & hoc.

XI. *A merito Christi.* Christi meritum ingreditur decretum electionis. Ergo & fides, sine quâ Christi meritum non prodest.

XII. *A necessitate satisfactionis.* Gratia Dei non habet locum, nisi prius satisfactum sit justitiæ peccato læsæ. Electio autem præsupponit gratiam Dei. Ergo non sumus electi nisi prius satisfactum fuerit divinæ justitiæ. Satisfactio verò cum præstita sit à Christo, & per fidem nobis imputetur: palam igitur est, non esse nos electos sine intuitu fidei.

XIII. *Ab intercessione Christi.* Nemo eligitur nisi pro quo intercedit Christus ut eligatur. At Christus pro credituris tantum intercedit. Johann. 17. v. 29. Ergo fides simul in electione spectatur.

XIV. *A præscientiâ.* Deus ab æterno præscivit, quinam essent credituri, qui non. Ergo de utrisq; aliquid decrevit, vel non. Posterius est absurdum: Ergo prius verum. Decrevit igitur credituros salvare, incredulos damnare. Est igitur decreto prædestinationis inclusa fides.

XV. *A gratiâ particulari.* Si gratia Dei eligentis est universalis, electio verò particularis: sequitur electionem factam esse in fide Christi. At verum prius: Ergo & posterius. Connexum probatur. Aut enim restringitur illa universalis gratia ad particularem effectum, per hominum eligendo-

gendo-

gendorum fidem, aut per opera: At non per opera. Ergo per fidem.

Remonstrantes etsi negant fidem esse causam electionis, electione tamen priorem esse contendunt, dum fructum esse negant, sed conditionem in eligendis prærequisitam, quæ nonnullorum quoq; Lutheranorum est sententia. Rationes in collatione Hag: pag. 66. & seqq. producunt sequentes:

I. Voluntas Dei de hominum salute est totum decretum electionis. Velle perseverantes fideles servare est voluntas Dei de salute hominum. Ergo perseverantes fideles velle servare est totum decretum electionis. Assumptionem probant ex Johan. 6. v. 40. *Hæc est voluntas ejus qui misit me &c.*

II. Sine quo est impossibile placere Deo, sine eo impossibile est ad salutem eligi. *At sine fide impossibile est Deo placere.* Hebr. II. v. 6. Ergo sine fide est impossibile ad salutem eligi.

Propositionem probant: quia ad salutem eligi est supremus amor, quo Deus erga hominem afficitur, aut summum Dei erga hominem beneplacitum.

III. Dei placitum de hominis salute est prædestinatio ad salutem. Credentes velle servare est placitum Dei de hominis salute. I. Cor. I. v. 21. Ergo credentes velle servare est prædestinatio ad salutem.

IV. Electio quâ Deus nos elegit in CHRISTO est tantum fidelium. Electio facta ante jactum mundi fundamentum facta est in CHRISTO. Ergo electio facta ante jactum mundi fundamentum est tantum fidelium.

Propositionem probant: quia nemo potest esse electus quàm qui est in CHRISTO, quales sunt soli fideles. Assumptio probatur. Ephes. I. v. 4. *Sicut nos elegit in ipso.*

V. Quos Deus prædestinavit in adoptionem filiorum per JESUM CHRISTUM, & in CHRISTO acceptos fecit, considerantur ut fideles. Quos vero ad salutem elegit, eos prædestinavit in adoptionem filiorum per JESUM CHRISTUM, & sibi acceptos fecit in CHRISTO dilecto. Ephes. I. v. 5. 6. Ergo quos elegit ad salutem consideravit ut fideles.

Propositionem probant: quia nulla adoptio est in filios nisi per fidem. Johan. I. v. 12. Gal. 3. v. 26.

VI. Electi in scripturâ passim accipiuntur *pro fidelibus*. Nulla est igitur electio ad salutem nisi fidelium.

VII. Præ-

VII. Prædestinatio, quâ Deus in nonnullis ostendit suam misericordiam, est vera & unica prædestinatio. Atquî decretum de servandis fidelibus est prædestinatio quâ Deus in nonnullis ostendit suam misericordiam. Ergo decretum hoc est recta & unica prædestinatio.

Assumptio probatur. Rom. 9. v. 22. 23.

VIII. Quos & quales Deus in tempore servat: eos & tales ab æterno decrevit servare. At solos fideles perseverantes in tempore servat. Ergo.

IX. Decretum Dei de hominis salute, cujus fundamentum est Christus, est electio ad salutem. At decretum de servandis fidelibus est illud decretum Dei de salute, cujus Christus est fundamentum. Ergo decretum de servandis fidelibus est electio ad salutem.

X. Si fides electionem ad salutem sequitur, etiam sequitur illam Christi destinatio in Servatorem. At hoc absurdum & Christo inhonestum: Ergo & illud.

Propositio manifesta est ex ordine, quo absoluta Dei voluntas in decreto electionis statuitur ut causa reliquas omnes antecedens, Christum fidem, &c:

Assumptionem probant. I. Si destinatio Christi in Servatorem sequitur electionem singularium quorundam hominum ad salutem: Deus prius ordine singularibus quibusdam hominibus salutem destinavit, quam satisfactionem suæ justitiæ. At hoc absurdum. Ergo & illud. Assumptionem probant: quia Deus non potest salutem peccatoribus (*in quos solos prædestinatio agit*) destinare, nisi prius ordine satisfactionem justitiæ suæ destinaverit.

II. Si destinatio Christi in Servatorem sequitur singularium quorundam hominum electionem ad salutem: destinavit Deus ordine prius singularibus quibusdam hominibus salutem, quam merito JESU CHRISTI ad salutem impetrandam destinaverat. At hoc absurdum: Ergo & illud.

Assumptio probatur: quia hac ratione salus statuitur extra Christi meritum, quod tendit in contemptum honoris Christi & abolitionem sanctorum ipsius meritorum.

Hæc decima ratio occurrit pag. 127. 128.

CAPUT XXII.

JUDICIUM FERTUR IN GENERE DE PROPOSITÆ
*quæstionis approbatione ab adversarijs institutâ, & quadam adversario-
 rum responsiones cap. 18. recitata examinantur.*

E vigin-

EViginti quatuor rationibus, quas præcedentibus tribus capitibus proposuimus, quatuor tantum sunt, quæ quæstionem propositam concludunt. Omnes reliquæ aliud concludunt, quàm quæritur. Nec enim quæstio inter nos & Lutheranos est: *An æternum prædestinationis decretum ingrediatur meriti Christi & fidei consideratio?* Sed, *an Christi meritum & fides à Deo in æterno suo decreto considerata, sint causse prædestinationis ad vitam: illud quidem impellens, hæc verò instrumentalis aut impellens?* Posterius uti constanter negamus, & probationem ejus ab adversarijs flagitamus; sic prius ultro concedimus, nec probari nobis ab adversarijs petimus: immò plerisq; rationibus contra negantes ipsi uteremur. Quid attinet igitur hoc nomine Ecclesias nostras traducere, & quocunq; respectu absolutum electionis & reprobationis decretum per calumniam ijs affingere? Nonne expressa satis sunt D. Zanchij verba lib. 5. de naturâ Dei cap. 2. q. 4. *Etsi electio nostri facta est ex solo divinæ voluntatis proposito, non autem dignitatis operumq; cujusquam respectu: sine medio tamen (nempe inter decretum & executionem intercedente) facta non est. Neq; enim sine medio aliquo idoneo, tanta unio fieri poterat, quanta facta est inter eligentem Deum & electos homines.* Unde thesin hanc subjicit: *Quotquot ad æternam vitam electi sunt, ita in Christo electi sunt, ut extra Christum nemo sit electus.* Nonne expressa satis sunt D. Polani verba in syntagmate lib. 4. cap. 9. pag. 1590. *Nos apertè profiteremur, non omnem fidei intuitum, sed solummodo ut causse efficientis ab electione removendum.* Sic approbat quoq; Dn. Paræus Hunnij verba, cum dicit: *Eidem ingredi electionis mysterium non ut causam meritoriam, propter quam Deus nos eligat: nec propriè ut causam instrumentalem: sed ut partem illius divinæ τάξεως seu ordinis, quem DEUS æterno decreto electionis sue inclusit.* Dn. Piscator volum: 1. thes. loco 19. thes. 15. electionem definit *decretum aliquorum miserendi in Christo, & donandi eos conversione, fide, justitiâ & vitâ æternâ.* En quàm rotundè sententiam suam explicet D. Piscator, qui plerorumq; calumniatorum sermonibus vapulat. Anne verò ab electione, fidei, conversionis ac justitiæ intuitum excludit, quia omnia hæc definitioni expressè inserit? Sic Ursinus in Catechesi quoque definit electionem, *æternum & immutabile Dei decretum, quo decrevit gratuito aliquos ad Christum convertere, conservare in fide & pœnitentiâ, ac per ipsum donare vitâ æternâ.* Petrus Martyr in locis tom: 1. pag. 1093. *Sicut prædestinavit Deus quemq; electorum ad finem vitæ æternæ, ita & media prædestinavit, quæ ad illam eos*

S

lam eos

lam eos adducant, & cuiq; pro ut conveniebat. Quid pluribus opus? Nemo Theologorum nostrorum contrarium docuit. Imprudens igitur adversariorum calumnia est, quâ electionem quovis respectu absolutam, sine omni fidei in Christum respectu aut intuitu factam Ecclesijs & Doctoribus nostris impropere. Quod si verò de absoluto decreto loquuntur, non media ad executionem destinata, per & propter quæ salutem conferre electis Deus decrevit excludunt: sed causas duntaxat, extra beneplacitum Dei, Deum ad decernendum impellentes: in quibus nec ipsi adversarij moderni fidem prævisam numerare videri volunt. Viderit igitur Eckardus, quâ fronte in fasciculo suo cap. 15. q. 9. Petri Martyris sententiam ut erroneam alleget, cum ex ipsismet verbis allegatis manifestum sit, non quemvis fidei respectum ab electione removeri: sed eum saltem, quo movere Deum ad prædestinandum dicitur. Sic enim prima habet periodus: *Si quod esset ex nobis, quòd posset movere Deum ad prædestinandum, id maxime esset fides: & paulò post: re autem vera hoc ne fidei quidem tribuendum est.* Ita scilicet orthodoxè negat Eckhardus in eadem quæstione respons. ad object. 5. electionem pendere à fide, ut à causâ impellente. Idem verò dum Martyr negat, graviter errat. Eodem candore Keckermannum allegat & Piscatorem. Hactenus iudicium nostrum de propositæ quæstionis approbatione ab adversarijs institutâ.

Paucis sententias discrepantes ponderemus. Fidem prævisam causam electionis, hoc est, decreti æterni, commodè appellari non posse cum adversarij rem accuratius ponderantes fateantur; & jam ante nos absurditatem assertionis demonstraverimus: non est, quod in idem hoc loco laboriosè animadvertamus. Hoc saltem addimus, fidem in prævisione Dei non alium habuisse respectum, quàm quem actu existens habet. Quod enim fides in tempore est, id futuram ab æterno Deus prævidit. At actu existens est effectum electionis; vel, si malis, consequens. Prævidit igitur Deus ab æterno effectum seu consequens futuram. Fuit igitur fides in intuitu Dei non causa sed effectum electionis. Itaq; falsissimam arbitramur illam Graueri comparationem. Ut se habet fides actu existens ad justificationem, sic prævisa ad electionem. Sunt enim justificatio & electio actiones Dei inter se maxime differentes. Illa actio Dei est externa, temporanea, mediata ratione causarum instrumentaliũ, ab agente principali adhibitarum, à Deo realiter distincta: Ista actio Dei interna, æterna, im-

diata

diata ratione caussarum instrumentalium, à Deo realiter non distincta. Hinc est quod *ἀνεπιβεβη* aliij fidem non causam instrumentalem electionis, sed cautelam duntaxat seu conditionem appellandam existiment: qui tamen non rotundè & perspicuè sententiam suam explicant, sed ambiguis verbis implicant. Vel enim fidem in prædestinatis attendi existimant, tanquam necessariam conditionem, sine quâ nemini vitam conferre Deus decrevit; ita, ut non electionis, sed vitæ per electionem decretæ sit conditio: vel à fidei conditione suspensam putant electionem, ita ut neminem Deus elegerit, nisi cum conditione, si crediturus sit. Priorem sententiam admittimus & ipsi propugnamus: Posteriores rejicimus & impugnamus. Est enim conditio illa mutabilis vel immutabilis. Si mutabilis, ipsa quoq; electio erit mutabilis, & caussa prima pendebit à secundâ, quod *ἀποπρωτων*. Si immutabilis, ut Pelagij evitetur hæresis, hoc modo necessario erit explicanda: Deus aliquos elegit cum hac conditione, si fide eos velit donare. Quid verò hoc aliud est, quàm vel Deum indecernendo fluctuantem fingere? vel voluntatem ejus, quæ prima omnium rerum causa, à medijs suspendere? vel imprudentiæ eum insimulare, qui primam de medijs, non de fine cogitationem suscepit? Summa: Si Pelagianismum, uti verbis protestantur, sic animis detestantur, cur Pelagianam de fide prævisâ phrasin nondum satis explicatam, veluti scopulum, non vitant, & de fide electis per gratiam donandâ, omnibusq; naturæ depravatæ obicibus per eandem gratiam removendis scribunt & concionantur? nempe à Deo aliquos ad vitam ab æterno electos, eosdemq; ad media inter electionem & vitam æternam intercedentia simul destinatos: vel, decrevisse Deum, aliquos æternæ vitæ participes facere per certa media non in eligendis prævisa, sed electis in tempore suppeditanda; & ita quidem decrevisse, ut non à medijs electionem, sed media ab electione suâ gratuitâ suspenderit: quia media ad finem sunt destinata, non finis ad media. Sic eorum, quæ in electionis decreto attenduntur, ordinem rectè explicarent, & omnem Pelagianismi suspicionem nobis eximerent. Illa quoq; Mylij verba, *fidem ab electione pendere ut subordinatum à subordinato*, sunt subobscura. Electio enim non est subordinatum quid, respectu eorum, quæ cadunt sub electionem: sed potius principium subordinans media ad finem. Obscuriora vel absurdiora potius videntur illa Eckardi verba: *Electio pendere à fide, non ut à principio, sed ut ordinatum à suo ordine*. Hinc homini electio est ordinatum, fi-

des ordo. Est igitur fides forma electionis; ordo enim ordinati forma est. Estq; eadem naturâ prior electione: Forma enim naturâ prior est formato. Est simplicior electione. Forma enim simplicior est formato. Est actus electionis: Forma enim actus est formati. Ecquid verò excogitari possit absurdus? Aliter si sentit Eckardus, certè loqui aliter debebat. Arridet magis Meisneri candor, qui ait fidem esse causam instrumentalem non quidem totius electionis, sed potius partis, nempe meriti Christi, quod fides apprehendit: quod etsi insolens loquendi genus est, ut supra monstravimus, sensus tamen videtur esse sanior: nempe, fidem dici causam instrumentalem electionis, quia organon est, quo Christi meritum, quod & ipsum in electionis decreto in considerationem venit, apprehenditur. Quem Lutheranae assertionis sensum nisi Meisnerus nobis explicasset, vix ullus nostratum è verbis eruere potuisset. Quod subjicit, convenientius esse fidem appellare conditionem electionis, admittimus; si conditionem intelligat electioni subordinatam, non præordinatam: magis tamen probamus, quod partem ordinis prædestinatorij eandem appellat. Eorum enim, quæ electio concernit, fidem quoq; partem esse, credimus, profitemur & scribimus. Sed nimium sibi videtur concessisse Meisnerus. Itaq; statim subjungit, convenientissimum esse, nec fidem nec Christi meritum seorsim appellare causam electionis, sed conjunctim, vel Christi meritum fide apprehensum, vel fidem Christi meritum apprehendentem. Hanc veram esse electionis causam impellentem. E quidem haud credo quicquam inconvenientius aut magis præcipitatum huic viro potuisse excidere. Anne fides, Christi meritum fide apprehensum, res una sunt & eadem, uniusq; causæ vim habent? Justificamur propter Christi meritum fide apprehensum, teste Scripturâ & Lutheranis Ecclesijs. At propter fidem, Christi meritum apprehendentem, non justificamur teste eadem Scripturâ & Lutheranis Ecclesijs. Videantur acta Colloquij Aldeburgensis. Errorem hunc Arminiana factio videtur fovere, ut colligere est ex disceptatione epistolari inter Sibrandum & Bertium de justificatione. Non igitur æquipollere phrasas, propter Christi meritum fide apprehensum eligi, & propter fidem Christi meritum apprehendentem eligi, (etsi utrumq; falsò asseritur) hinc facile agnoscat Meisnerus, qui cum sodalibus suis easdem justificationis & electionis esse causas haud semel inculcat. Sed hoc imprimis pro confesso jam accipimus, quod dat Meisnerus, fidem, Christi meritum apprehendentem, movisse seu impulisse

impulisse

potuisse Deum ad eligendum, quod hactenus à nobis sibi exprobrari adeò ægrè tulerunt Lutherani, ut non calamo sed fulmine calumniam hanc refutandam esse, scripserit Sigivardus contra Irenicum pag. 173. Videat igitur Meisnerus quì fulminantis Sigivardi tela effugiat. Succedit deniq; Hunnij declaratio, cui minimè contradicimus, ut qui ab electione omnem fidei respectum neutiquam removemus, nec electionem respectu finis & mediorum ad salutem consequendam destinatum absolutam docemus, ut ex adductis Theologorum nostrorum testimonijs planum est.

In primis autem rotunda illa nobis placet confessio, quod Mediatoris constitutionem, oblationem, & receptionem per fidem, ipsamq; fidem, & omnino eam consequentia bona è solo electionis fonte promanare ingenuè, verè & piè confitetur. Quod si omnes agnoscerent Lutherani: fidem electionis esse causam tam imprudenter & importunè non contenderent, & ab Arminiani schismatis errore longius recederent.

Hactenus nonnullæ *Lutheranorum* responsiones examinatae. Ad *Remonstrantes* veniamus: negant ij primò quenquam electum esse nisi fidelem: quod & nos rectè intellectum negamus, sed longè alio sensu quam *Remonstrantes*. Non nisi fideles electos dicimus, hoc sensu: ut ab æterno intelligantur electi, quicunq; in tempore verà fide Christum amplectuntur, quos elegit Deus non ut fideles in conspectu suo, sed ut peccatores qui in Adamo perfidè à Deo defecerant; quos in pristinum reducere statum Deus decrevit, destinatis ad executionem decreti medijs misericordiae & justitiae suae illustrandae idoneis. *Remonstrantes* verò cum non nisi fideles electos ajunt, fidem in eligendis tanquam conditionem præcedentem electionis decretum, contra scripturam & rationem, considerant, ut supra probavimus. Argumenta paradoxo & heterodoxo hujus dogmatis elumbia prorsus in sequentibus recensebimus & refutabimus. Quasò quid causae fuerit cur pro peccatoribus Christum in mortem tradere, & inimicos sibi per mortem filij reconciliare voluerit, Rom. 5. v. 8. & 10: peccatores autem & inimicos eligere non voluerit? Dicent, opinor, non potuisse nos eligenti Deo sine fide placere, non potuisse amari. Respondeant igitur: Quì inimici & peccatores adeo potuerimus Deo placere, ut filium suum unigenitum pro nobis in mortem daret, & per mortem ejus sibi reconciliaret? Negant porò fidem esse fructum ex electione prodeuntem: Deum immortalem! quantà proterviâ! Nullum heïc allegare possunt scripturae testimonium,

quod vel in speciem huic monstro opinionis faveat, uti mox videbimus. Evidentissima autem scripturæ testimonia, quæ contra monstrum hoc producuntur, monstrosi adeo glossis eludunt, ut mercede videantur conducti, qui Spiritui Dei impudentissimè obloquantur: sed hac de re pluribus suo loco. Videamus è sacris literis quid Augustinus hac de re didicerit, quid doceat. Respons. 12. ad articul: falso sibi impos: contra Remonstrantes ita docet: *Sed potius prædestinatio facit, ut ex filiis Diaboli fiant filii Dei & ex templo Dæmonum templum Spiritus Sancti, & ex membris meretricis membra fiant Christi.* Idem de fide ad Petrum cap: 35. *Prædestinatio gratuita donationis est preparatio, quâ nos Apostolus ait prædestinatos in adoptionem filiorum Dei, per Jesum Christum in ipsum.* Et lib. 1. de prædest. sanct. cap. 17. *Intelligamus ergo vocationem quâ fiunt electi, non qui eliguntur, quia crediderunt, sed qui eliguntur ut credant. Nam si propterea electi erant, quoniam crediderant: ipsi eum prius utiq; elegerant credendo in eum ut eligi mererentur.* Augustino suffragatur Fulgentius ad Monimum libro 1. *Donat gratis indigno gratiam, qua justificatus impius illuminetur munere bonæ voluntatis, & facultate bonæ operationis, ut præveniente misericordiâ bonum velle incipiat, & subsequente misericordiâ bonum quod vult facere valeat. Utrumq; autem prædestinando Deus preparavit in illa incommutabili voluntate, in quâ sic futurum effectum hominis renovandi disposuit, ut ejus voluntas in opere novo nova esse non possit.* Affirmant præterea Remonstrantes, electionis causam esse solum Dei beneplacitum, & tamen simul ajunt, Christum esse electionis causam. Anne forsan idem sunt Christus & Dei beneplacitum? Deniq; quæro, quo fine det Deus homini eligendo fidem? Nonne ut in tempore fides est medium quo vitam obtinemus, sic & ab æterno cum fidem nobis Deus decerneret, medium esse voluit, quo vitam obtineremus? Prius igitur ad vitam nos elegit, quam fidem nobis dare constitueret; media siquidem ad finem præstitutum destinantur, non finis ad media. Est igitur decretum fidei dandæ posteriore decreto vitæ conferendæ. Nisi cum ratione velint insanire Remonstrantes, & executionem decreto contrariam fingere, necessario tandem in sententiam nostram concedent.

Sed obiter heic observandum, non posse ita monstra sua premere Remonstrantes, quin subinde promant. Negant, ut supra vidimus, expresse fidem esse causam electionis. Idem tamen alibi haud obscurè affirmant, pag. 127, connexum hoc: *Si fides electionem ad salutem sequitur, etiam sequitur*

quitur

quitur illam Christi destinatio in Servatorem. Probaturi, subijciunt: Consequentiam propositionis est videre ex ordine, quo absoluta Dei voluntas in decreto electionis statuitur, ut causa reliquas omnes causas, Christum, fidem, & precedens. Quis quæso Christum & fidem causas electionis statuit nisi Remonstrantes? Iidem alibi ajunt: mittit Deus verbum suum, quo ipsi visum fuerit, non secundum aliquod decretum absolutum, sed propter alias causas in homine latentes. Si propter causas in homine latentes vocatur, utique etiam propter easdem eligitur. Reliquorum Arminianorum eadem est mens, quam phrasibus sat dilucidis exprimunt: nempe decretum electionis inniti prævisioni fidei: Electionem esse factam ex prævisione fidei: electionem dependere à fide prævisa: electionem esse ex fide prævisâ. Quid quæso aliud heic notant nisi fidei causalitatem in electione? Rotundas & apertas confessiones adhuc premunt, ne nimis suspecta reddant Ecclesiæ paradoxa sua. Certum est Remonstrantes & Arminianos *πελαγαριζόντες & σωκινίζοντες.*

CAPUT XXIII.

SOLVUNTUR RATIONES DUÆ GENERALES
capite. 19. propositæ.

Aggrediamur jam solutionem rationum ab adversarijs pro dogmatis sui confirmatione allatarum. Et primum quidem duas rationes generales cap. 19. propositas hoc capite expediamus.

Prior ratio vel nostro iudicio invicta est: verum non nobis sed ijs opponenda, qui decreti & executionis harmoniam in sacris literis fundatam turbant. Nostra enim assertio orthodoxa, constans & perpetua hæc est:

Deus non alio modo alijsvè causis in tempore nos salvos facit, quam quibus salvos facere ab æterno decrevit.

Ab æterno decrevit, nos ad æternæ felicitatis portum per & propter Christum, in Evangelio nobis oblatum & verâ fide à nobis apprehensum, deducere, & in tempore per & propter Christum in Evangelio oblatum verâq; fide à nobis apprehensum ad portum hunc per mundani oceani fluctus & tempestates nos deducit. Sic olim sensimus, sic jam sentimus, sic deinceps sensuri sumus. Quis neget, quod non tantum divinis oraculis, sed & quotidianâ experienciâ comprobari videt? Plusquam imprudentes sunt, qui contrarium nobis malitiosè affingunt. Quid verò ex hac nostrâ confessione

fione

sione tandem inferent? Easdem scilicet decreti, hoc est, voluntatis divinæ & effectorum à voluntate in tempore perfectorum esse causas? Hoc verò absit, ut sequatur. Decevit enim Deus vitam dare propter Christi meritum verà fide apprehensum, non verò propter Christi meritum tanquam causam impellentem; & per fidem, tanquam causam instrumentalem, decevit. Etiam si igitur effecta divinæ voluntatis priora posteriorum sunt causæ: divinæ tamen voluntatis causæ non sunt, ut quæ prima & independens omnium rerum est causa. Nam ne à fine quidem, quem propositum sibi habet, movetur divina voluntas, ut supra è Scholasticis & Zanchio ostendimus. Zanchij verba ad rem præsentem facientia & sententiam nostram confirmantia ex 3. de naturâ Dei cap. 4. q. 11. thes. 7. pag. 264. b. digna observatu hæc sunt: *Non vult Deus aliquid frustra aut temerè, sed quicquid vult, propter aliquem finem; hoc est, ad aliquem finem vult; & verò etiam vult, ut sit propter finem. Ceterum non ita vult propter finem, ut à fine adducatur ad illud volendum. Ergo analysis hæc esto: Prædicari vult Evangelium propter fidem, hoc est, ut per illud fides in electis, vi Spiritus Sancti, excitetur. Excitari vult fidem in Christo propter justificationem, hoc est, ut per illam justificemur: justificari nos vult propter glorificationem: hoc est ut justificati recipiamur in possessionem æternæ gloriæ. Ita videmus, unum ex alio, & unum ordinatum esse ad aliud. Ceterum non sequitur Dei voluntatem ab uno, ad aliud volendum vel dandum moveri adducive. Ratio est: quia Deus uno & eodem actu, eoque æterno, voluit nobis & finem, idest, gloriam, & media ad finem, hoc est gratiam, & omnia gratiæ effecta. Quam eandem rationem adducit quoque Thomas Aquinas in loco, quem supra allegavimus: unde ejusdem Thomæ pronunciatum: *Vult Deus hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc:* hæc denuò inculcamus. Hactenus invicta & palmaria ratio.*

Altera ratio sententiæ nostræ non est opposita. Nec enim nos negamus in electione Deum attendisse ad Christi meritum fide à nobis per Spiritus Sancti gratiam apprehendendum. Si connexi consequens loquatur de prævisione meriti Christi per fidem apprehendendi, tanquam causâ impellente Deum ad electionis decretum: ex antecedente id sequi negamus. Dicitur enim electio facta κατὰ πρόγνωσιν, non ut fidei nostræ Christum apprehensuræ prævisio seu præscientia electionis causa indigetur: sed ut electio ad finem & ad media, quæ voluntatis est, non sine æternâ præcognitione, quæ ad intellectum pertinens nostro concipiendi modo actione voluntatis

luntatis

luntatis ordine prior est, facta intelligatur. Scriptura enim, cum de sublimitate divinâ loquitur, ad nostram humilitatem descendit, & ad eam se accommodat. Primum igitur, si ad nostrum captum, quæ divina sunt, applicemus, eligendos Deus præcognovit, hoc est, præscivit quos ad gloriam esset destinaturus; Deinde ad gloriam quoque eosdem destinavit, adeo ut præcognoverit prædestinandos, & prædestinârit præcognitos. Utque præcognitio conjuncta est cum dilectione, sic & electio non fluxit nisi ex dilectione. Hinc est, quod inter orthodoxos nonnulli per *πρόγνωσιν* apud Petrum intelligant dilectionem Dei fontem electionis. D. Piscator uti & D. Paræus in loco ad Romanos per *πρόγνωσιν* intelligunt ipsam electionem. Falli utrumq; ait Meisnerus. I. quia Paulus *πρόγνωσιν* sejungit à *προορισμῶν*. Tautologia igitur ex sententiâ Theologorum horum erit: Quos præscivit, hoc est, prædestinavit, eos etiam prædestinavit. II. Quia *πρόγνωσις* intellectus, 2. Timoth: 2. v. 19. *ἐκλογή* voluntatis est. Ephes: 1. v. 5. Resp. Si maximè per *πρόγνωσιν* intelligatur electio, tautologia tamen, quam fingit adversarius, in Paulo nulla erit: *πρόγνωσις* enim electionem ad finem, *προορισμός* electionem ad media denotabit. Nec enim Paulus simpliciter ait *προώρισε*, sed *προώρισε συμμόρφως τῆς εἰκόνας τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ*, ut sint conformes imagini Filij sui. Conformitas hæc in hac vitâ inchoatur, & sine eâ ad alteram non fit transitus. II. Etsi *πρόγνωσις* intellectus propriè est, tamen quia cum dilectione & electione conjuncta est, quandoque pro ipso proposito eligentis, seu electione sumitur, ut in observationibus ad caput octavum ostendit Piscator. Hactenus altera ratio.

CAPUT XXIV.

*SOLVUNTUR RATIONES SPECIALES PRO
Christi merito cap. 20. propositæ.*

Fuerunt rationes generales: Ad specialium, & primum quidem earum, quibus nituntur monstrare Christi meritum esse causam impellentem electionis, seu propter Christi meritum nos esse electos, examen pergimus.

Primæ connexum negamus: approbatio partim inconsequens, partim falsa est. Inconsequens, quia è particulari colligit particulare. Plerunq; præpositio in significat per aut propter. Ergo etiam in allegato Pauli loco,

T

li loco,

li loco. Falsa est, quia nec apud Hebræos præfixum Beth, nec apud Græcos ἐν, nec apud Latinos *in* plerunq; per aut propter significat. Prolixâ probatione hæc nullâ opus, ad lexica linguarum harum provoco. Quis ergo, inquit, sensus erit phrasew, *in Christo eligi*? Resp. Cum scriptura nusquam dicat nos per aut propter Christum electos esse ad vitam æternam, nec per legitimam consequentiam hic sensus ex Scripturâ evinci queat: nemo sanus, opinor, vitio nobis vertet, quod glossam hanc repudiemus. Cum igitur electio sit ad vitam æternam, quæ nemini datur nisi in Christo, qui merito suo peccata nostra expiavit, & justitiæ divinæ pro nobis satisfecit, nobisq; justitiam suam per fidem imputat, ac per Spiritum suum justificados regenerat: In Christo eligi aliud nihil est, quàm eligi ad æternam vitam, in Christo, nos à maledictione Legis redimente, justificante & sanctificante conferendam; ita ut phrasi hæc non denotetur causa ipsius electionis, sed fundamentum executioni electionis substratum, & in æterno Dei consilio ad executionem destinatum. Sensem hunc Pauli verba nobis monstrant; Elegit nos, inquit, in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati. Cum enim *sine sanctitate Deum nemo sit visurus*, Heb: 12. v. 14. Et verò in æterno Dei conspectu omnes peccatorum fordibus maculati, & ex justitiâ Dei æternæ mortis rei fuerimus: Deus ex merâ suâ misericordiâ ad æternam nos vitam elegit, ita quidem, ut decreverit ejus nos participes facere, sed præstitâ satisfactione sibi reconciliatos & in conspectu suo sanctos & immaculatos. Hanc verò implere salutis conditionem, quia in nostris viribus non erat: ipse Deus, qui finem nobis pro *εὐδοκίᾳ* suâ destinaverat, media quoq; ad finem gratuito nobis suppeditare decrevit. Inde elegit nos ad vitam æternam, sed in Christo sanctificandos, sibiq; reconciliandos prius quàm ad vitæ possessionem admitteremur. Hinc salutare illud exurgit justitiæ & misericordiæ temperamentum, quod Angeli beati ac homines mirantur & venerantur.

Multa movet Meisnerus, ut hanc Paulinæ phrasew interpretationem evertat: thes: 23. quam D. Piscator hisce verbis eloquitur: *Eligi in Christo nihil aliud est, quàm eligi ad hoc, ut electi propter Christum sanctificemur, atq; ita ad vitam æternam perducamur; videamus machinas ejus.*

Hoc interpretamentum, inquit, I. Est contortum, textui vim facit; & probari nequit. Resp. Verba sunt, quibus nulla rerum pondera subsunt, fuit.

fuit interpretatio hæc è Pauli verbis, & Scripturæ Sacræ consentanea est, ut constat ex ijs, quæ in explicatione modò diximus, II. Facit Paulum *τρυτολόγον*: hæc enim foret periphrasis: *elegit nos ad hoc, ut propter Christum sanctificemur, ut sancti essemus*. Resp. Tantologiam hanc sibi fingit adversarius, quam nostra interpretatio non infert; nec verò D. Piscatoris verba, quæ sine causâ exagitat. Non enim attendit Dn. Piscator sola illa Pauli verba *in Christo nos elegit*, sed integrum Pauli contextum, qui sic habet, *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati*. Unde eligi in Christo, ait esse ad hoc eligi, ut propter Christum sanctificemur: seu, ut Paulus loquitur, ut simus sancti & immaculati, nempe per & propter Christum. III. Dividit componenda: idem enim sensus est utriusq; phraseos: *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo, sicut & elegit in ipso*. Jam quemadmodum *benedicere in Christo* non significat benedici in hoc, ut propter Christum sanctificemur, sed potius benedicimur per & propter Christum, ita etiam illa phraseis *eligimur in Christo*, idem est ac eligi per & propter Christum.

Resp. I. Eundem utriusq; phraseos sensum esse, non concedimus. Benedictio enim de quâ Paulus loquitur, in tempore fit, & pars est executioniselectioni subordinatæ. Electio ad æternam vitam per benedictionem in Christo dandam ab æterno facta est. Cum igitur decreti & executionis causæ eadem non sint, ut pluribus supra probavimus; verborum, *in Christo*, idem utrobique sensus esse non potest. II. Quæ verò hæc consequentia? *Benedicere in Christo* non significat, benedici in hoc, ut propter Christum sanctificemur. Ergo nec eligi in Christo (nempe ut simus sancti & immaculati, hæc enim verba addit Apostolus, quæ in explicatione quoque attendit Dn. Piscator) idem est quod eligi in hoc, ut propter Christum sanctificemur. Anne iisdem prorsus verbis Paulus de benedictione & electione verba faciens utitur? De benedictione ait: *Benedixit nobis omni benedictione spirituali in cælis in Christo: v. 3*. De electione: *Elegit nos in ipso antequam jacerentur fundamenta mundi, ut simus sancti & inculpatores coram eo per caritatem: v. 4*. Cum igitur in Christo nos electos dicat, ut simus sancti & inculpatores, non verò benedictos omni benedictione spirituali, ut simus sancti & inculpatores: anne posteriori negato, quod ab Apostolo non affirmatur, prius illico negandum fuerit, quod ab Apostolo affirmatur? Quis, quæso, dicere poterat Apostolus, nos omni benedictione spirituali esse benedictos,

dictos, ut simus sancti & inculpati, cum sanctitas benedictionis illius spiritualis pars sit? At verò rectè dixit in Christo nos esse electos, ut simus sancti, quia electio ad vitam in electis requirit sanctitatem, à Christo tanquam auctore sanctitatis & vitæ dandam. Elegit enim nos Deus ad salutem, sed interveniente satisfactione Christi, tanquam causâ salutis, & sanctitate tanquam conditione salvandorum, possidendam: ita tamen, ut nec Christi satisfactio nec sanctitas electionis sit causa, sed utraq; effectum. Non enim elegit nos Deus, quia per Christum à maledictione Legis nos erat redempturus & sanctificaturus, sed à legis maledictione per Christum redemit & sanctificavit, quia nos ad vitam elegit. Hactenus tertia instantia.

IV. Intervertit concinnitatem Paulinæ comparationis. Comparat ille benedictionem & electionem. Utramq; in Christo ait esse factam: Calviniana glossa hoc turbat & non dicit; sicut in Christo benedicimur, ita in Christo eligimur: sed hoc modo construit: sicut in Christo benedicimur, ita eligimur ad hoc, ut propter Christum sanctificemur. Refert ergo verba illa (in Christo) non ad utrumq; sed ad primum duntaxat comparationis membrum. Resp. Non Calviniana sed Meisneriana hæc glossa est. Quis contra expressa Apostoli verba neget, benedictionem & electionem in eo conferri, quod utraq; in Christo sit facta? Ut benedictio in Christo fit in tempore, sic & electionem ab æterno in Christo factam, affirmante Apostolo affirmamus & docemus. Interim negamus eodem modo & respectu in Christo factam esse electionem ab æterno, quo fit benedictio in tempore. Benedicimur enim in Christo tanquam auctore & causâ benedictionis spiritualis, justificationis & sanctificationis: Electi sumus in Christo, tanquam fundamēto electionis executioni subordinato & substrato. Cum enim Deus ad vitam nos eligeret, de decreti quoq; executione simul cogitavit, & ad finem electionis non nisi per Christum nos perducere, decrevit, quo sensu elegisse nos (nempe ad vitam æternam) in Christo dicitur. Itaq; si accuratè textum inspexeris, executionis & decreti divini harmoniam à Paulo ostendi patebit. Quemadmodum enim in tempore benedicimur in Christo omni benedictione spirituali, sic & ab æterno electi sumus in Christo, ut benedictionem spiritualem per & propter eum assequeremur. Hæc quarta instantia. V. Pugnat cum descriptionis tempore, Paulus enim in Christo nos ait esse electos ante constitutionem mundi, hoc est, ab æterno. Sanctificatio autem fit in tempore. Ergo id, quod Paulus

hinc in

hic in Christo factum esse dicit, non est sanctificatio, sed electio. Resp. Electionem cum sanctificatione quæ fit in tempore, absit ut confundamus. Quis verò neget, ut in tempore sanctificamur in Christo, sic ab æterno quoque Deum decrevisse nos sanctificare in Christo? Elegit enim nos in Christo, ut essemus sancti & immaculati. Distinguitur igitur inter sanctificationem, quæ fit in tempore, & decretum sanctificationis æternum.

Secunda assumptionem negamus, si inter electionem & benedictionem panharmoniam causarum statuatur. Probatio ex Paulo ad rem non facit. Comparat Paulus benedictionem cum electione in eo quod utraq; facta fit in Christo: Non verò ait eodem modo utramq; in Christo esse factam, seu easdem ob causas. Particula καὶ ὡς notat consensum executionis cum decreto; ut enim in Christo benedicimur, sic & benedictionem per æternam electionem in Christo nobis Deus decrevit. Inde verò non sequitur easdem esse causas benedictionis in tempore factæ, & electionis seu decreti æterni.

Tertia conclusio assertioni nostræ non contradicit: Etiam si assumptio falsa est. Non enim dicit Apostolus nos esse electos per Christum: *Sed electos esse ad ὑποθέσιν per Christum*, nempe obtinendam. Verba igitur διὰ Χριστοῦ non pertinent ad participium προσπίστως, sed ad sequentia, εἰς ὑπόθεσιν. Fons verò electionis ibidem nominatur εὐδοκία τῆς θελήματι.

Quarta cōnexum sine ambiguitate informatum tale est: Propter quem cari sumus redditi, redempti, remissionem peccatorum consecuti, vocati, propter eundem etiam sumus electi. Hoc connexum negamus: Confundit enim decretum cum executione, quorum easdem esse causas, negamus.

Quintam totam concedimus.

Sexta assumptionem negamus. Disjunctum, quo probatur assumptio, quod attinet, si iratus idem sit, peccatis offensus, dicimus, nos esse electos à Deo irato, nempe peccatores & æternæ damnationis reos, quibus non potest non irasci Deus. Ergo, infert adversarius, electio redundaret in perniciem nostram. Resp. Id verò sequi negamus. Etiam si enim gravissimè peccatis nostris Deus erat offensus, ita tamen nos dilexit, ut Filium suum unigenitum dare pro nobis decreverit: Joh: 3. Dilectio igitur illa prima & antiquissima est causa missionis Filij, non missio Filii & causa dilectionis istius: Quod qui negant, Christi dictum invertant oportet, hoc modo: *Deus misit Filium suum ut nos diligeret, non ita nos dilexit, ut Filium suum mi-*

ferit. Sic in epistolâ ad Romanos cap. 5. v. 8. Dicitur Deus commendare suam caritatem erga nos : quod, cum adhuc essemus peccatores, vel ut vers. 10. loquitur, inimici, Christus pro nobis mortuus sit. Quo verò pacto Deus peccatores nos potuerit diligere, etiam si peccatis nostris esset offensus, & æternæ mortis reos nos pronuntiaret, eruditè & piè explicat Calvinus institut. lib. 2. cap. 16. sect. 3. cujus verba, quia meliora dare non possumus, meritò heic referimus. Deus, inquit, qui summâ justitia est, iniquitatem, quam in omnibus nobis conspiciatur, amare non potest. Habemus ergo omnes in nobis, quod Dei odio dignum sit. Proinde secundum corruptæ nostræ naturæ, & deinde accedentis prævæ vitæ respectum, in offensione Dei revera sumus omnes in ejus conspectu rei & ad gehennæ damnationem nati. Verum, quia Dominus in nobis, quod suum est, perdere non vult; adhuc aliquid invenit, quod pro sua benignitate amet. Utcunq; enim peccatores vitio nostro simus, manemus tamen ejus creaturæ: utcunq; nobis mortem asciverimus, ipse tamen ad vitam nos condiderat. Sic merâ & gratuitâ nostri dilectione excitatur ad nos in gratiam recipiendos. Atqui, si perpetuum & irreconciliabile dissidium est inter justitiam & iniquitatem; quam diu peccatores manemus, suscipere nos totos non potest. Itaq; ut sublatâ omni simultatis materiâ nos sibi prorsus reconciliet, propositâ in merito Christi expiratione, quicquid in nobis mali est, abolet; ut justî in ejus conspectu & sancti appareamus, qui antea immundi eramus ac impuri. Proinde suâ dilectione prævenit & antevertit Deus Pater nostram in Christo reconciliationem. Imo, quia prius diligit, postea nos sibi reconciliat. Sed quia in nobis, donec suo merito succurrit Christus, manet iniquitas, quæ Dei indignationem meretur, & est coram eo maledicta & damnata: non ante plenam habemus firmamq; cum Deo conjunctionem, quam ubi Christus nos conjungit. Adeoq; si Deum nobis placatum & propitium volumus polliceri, in Christum solum oculos mentesq; defigere convenit; ut revera per ipsum solum consequamur, ne impotentur nobis peccata, quorum imputatio iram Dei secum trahit. Hactenus Calvinus. Non minus elegantia sunt Augustini verba, quæ sectione quartâ subjungit ex tractat: in Johan: 110. Incomprehensibilis & immutabilis est Dei dilectio. Non enim ex quo ei reconciliati sumus per sanguinem Filij ejus cæpit nos diligere, sed ante mundi constitutionem dilexit nos, ut cum ejus unigenito etiam nos filij essemus, antequam omnino aliquid essemus. Quod ergo reconciliati sumus per mortem Christi: non sic accipiatur, quasi ideo nos reconciliaverit ei filius, ut jam amare inciperet, quos oderat; sed jam nos diligenti reconciliati sumus,

sumus,

sumus, cum quo propter peccatum inimicitias habebamus. Quod utrum verum dicam attestetur Apostolus. Commendat, inquit, dilectionem suam erga nos, quoniam, cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Habebat itaq; ille erga nos charitatem, etiam cum inimicitias adversus eum exercentes operaremur iniquitatem. Proinde miro & divino modo, & quando nos oderat, diligebat. Oderat enim nos quales ipse non fecerat; & quia iniquitas nostra opus ejus non omni ex parte consumserat, noverat simul in unoquoq; nostrum & odisse quod feceramus, & amare quod fecerat. Sic igitur Augustinus pro nobis respondet.

Septimam totam concedimus, modò perperam Apostoli verba non accipiantur.

CAPUT XXV.

*SOLVUNTUR RATIONES SPECIALES PRO FIDE
prævisâ, seu electionis decretum antecedente,
cap. 21. proposita.*

Hactenus solutæ rationes pro Christi merito allatæ, ad eas digredimur; quas capite 21. pro fide prævisâ produximus.

Primam totam concedimus. Observandum tamen, assumptionem in allegato Pauli testimonio non reperiri. Sic enim verba textus habent: *Debemus gratias agere &c. quod elegerit vos Deus ab initio ad salutem per sanctificationem Spiritus & fidem veritati habitam*, ubi sanctificatio Spiritus & fides referuntur ad salutem, tanquam necessaria ejus antecedentia, non ad electionem, à quâ tanquam causâ fluunt.

Secunde consequens assertioni nostræ non contradicit: nisi fortè fidem & infidelitatem causas decreti electionis & reprobationis statuatur. Sic enim ex antecedente non sequetur: ab executione enim ad decretum æternum non valet consequentia.

Tertia consequentiam negamus, si in consequente fidei prævisio statuatur electione prior, ejusq; causa. Participium, ἵς ἐρηλιπιότας, non arguit ex prævisione fidei profectam esse electionem, sed Judæos prius quàm gentes vocatos & ad Christum conversos indigitat.

Quartam totam concedimus. Soli enim ij, qui in tempore diligunt Deum, qui credunt & regenerantur, ab æterno sunt electi, non quia dilecturi, credituri & regenerandi erant, sed ut Deum diligerent, crederent, regenerarentur.

Quin-

Quinta conclusio assumptioni nostræ non contradicit. Quomodo verò adhuc peccatores inimici Dei & æternæ damnationis rei Deo placuerimus, capite præcedenti in respons; ad rationem *Sextam* monstravimus. Apostolus ad Hebræos dilectionem primam non derivat ex fide, sed fidem saltem notat esse necessarium requisitum in ijs, qui ita Deo placent, ut æternorum bonorum participes eos esse velit. Ut enim bona hæc non conferuntur nisi ijs, qui credunt, sic nec Deus conferre decrevit nisi ijs, qui per gratiam suam credituri erant. Non igitur respexit Deus ab æterno fidem tanquam causam, sed tanquam effectum gratuitæ dilectionis, quod in nobis quoq; ita diligit in tempore, ut sine eo cœlestia sua bona nemini conferat.

Sextam totam concedimus: ut & *septimam*, *octavam*, *nonam*, *decimam*, *undecimam*.

Duodecimæ propositionem distinguimus. Gratia Dei est *prima* vel *orta à primâ*. *Prima* est gratuita illa dilectio, quâ motus Deus ad vitam nos ab æterno elegit & filium suum unigenitum misit, qui præstitâ pro nobis satisfactione cum Deo nos reconciliaret: de quâ Christus Johan: 3. v. 16. & Paulus Rom. 5. v. 8. & 10. *A primâ orta* sunt beneficia per & propter Christi mortem in tempore in nos collata, ut justificatio, sanctificatio, glorificatio. De priori propositio falsa est, Christo & Apostolo contraria. De posteriori, ut veram admittimus. Unde tamen contra nos nihil concludi potest. Conclusio quoq; principalis assertioni nostræ non adversatur.

Decima tertia contra nos nihil concludit: Attamen propositio falsa est. Intercessionem Christi electionis causam nusquam scripturæ constituit. Intercedit pro nobis Christus, quia per æternam electionem sibi datos novit. Pro mundo non intercedit, Joh. 17. quia mundus ei datus non est. Sic igitur informanda ratio:

Pro quo Christus intercedit, is est electus: At pro solis credentibus intercedit. Ergo soli credentes sunt electi.

Totam damus: solos enim eos ad finem Deus destinavit, quos ad media destinavit: nec tamen ad finem destinavit propter media, sed ad media propter finem.

Decima quarta contra nos nihil concludit: fundamentum tamen rationis hujus minimè sanum est: nempe vel prævisionem fidei vel decretum ejus conferendæ electione prius esse, quod falsum: Elegit nos Deus, non quia

quia credituros nos prævidit, vel fide nos donare decrevit: sed per gratiam suam nos credituros præscivit, quia elegit. Interim satius esset Pelagianam vel semipelagianam phrasin, *prævidit quinam essent credituri*, vitare, & cum scripturâ ac orthodoxâ Ecclesiâ rectius loqui, nempe decrevisse Deum ab æterno, quibus fidem in tempore esset daturus.

Decima quinta assumptionem negamus: Contrarium capite secundo monstravimus.

Ad *Remonstrantium* Sophismata jam accedamus. Et primum quidem in ambiguitatem assertionis, *non nisi fideles esse electos*, jam ante animadvertimus, quo sensu admitti, quo non admitti possit vel debeat, explicuimus: quâ observatâ animadversione, rationes Remonstrantium vel contra nos nihil probabunt, vel certè inconsequentes erunt, nihil minus quàm falsum illud dogma approbantes: sed singulas in specie videamus.

Prime assumptio insidiosa est & ad deceptionem comparata. Velle perseverantes fideles servare, est quidem voluntas Dei de salute hominum, sed non tota, verum pars duntaxat voluntatis illius, quæ est destinatio mediorum ad salutem obtinendam: quâ prior est ordine destinatio quorundam singularium hominum seu personarum ad participandam salutem: quam sequitur destinatio ad fidem & alia media divinæ misericordiæ & justitiæ illustrandæ convenientia. De posteriori divinæ voluntatis parte primario loquitur Christus Johan: 6. v. 40. Præter scripturæ dicta, quæ supra allegavimus, ratio assertionis nostræ manifesta est. Deus vitam nobis decrevit dandam per certa media, inter quæ fides perseverans. Nam sine fide ad vitam nemini patet aditus. Destinavit igitur nos cum ad vitam tum ad fidem; & ad illam quidem, tanquam finem, ordinis respectu, priori, ad istam, tanquam medium, posteriori loco. Ordinem alium nec agnoscit scriptura, nec admittit Dei sapientia.

Secunde assumptio universaliter, seu citra limitationem, admitti nequit: esset enim scripturæ cōtraria, quæ docet I. ex amore Dei erga mundum fluxisse decretum salutare de Mediatore Christo mittendo: Johan: 3. v. 16. II. nos, cum adhuc essemus peccatores & inimici Dei, charitatem Dei erga nos sensisse Rom. 5. v. 8. & 10: è quo loco assertionem nostram ut confirmet Augustinus supra vidimus: cap. 24. in responsi: ad rat. 6. III. Dilectionem Dei nostra dilectione esse priorem: 1. Joh. 4. v. 10. *In hoc est charitas non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexerit nos & miserit*

V

miserit

miserit filium suum &c. Attendite quæso: si nullo modo potest placere Deo nisi qui fidelis est: sequitur neminẽ à Deo diligi, nisi qui prior Deum dilexerit. At consequens falsum & scripturæ contrarium. *Deinde* eandem assumptionem sine limitatione non posse admitti efficacissimè & hæc suadet ratio: Si citra limitationem sine fide nemo potest Deo placere, sequitur in eòspectu Dei nos fideles fuisse, priusquam decrevisset Deus fidem nobis, ex gratia nihil ad eam conferentibus ex nobis, dare. At consequens absurdum & contradictorium. Ergo & antecedens. Connexi ratio est: quia, nisi aliquã ex parte placuissemus Deo ante decretum fidei nobis, nihil ad eam conferentibus ex nobis, dandæ: utiq; fidem nobis ad eam ex nobis nihil conferentibus vel collaturis dare non decrevisset. Quĩ enim salutare hoc decretum poterat esse sine ullâ complacentiã vel dilectione gratuitã decernentis? (Verba illa, *nihil ad eam conferentibus ex nobis*, non sine causa addimus & ingeminamus: quia à Remonstrantibus conceduntur pag. 124, & nodum vel maximè adstringunt. Deniq; eadem assumptio sine limitatione accepta, contraria est Remonstrantium assertioni, quæ collat: Hag: pag: 193. hæc est: *Scriptura loquitur de duplici Dei & Domini nostri Jesu Christi erga nos dilectione: nempe alterã, qua nostram cõversionem, fidem & dilectionem erga Deũ præcedit, & nobis exhibita est, cum adhuc essemus inimici: alterã subsequente, qua nobis à Deo & Christo exhibetur, postquam conversi sumus & eum diligimus.* Videtis ergo, viri Remonstrantes, vobis nobiscum de convenienti dicto, *Sine fide impossibile, est Deo placere*, διαβολία cogitandum, quã tollatur τὸ ἐναρτιοφανεῖς. Respondemus igitur nos: neminem sine fide ita posse Deo placere ut per æterni decreti executionem vitæ & aliorum bonorum spiritualium actu participem reddat: qui sensus est dicti Apostolici ad Hebræos. Interim tamen non obstat, quo minus in æterno suo decreto nonnulli peccatores adhuc & inimici Deo placeant, ita ut constituat se cum æternæ vitæ eos participes facere, eo modo qui misericordiæ & justitiæ suæ illustrandæ idoneus est, nempe per fidem propter Christum Mediatorem. Ad responsionis hujus illustrationem faciunt Calvinii verba, quæ cap. 24. allegavimus, quibus explicat quo pacto Deus peccatores nos simul amaverit & oderit.

Tertia assumptio eodem modo captiosa & insidiosa est, ut & primæ assumptio: eadem igitur utimur responsione, quam repetere nil attinet.

Quarta propositio ex mente Remonstrantium intellecta, falsa est.

Electi

Electi enim in Christo sunt non actu fideles, sed peccatores in conspectu Dei: quos quia ad finem, nempe vitam destinavit, etiam ad media destinavit: quæ inter apprehensio meriti Christi per fidem. Approbatio propositionis nihil probat. Quod si enim hoc sensu accipiatur, *neminem ab æterno electum esse, nisi qui in conspectu Dei fuerit in Christo prius quam eligeretur*, falsissima est. Nec enim elegit nos Deus quia in Christo eramus: sed ut in Christo essemus. Unde dicimur *prædestinati in adoptionem filiorum Dei*, hoc est, ut Dei redderemur filij per fidem, in Christo. Ephes. i. v. 5. & 6.

Quinta conclusio nobis non adversatur, hoc sensu: Quos Deus elegit ad salutem, consideravit ut fideles: nempe per gratiam electionis futuros. Verum propositio ex sensu Remonstrantium accepta falsa est. Deus enim non fideles prædestinavit in adoptionem filiorum, eosq; in Christo acceptos fecit: sed peccatores in id prædestinavit, ut in filios per fidem adoptarétur & in Christo accepti redderentur. Propositionis approbatio nulla est: Adoptatorum enim & adoptandorum diversa est ratio. Adoptati sunt actu fideles, adoptandi in conspectu Dei erant peccatores.

Sexta primum antecedens particulare est. Per legitimam enim consequentiam ex scripturâ demonstrari potest, etiam ex ijs, qui actu nondum sunt fideles aliquos rectè appellari electos & reverâ electos esse. Ait Christus Johan. 10. v. 16. *Alias etiam oves habeo, quæ non sunt ex hæc caulâ: illas quoq; oportet me adducere: nam vocem meam audient, fietq; unum ovile & unus pastor.* Per oves hæc alias extra controversiam est à Christo electos intelligi gentiles, quos ut infideles adhuc considerat Christus, demum nempe vocandos, & Christi vocem audituros. Sic testatur quoq; parabola Evangelica circa, vesperam, hoc est, extremum vitæ spatium, nonnullos demum vocari, fide in Christum donari, & æternum tandem beari, quos in infidelitatis statu electos quoq; fuisse nemo negat, nisi qui æternam esse electionem negat. Hactenus antecedens. Consequens etiam ex antecedenti non sequitur. Etiam si enim in tempore electi nulli essent nisi fideles, non tamen protinus sequeretur ab æterno eligendos non fuisse nisi in conspectu Dei actu jam fideles. Infideles enim ab æterno sunt electi, ut in tempore fierent fideles.

Septima assumptio captiosa & insidiosa est, ut primæ rationis assumptio: Decretum de servandis fidelibus non est tota illa prædestinatio, de quâ sermo nobis, sed pars ejus duntaxat: videatur responsio ad primam rationem.

Octava contra nos nihil concludit: videatur responsio ad rationem generalem priorem, cap: 23.

Nona assumptio insidias sæpius jam detectas, occultat. Decretum de servandis fidelibus non est totum illud decretum Dei de salute cuius Christus est fundamentum.

Decima assumptionem negamus: Profyllogismi primi assumptionem iterum negamus: Approbatio ejus nulla est. Salutem Deus peccatoribus destinavit ijs conferendam medijs, è quibus misericordiae & justitiae divinae temperamentum eluceret. Probè hæc observandum est, quod largiuntur nobis Remonstrantes, nempe, *in solas peccatores prædestinationem divinam agere*. Falsum igitur est, quod ajunt prædestinanti Deo homines ut fideles esse objectos. Profyllogismi secundi assumptionem quoq; negamus. Approbatio inconsequens est. Etiam si enim destinatio ad salutem ordine prior est destinatione meriti Christi; salus tamen propterea extra Christi meritum non statuitur, sed ut medium ad salutem tanquam finem obtinendum ordinatur. Ità disjectæ jacent copiae Remonstrantium. Hactenus de causâ impellente electionis.

CAPUT XXVI.

DEMONSTRATUR SENTENTIA ORTHODOXA de electionis divinae immutabilitate, & cum aliorum sententijs confertur.

Sequitur, ut de electionis quoq; immutabilitate differamus. Immutabilitatem autem electionis divinae eam intelligimus, quâ, qui ad æternam vitam ab æterno sunt electi, reprobi non possunt fieri, æternæq; tandem vitæ hæredes necessariò fiunt.

Rationes pro confirmatione sententiæ hujus orthodoxæ sequentes adducimus.

I. *Ab efficiente electionis*, quæ Dei voluntas est. Quos Deus vult servare, ij immutabiliter servantur: Atqui electos Deus vult servare: Ergo, Propositio probatur. Quia voluntati divinae nemo potest resistere. Rom. 9. v. 19. Nec verò ipse Deus in se sibi contrarius est, ut cum voluntate suâ pugnet, eamq; impediatur, quæ in peccatores homines cadit. *ἀταξία*. Assumptio dubia non est, quia electio est ad salutem.

II. A

II. *A perpetuo voluntatis consequente, nempe executione.* Si executio cum voluntate Dei perpetuò est conjuncta, certe non possunt non servari, quos Deus ab æterno voluit servatos. At verum prius: Ergo & posterius. Assumptio prob: Psalm. 119. v. 3. *Omnia, quæ voluit fecit.* Jesaiæ. cap. 46. v. 10. *Omnia mea voluntas fiet.*

III. *A subiecto electionis.* Quod in Deo est, id immutabile est. At decretum electionis in Deo est: Ergo immutabile est. Hinc rectè à veteribus dictum. *Deus ut non mutat essentiam, ita nec sententiam.*

IV. *Ab adjunctâ æternitate.* Quod æternum est, id immutabile est. At decretum electionis æternum est: Ergo immutabile est.

V. *Ab adjunctâ præscientiâ Dei.* Quos Deus infallibiliter præseivit, eos etiam immutabiliter elegit. Atqui salvandos immutabiliter præseivit. Ergo infallibiliter quoq; elegit. Propositionis ratio est: quia si mutabilis esset electio, infallibilis non fuisset præscientia. Assumptio è divinæ naturæ perfectione efficacissimè demonstratur.

VI. *A subordinatis medijs, quibus electionis decretum efficacissimè Deus exequitur.* Si Deus efficacissimis medijs decretum electionis exequitur, certè immutabile erit. At verum prius: Ergo & posterius. Assumptio probatur. Media, quibus Deus decretum electionis exequitur, sunt: *vocatio efficacissima, externa & interna. Fides Christi meritum apprehendens. Finalis perseverantia,* de quâ paulò post. Pertinet huc indissolubilis illa salutis catena. Rom. 8. *Cujus primus annulus præscientia, postremus glorificatio.*

VII. *Ab absurdis consequentibus.* Si Deus prædestinationis consilium mutaret: aut emendari id posse videret, aut exequi se non posse, animadverteret. At neutrum de Deo dici potest: non prius, quia sapientissimus non esset: non posterius, quia omnipotens non esset. Firmiter igitur concludimus, electionem ad vitam æternam esse immutabilem; quam in sententiam quoq; præclare inquit Augustinus lib. de fide ad pet: cap. 35. *Firmissimè tene, & nullatenus dubita, omnes, quos ante constitutionem mundi ad adoptionem filiorum prædestinavit Deus, perire non posse.* Sufficiant hæc, quibus plura addemus in enodatione controversiæ de perseverantiâ sanctorum.

Lutherani Doctores moderni in hac quæstione de electionis immutabilitate, si è confessionibus suis æstimentur, à nobis non dissentiunt, ut

videre est ex Meisn: Anthropolog. decad. 2. disput. 6. thes. 7. & 8. ubi hæc occurrunt verba. *Hinc sequitur quod electus semper maneat electus, nec unquam fiat reprobus, vel contra, h. e. quod electio nequeat irrita reddi vel evacuari. Licet igitur electi quidam mortaliter peccent: eo tamen ipso tempore verè sunt & dici possunt electi ob decretum divinum, & certum electorum numerum, cui in aternâ prænotione semper manent inclusi.* Hæc Meisn: Rationem præmisit longè verissimam. Quæ enim Deus semel decrevit facere, ea certò exequitur: & nisi faceret, sine suo frustraretur, ejusq; veritati, sapientiæ & omnipotentia detraheretur.

Veritatem sententiæ hujus ex scripturâ rectè demonstrat testimonijs ad novem classes redactis. *Prima* continet dicta de certitudine salutis electorum. Daniel. 12. v. 1. Joha. 10. v. 27, 28, 29. Joha. 17. v. 11. Rom. 8. v. 29, & 30. 2. Timoth. 2. v. 18, 19. 1. Petr. 1. v. 1. & 5.

Secunda continet dicta de electione secundum præscientiam facta. 1. Petr. 2. v. 2. Rom. 8. v. 26. Rom. 11. v. 2.

Tertia proponit dicta de certo & infallibili electorum numero. Luc. 10. v. 20. Luc. 11. v. 2. Johan. 10. v. 14. Johan. 13. v. 18. 2. Timoth. 2. v. 14. & 19.

Quarta comprehendit dicta de electionis & reprobationis aternitate. Ephes. 1. v. 4. 2. Timoth. 1. v. 9. 2. Thessal. 2. v. 13. Rom. 9. v. 11.

Quinta recenset dicta, quæ electionem dicunt esse propositum & decretum Dei. Ephes. 1. v. 5. 2. Timoth. 1. v. 9. Rom. 9. v. 11.

Sexta recenset testimonia de præparatione regni cœlestis ab aeterno. Matth. 25. v. 24. Marc. 10. v. 40.

Septima continet dicta de electionis finem suum semper assequentis firmitate. 2. Timoth. 2. v. 19. Rom. 11. v. 1, 2, 7.

Octava enumerat dicta de nunquam in scriptis in librum vitæ. Apocal. 13. v. 8. cap. 17. v. 8. cap. 2. v. ultimo.

Nona continet dicta finalem electorum seductionem negantia. Matth. 24. v. 24. Marc. 13. v. 22.

Ab hæc veritate apertè dissentit Huberus monstrosi dogmatis de absoluta electionis universalitate auctor, cujus & leviculæ sunt rationes, & ab ipsis Lutheranis magno consensu refutata.

Arminiana factio in hæc quæstione quid sentiat, mihi nondum liquet. Quod enim horrendum dogma de totali & finali sanctorum apostasiâ pub-

stasiâ pub-

stasiâ publicè profitentur, & scriptis propugnant, ita nihilominus invol-
 vunt, ut incertum sit eandem ne cum Lutheranis sententiam defendant,
 an diversam. Lutherani enim, cum de sanctorum apostasiâ disserunt, in-
 ter sanctos accurratè distinguunt, aliosq; tantum renatos & fide verâ præ-
 ditos, alios renatos simul & electos esse dictitant. Illos ajunt totaliter &
 finaliter posse deficere; istos totaliter quidem, sed non finaliter. Sic igitur
 electionis immutabilitatem directè & apertè non impugnant, sed pro-
 pugnant, ijs, quæ modò enumeravimus, scripturæ testimonijs. Rotan-
 dam hanc declarationem vix invenias in Arminio aut ejus aliculis. Et qui-
 dem haud immeritò mireris, quod quæstionem hanc in ambiguo relique-
 rit *Petrus Bertius*, vir, ut ait *Matthæus Sladus*, in disceptatione cum *Vor-
 stio cum ex alijs quibusdam actis, tum ex apostasiâ sanctorum maxime nobi-
 litatus*. Cum tamen singularem geometricæ accurrationis laudem, in la-
 bore profus infelici, ambijisse videatur, amotis omnibus, quæ vel obscu-
 ram vel dubiam propòsiti problematis demonstrationem possent reddere.
 Hinc videas demonstrationi præmissa, *διδόμενα, τητέμενα, ἀλήματα, διο-
 ρισμὸς*: immo & tituli *ἐξήγησις*. Sanctorum, de quorum agit apostasiâ,
 exquisitam descriptionem, quæ omnem legenti scrupulum eximat, nuspi-
 am videas: ita ut dubites, utrum cum Lutheranis è sanctorum suorum
ἀποστατῶν finalium catalogo excludat electos, an eidem inclusos quoq;
 esse eos velit. Cum autem tantopere ipsi displiceat decretum inconditio-
 natum electionis singularis, videtur utiq; universale & conditionatum,
 amplecti electionis decretum, & statuere partim cum Hubero omnes &
 singulos homines ad æternam vitam esse electos, partim contra Huberum,
 cum conditione fidei esse electos, si credant & in fide perseverent. Quod
 commentum partim contradictionem in adjecto implicat, partim crea-
 torem à creaturis suspendit, & decreti divini naturam penitus evertit,
 dum Deum in æterno suo consilio fluctuantem & de futurâ hominis for-
 te ambigentem imaginatur. Quæ si sunt è mente Bertij, sanctorum suo-
 rum catalogo non potest non includere electos, & sic electionis immuta-
 bilitatem apertè negare. Eadem aliorum Remonstrantium in Belgio vide-
 tur sententia: quando electionem & promissa Dei non obstare conten-
 dunt, quo minus fideles rejiciantur, in collat: script: habitâ Hagæ comitis,
 pag. 413. Immutabilitatem igitur electionis haud obscure damnant, & ex
 electis reprobos posse fieri affirmant. Arminij cothurnos, quos ponit in re-
 sponione ad articulum 8. consultò prætermitto.

Asser-

Assertionis verò nostræ demonstratione tum demum planè defunctos nos arbitrabitur, ubi sanctorum perseverantiam sufficienter adstruxerimus. Aberrant enim citra eam & Lutherani & Arminiani, ut Pontificios taceamus. Lutherani quidem, quia ajunt, I. Renatos verè Sanctos ac fideles complures in reproborum esse numero, & totaliter ac finaliter tandem deficere. II. Electos totaliter non posse tantum deficere, sed & sæpenumero actu deficere. Arminiani verò Lutheranis intolerabiliore; quia ipsos fideles electos non posse tantum totaliter fidem deserere, & electorum numero excidere, sed & actu haud paucos deserere & excidere asserunt. Contra illos orthodoxè docemus, fidem & regenerationem dona esse electorum propria, nullosq; ex ijs totaliter deficere: contra istos; eosdem electos multò minus finaliter deficere & gratia Dei excidere. Pro Sanctorum igitur apostasiâ dum utriq; pugnant, electionis immutabilitatem utriq; impugnant. De Arminianis res dubia non videtur. Lutheranis ex consequenti saltem errorem hunc tribuimus. Immutabilitatem enim electionis expressè propugnant. At dum è verè fidelibus & renatis quosdam totaliter ac finaliter deficere contendunt, ex consequenti electionis mutabilitatem incauti è falsâ hypothesi inferunt. Renati enim nulli sunt, nisi electi, ut supra ostendimus. Perinde igitur nobis est sive renatis sive electis finalem apostasiam tribuant. Reliquum ergo jam est, ut ad Sanctorum perseverantiam demonstrandam nos accingamus.

CAPUT XXVII.

DEMONSTRATUR VERE SANCTOS AC RENATOS, seu fide justificante præditos nec totaliter nec finaliter à fide deficere & gratiâ Dei excidere: Simulq; Scripturæ testimonia ab Adversariorum glossis vindicantur.

Sensus orthodoxæ assertionis nostræ hic est: Fide justificante præditi & proinde verè justificati & sanctificati, justitiam & sanctitatem suam ita nunquam deserunt, ut ex fidelibus prorsus infideles, ex justificatis non justificati, ex Sanctificatis non sanctificati fiant, sive totaliter, sive finaliter. Addimus etiam ex vi decreti & auxilij divini præsentissimi, pericula omnia avertentis, & voluntates efficacissimè regentis hoc modo eosdem nec posse fidem ac justitiam deserere.

Non.

Non placent nobis cothurni Arminiani, quos in responsione ad primum articulum ponit: *Addo, inquit, me inter duo huc usq; ita discriminasse, ut additâ explicatione aliquando dixerim, fideles posse à fide & salute finaliter deficere; at nunquam dixisse, fideles à fide & salute finaliter deficere.* (Monstrum hoc tum temporis adhuc pressit, quod discipuli ejus, proh dolor! amplius non premunt) pergit: *Adjungo magnum esse discrimen inter hæc duo enumerata: Fideles possunt à fide deficere, & fideles possunt à salute deficere.* (At verò Armini, qui à fide deficiunt, à salute deficiunt. Soli enim credentes salvantur. Et qui à salute deficiunt, à fide non possunt non deficere; ubi enim nulla salutis spes, ubi nulla salutis inchoatio, ibi nec fides) Pergit: *Hoc enim postremum rigidè & accuratè examinatum vix admitti potest. Nam impossibile est, fideles, dum fideles manent, à salute deficere. Vinceretur enim Dei potentia, quam Deus statuit adhibere in fidelibus salvandis. Quid audio? Ergo-nè possibile est fideles, dum fideles manent, à fide deficere? Inane igitur discrimen, quod inter duo ista enunciata fingit. Suntq; verborum hi mœandri nil nisi caliginosa monstrorum latibula. Rotundè & apertè in Ecclesiâ loquamur. Sed ad assertionis nostræ demonstrationem pergamus: Sit igitur Scripturæ testimonium in ordine*

I. Cantic: 8. v. 7. *Aquæ multæ non poterunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam,* verba sunt sponsæ ad sponsam, animæ fidelis ad Christum. Aquæ multæ & flumina sunt calamitates, & quicquid intrinsecus & forinsecus caritatem infestat: Unde sic arguimus:

Quod nullis calamitatibus, nullisq; internis vel externis machinis exturbari & obrui potest, ejus jacturam totalem aut finalem sancti non possunt facere. Atqui caritas vera minimeq; fucata, quæ absq; fide & sanctitate, nunquam est, nullis calamitatibus, nullisq; internis vel externis machinis exturbari & obrui potest. Ergo.

Excipit Bellarminus lib. 8. de justificatione capite 15. quod deinceps sæpius allegabitur. I. Hoc testimonio non doceri, non posse amitti caritatem, si quis velit eam exuere, ut multi faciunt, quos inter Episcopus Ecclesiæ Ephesinæ. Apocal. 2. v. 4, 5. Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam deseruisti, recordare unde excideris & resipisce. II. Sed probari, manente caritate, nullam esse tribulationem, quæ non facilè toleretur: secundum illud Apostoli. *Caritas omnia suffert.*

Resp. I. Non negamus caritatem amitti posse, si quis velit eam exuere:

X

veluti

veluti nec hoc negamus: Electos damnari posse, si de Dei benevolentia desperent, & sine poenitentia ex hoc mundo migrent. At conditiones hasce ex vi decreti divini, & presentis divini auxilij, impossibiles pronunciamus. Quæritur ergo: *An caritatem totaliter & finaliter verè renatus velit exuere? An de benevolentia Dei desperent, & sine poenitentia ex hoc mundo migrent electi?* Utrumq; constanter negamus, & ex hoc loco efficaciter probamus. Nam si caritatem Sponsa Christi velit exuere & revera exuat: nonne extingui & obrui poterit? At extingui & obrui posse negat Christi Sponsa. Voluntas certè tam pretiosum thesaurum non abjicit, nisi arietata & expugnata. At verò qui arietes illi, quibus ita arietetur, ut expugnetur? Nul- li certè. *Aqua non possunt caritatem extinguere, nec flumina obruere.* Pulcra & efficacia sunt verba; Aquas & flumina caritati tanquam ardori & flammæ dum Christi Sponsa opponit, & ab ijs nec extingui nec obrui posse ait: inextinguibilem caritatis ignem esse, indigitat: aquarumq; & fluminum appellatione comprehendit, quicquid huic flammæ inimicum excogitari potest: ab amico enim non extinguitur. De Episcopo Ephesano quod ob- jicit Sophista, nos minimè ferit: verè renatum fuisse Episcopum facilè da- mus: at caritatem in eo penitus extinctam esse negamus. Nec enim abso- lutè caritatem deseruisse dicitur: sed *primam*, ut de fervore primo carita- tis non nihil remississe intelligatur. Hinc meminisse jubetur, unde excide- rit; haud equidem à singulis caritatis partibus, sed ab excellenti ejus gra- du. A caritate autem penitus Episcopum hunc non excidisse, ex ipsius Do- mini testimonio, quod versu 6. occurrit, palam est. *Hoc habes, quod odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* Odium hoc impurorum Nicolaitarum sine Dei, qui mens est castissima, dilectione, non poterat esse. II. Verum quidem est, nullam esse tribulationem, quam non facilè toleret caritas: at- tamen non sufficit. Caritas enim nō tantum tribulationes tolerat, sed nul- lis aquis aut fluminibus, quæcunque ea sint, extinguitur aut obruitur.

II. Psalm: i. v. 3. *Is cujus oblectatio est in Lege Jehovæ, hoc est, verè fide- lis & renatus, est sicut arbor plantata ad rivus aquarum, quæ fructum suum e- dit in tempore suo, & cujus folium non decidit.* Unde sic arguimus:

Qui sunt instar arboris plantatæ ad rivus aquarum, quæ fructum suum edit in tempore suo, & cujus folia non decidunt: ij certè à caritate & fide totaliter ac finaliter non excidunt. At verè fideles sunt instar arboris &c: Ergo.

Excipit

Excipit Meisnerus: I. Dictum hoc adversari Calvinistis, quoniam secundum ipsorum interpretationem sensus est, justum semper florere & fructum dare: quare ubi non opera, ibi nec fides: II. Ex collatione justi & impij satis apparere, quod psaltes tantum loquatur de felici statu & conditione, de beatitudine & prosperitate justi, quod videlicet justo semper bene sit, impijs contra male. III. Reduplicativè hoc dictum intelligi posse: nempe, justo semper erit bene & nunquam arescet, quatenus nempe justus est & permanet. Eodem recidit exceptio *Remonstrantium*: nempe dici heic, eos, qui non ambulant in consilio impiorum, sed oblectantur lege Dei, similes esse arbori &c: hoc est, tam diu esse similes arbori ad rivos plantatae, dum Dei lege sese oblectant: non autem dici, non posse eos desistere ab obambulando in vijs Domini,

Resp. I. Quod dictum hoc orthodoxis adversetur, equidem non video: interpretationem allatam admittimus: ita tamen, ut florere quidem justus & fructum dare, sed non perpetuò eodem modo florere & eadem copiam fructum dare semper intelligatur. Habet enim sanctitas ac justitia decremента sua & incrementa, quibus cum fides consistit. Si ejusmodi fidem, justificantem sibi imaginatur cum Bellarmino Meisnerus, quæ nullos plane fructus ferat, & à caritate prorsus sit abjuncta: insomnium sine somno fingit. II. Facile damus, psaltes loqui de beatitudine & prosperitate justi, haud equidem corporali & mundana (refragaretur enim Scriptura & experientia) sed spirituali & coelesti, quam justis perpetuam esse ex Psalmo rectè asserimus. III. Reduplicatio inimica nobis non est: nec enim ad injustos & profanos felicitatem illam extendimus. Quod autem Meisnerus cum Remonstrantibus negat justorum perseverantiam totalem ac finalem à Psalte adstrui, contra Psalten negat. Confert enim justum arbori ad rivos aquarum plantatae, quo ad viroris & fertilitatis perpetuitatem. Justi igitur perpetuò virent, & fertiles sunt, ut qui ad coelestes ac Spirituales aquas vivi fontis Christi sunt plantati. Sententia hæc cui displicet, Davidi oportet contradicat, hunc in modum, justis non sunt perpetuò virides & fertiles. Arescunt enim quandoq; & sterilescunt. Itane verò similes sunt arbori juxta rivos aquarum plantatae, quæ nunquam arescit & sterilescit?

III. Psalm: 37. v. 24. *Justus, cum cecidit, non dejicitur, quia Jobova sustentat manum ejus.* Unde sic arguo:

Qui nunquam dejicitur propterea quod Jehovah sustentet manum

X 2

ejus:

ejus: is certè vel totaliter vel finaliter à Deo non recedit. At justus nunquam dejicitur, propterea quod Jehovah manum sustentet. Ergo.

Excipit Meisnerus: I. Si locus accipiatur de externis fortunæ casibus, locum hunc ad sententiam nostram nihil facere. De hiis casibus pleriq; alij Lutherani Davidem loqui contendunt. II. Si de internis quoque animæ casibus, hoc est, peccatis intelligatur, commodè accipi posse de peccatis venialibus non mortalibus. III. Non projicitur, lo-jutal, quod in Hebræo est, de totali & perpetuâ projectione intelligi: & sic locum quoq; de peccato mortali posse intelligi, quod licet justus mortaliter peccet, fidem totaliter excutiendo, manu tamen Domini rursus erigatur.

Resp: I. Externos fortunæ casus à Davide excludi non negamus: at soloseos indigitari, & quidem principaliter, è textu nunquam probabunt. Nos verò contrarium probamus. 1. quia totus Psalmus est consolatorius, opponiturq; in eo constans piorum felicitas, forti impiorum inconstanti, versiculo potissimum 17. & seq. Quæ verò hæc esset prærogativa piorum præ impijs, si erectio duntaxat è casibus fortunæ externis promitteretur, quæ non minus impijs quàm pijs obtingit? Immo externa impiorum fortuna plarunq; diuturnior & constantior est quàm piorum. Videmus quoq; è communibus periculis erigi impios: contra in ijs perire pios. 2. præcedens versiculus 23. *à Jehovah gressus viri statuuntur, cujus delectatur viâ:* lucem infert sequenti: unde sic arguo. De eo casu loquitur versus 24. cujus contrarium explicat versus præcedens 23. Est enim in duobus hisce versibus manifesta oppositorum declaratio. At versus 23. oppositum explicat casus interni. Ergo de casu interno potissimum loquitur versus 24. Assumptio è verbis manifesta est. Gressus enim viri, qui à Jehovah statuuntur, & viâ, quâ delectatur Dominus, aliud nihil sunt nisi vitæ integritas & sanctitas, in quâ, Domini virtute, pij ambulant, à quâ si vitio suo quandoq; exorbitant aut labuntur, divinæ manus præsentia fulciuntur, eriguntur, ne prorsus aberrant, & penitus tandem abjiciantur. 3. De internis casibus, hoc est, peccatis, patres quoq; locum hunc exponunt: ut Origenes homil. 4. in hunc Psal. Prosper Aquitanicus libro 1. de vocatione gent. cap. 24. Bernhard. Sermone 17. in canticû. Sequuntur eandem interpretationē etiam doctores Pontificij: II. Peccatum in se nullum est, veniale: morte enim omnia sunt digna: attamē inæqualia esse, alia alijs enormiora non inficiamur. Promitti verò erectionem è tolerabiliori-

bus

bus saltem seu minus enormibus, nō item ex intolerabilioribus & gravioribus, è Psalmo vel scripturâ probari posse negamus. Contrariū nos probamus. I. ex scopo psalmi, qui est cōsolari pios, & de auxiliij divini præsentia certos reddere, fortēq; ipsorū multis modis præferre forti impiorum. Quæ verò hæc esset cōsolatio & magna fortis piorū deprædicatio, si liberatio tantū promitteretur è periculis minoribus, nō autem è gravioribus? 2. è cōparatione minoris. Si enim tantopere suos diligit Deus, ut in minoribus periculis constitutos omnipotentis suæ manus porrectione liberet ac conservet, quantò magis in maximis & maxime lethalibus. Quo enim illustrior & potentior est liberatio, eò evidentior est amoris significatio. Noverunt interim adversarij in renatos ea non cadere peccata, quæ conscientia penitus non reluctante & pleno consensu perpetrantur. III. Verbum Hebræum jutal non finalem tantum, sed & totam, & quidem hanc maximè significat abjectionem, ut ex alijs patet locis, in quibus idem verbum usurpatur.

IV. Psalm. III. v. 3. *Justitia justi manet in seculum seculi*: Unde sic arguimus.

Cujus justitia manet in seculum seculi, ea nunquam deseritur. At justi justitia manet in seculum seculi: Ergo.

Excipit Meisnerus. Justitia, id est, justa opera manent in seculum seculi, quoad memoriam Dei. Deus enim semper recordabitur ejus justitiæ, & reddet præmium in vitâ æternâ.

Resp: I. Verum quidem justitiam justi manere quoad memoriam Dei: attamen ratione solius memoriæ divinæ, quæ penitus abjectam tantummodo recordetur, ex psalmo neutiquam probari potest, sed contrarium potius. I. Psalmus non ait memoriam justitiæ perpetuam manere, sed ipsam justitiam. 2. Si ratione solius memoriæ divinæ maneret in seculum, nulla justitiæ hæc prærogativa tribueretur: hoc enim respectu omnia manent in seculum. II. Si Deus justitiæ justi in seculum recordatur, utique illa in seculum manet actuali existentiâ. Rationem consequentiæ ex naturâ oppositorum hanc reddo. Si non memorantur apud Deum justè facta ejus, qui à justitiâ se avertit: sequitur à justitiâ nunquam se avertere, cujus justè facta apud Deum in seculum memorantur. At verum prius. Ezechielis 33. v. 13. Ergo & posterius. III. Si Deus justitiæ justi reddit præmium in vitâ æternâ, utiq; finaliter eâ non excidit. At verum

prius ex assertione Meisneri. Ergo & posterius. Falsum igitur ullum re-
natum finaliter deficere.

V. Psalm. 125. v. 1. *Qui confidunt Jehovæ similes sunt monti Sion, qui non dimovetur, in seculum permanent.* Sic & Proverb. 10. v. 30. *Justus in æternum non commovebitur.* Unde sic arguo.

Si, qui Jehovæ confidunt, instar montis Sion non dimoventur, sed in seculum permanent, nec in æternum commoventur: sequitur nec totaliter nec finaliter eos deficere. At verum prius: Ergo & posterius.

Excipiunt Remonstrantes. Psalmum adferre secum solutionem suam. I. justi non dimoventur, nempe ad infortunium, de quo in hac disputatione non est quæstio. II. In textu non affirmatur, eos, qui semel Deo confidunt, semper confisuros. Eodem modo & alij excipiunt.

Resp. I. Justos ad nullum dimoveri, hoc est, ruere infortunium, experientia & Scripturæ contrarium est. Adeone verè sui immemor esset David, qui Psalm: 34. v. 20. dixerat multas esse justis afflictiones, & Psalm: 129. v. 1. multum affecerunt me angustiis inde à primâ pueritiâ meâ: & passim alibi. II. Justos semper confisuros è textu planum est. Si enim justis non semper Jehovæ confidunt, & proinde dimoventur & in seculum non permanent: utiq; monti Sion similes non sunt, nec verè dici possunt in æternum non commoveri. At consequens falsum & textui contrarium: Ergo & prius. Nonne verò qui cōsequens ponit, antecedens præsupponit? Ex Remonstrantium & aliorum sententiâ promissionis hic erit sensus: Justis in æternum non commovebuntur, si non commovebuntur. Quam esse promissionem illusionis plenissimam, quis non videt?

VI. Jesaia 42. v. 3. *Calamum quassatum non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Unde sic arguo:

Si Deus per peccata nostra nos non quassari, nec fidem scintillantem peccatorum cineribus & fumo extingui patitur; utiq; fideles nec totaliter nec finaliter fidem amittunt, aut deserunt. At verum prius. Ecquid enim aliud Dei est confractio, quàm peccatoris desertio & abjectio? Quid aliud linum fumigans, quàm fides imbecilla, & peccatorum cineribus quasi tecta?

Matthæi 12. v. 20. idem hoc allegatur dictum: Cujus sensum hisce verbis reddit Hieronymus: *Qui peccatori non porrigit manum, nec portat onus fratris sui, iste calamum quassatum confringit. Et qui medicam scintillam fidei contemnit*

contemnit

contemnit in parvulis, hic linum extinguit fumigans. Quorum Christus utrunq; non fecit. Ad hoc enim venerat, ut salvum faceret, quod perierat. Ejusdem Hieronymi super cap. 42. Jesa: in eadem verba, hæc sunt verba: Calamum quassatum non conteret: cunctis enim placabilis erit, & veniam dabit peccatoribus: dicens ad mulierem: Confide filia, dimittuntur tibi peccata. Et linum fumigans, sive, ut ceteri transtulerunt, obscurum atq; tenebrosum, non extinguet: qui vicini erant extinctioni, Domini clementiâ servabantur. Aliorum Patrû interpretationibus allegoricis hæc meritò præferenda, quam & Dominus Lutherus urget.

Excipiunt. Quid si ipsi homines calamum quassatum confringant & linum fumigans extinguant? R: Extingui linum hoc fumigans nequit, nec confringi calamus, nisi gratiam salutarem Deus subtrahat: quam si subtrahat, nonne hæc ratione calamum quassatum confringere & linum fumigans extinguere meritò dicetur? Taceo quod confractio, id est, totalis peccatoris desertio & abjectio a Deo sit DEI judicis, non peccatoris rei.

VII: Iesaiæ 54: v: 10. *Quamvis hi montes recederent, et si hi colles dimoverentur: attamen benignitas mea à te non recedet & fœdus pacis: mea non dimovebitur, ait miserator Jehovah:* Unde sic arguo:

Si benignitas, quâ miserator Jehovah fideles suos complectitur, ipsis montibus & collibus est stabilior: utiq; nunquam ea à fidelibus recedet. At verum prius: Ergo & posterius.

Excipiunt Remonstrantes locum hunc nihil ad rem facere. Quid ita? Deus, inquiunt, hic tantum testatur, se promissionibus suis fideliter staturum pro suis, id est, filijs & servis suis: sed non promittitur eos semper fore servos Jehovahæ.

Resp. Immo promittitur eos semper fore servos Jehovahæ, idq; ex consequenti firmiter colligitur. A quibus enim benignitas miseratoris Jehovahæ nunquam recedit, ij miseratoris Jehovahæ servi erunt perpetui. Atqui à servis Jehovahæ miseratoris benignitas ejus nunquam recedit: Ergo servi Jehovahæ erunt perpetui. Assumptio est in textu. Propositio manifesta est: quia non potest non esse perpetuus Jehovahæ servus, à quo benignitas ejus nunquam recedit. Nec potest benignitas ab eo recedere, qui perpetuus est Jehovahæ servus. In primis verò observandum epitheton, quo Jehovah insignitur, miserator, quod omni humanæ imbecillitati opponitur. Ut enim ex commiseratione benignitas perpetua promittitur, sic ab eadem quoq; benignitatis

nignitatis conservandæ & perpetuandæ media infallibilia, inter quæ perseverantia, procurantur. Et quî esset Jehovah erga servos & filios suos miserator, si penitus eos excidere & æternum petire pateretur? Nonne miseratoris est præsentia mortis pericula ab ijs avertere, quorum vitæ seriò vult consultum?

VIII. Jesaia 59, v. 21. *Hoc erit fœdus meum cum ipsis, ait Jehova, Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, aut ex ore seminis tui, aut ex ore seminis seminis tui: Unde sic arguo.*

A quorum ore Spiritus & verba Jehovæ nunquam recedunt: ij nec totaliter nec finaliter Spiritum Jehovæ amittunt aut deserunt. Atqui à fidelium ore Spiritus & verba Jehovæ nunquam recedunt. Ergo.

Excipiunt Remonstrantes I. Proponi tantum, quid Deus à suâ parte sit factururus, fidelem se mansurum semper, & pactum suum observaturum, nõ quasi alteri non possent esse perfidi: promissionem igitur hanc conditionaliter intelligendam. II. Dici posse Israëlitis aliquid externum & peculiare promitti. III. Non promitti saltem heïc perseverantiam: probant hoc: i. quia promissionem jam inde ab eo tempore & in perpetuum facit. At perseverantiæ promissio, secundum nos, semper est & ab initio, & si benè expendatur, supervacanea aut inefficax saltem: quò enim promissio ejus, quod inevitabiliter fiet, & fieri debet sine promissione? 2. Promissio nimis latè exprimitur: non recedet ab ore tuo, ab ore seminis, & seminis seminis tui. Notum autem est, quod perseverantia hæc non minus huic quàm illi electo continget, & quod antea nunquam Spiritus ab aliquo illorum nec ab eorum semine recesserit: Unde aliud videtur promitti.

Respon. I. Eos, quibus cum loquitur Jehovah, non posse fieri perfidos, è præsentis textu expressè habetur. Nam si Spiritus Jehovæ nunquam recedit ab ore ipsorum, utiq; nunquam fient perfidi. Ubi enim gratiosa Spiritus fidem excitandi præsentia, ibi non est perfidia. At prius in textu habetur. Ecquæ verò heïc à fidelibus requiritur conditio? Anne fidei perpetuitas? At perpetuam Spiritus sui præsentiam Deus promittit, cujus fides non conditio sed effectus est. II. Externum promissum heïc non intelligi expressè docent verba. Promittitur enim perpetua spiritus præsentia: quod certè non externum & corporale, sed internum & spirituale bonum. III. Perseverantiam non promitti, falsum est: prior ratio nullius est consequentiæ. Quidni enim eadem ejusdem rei promissio ab initio omnibus

omnibus facta, sæpius huic vel illi Ecclesiæ repetatur? Promissio Messia in ipso Paradiso primis parentibus erat facta: Anne verò per Prophetas eadem sæpius inculcari non debuit? *Eadem scribere vobis*, inquit Apostolus ad Philipp: 3. v. 1. *me quidem haud piget, vobis autem tutum est.* Quàm verò illa *παράδοξις* est collectio? Frustranea & inefficax est perseverantiæ promissio, quia inevitabiliter obtingit perseverantia. Nonne hâc ratione & Messia promissio toties iterata frustranea & inefficax fuisset? Vocatio gentium quoties in veteri Testamento promittitur, quæ tamen, ex Dei decreto immutabili, infallibiliter in novo Testamento erat secutura? Quid verò illud? Perseverantia fieri debet sine promissione. Nonne satis aperte sunt promissiones? Unde liquet, noluisse Deum sine promissione bonum perseverantiæ præstare, quod toties promisit. Posterior ratio eodem laborat inconsequentia vitio. Non latè nimis exprimitur perseverantiæ promissio, quæ non ad præsentem tantum pertinebat Israëlitas, sed ad omnes eorum posteros fideles. Sic ad Abrahamum DEUS: *Ero DEUS tuus & seminis tui post te.* Anne verò ideo perseverantia fidelibus Israëlitis promittenda non erat, quia non minus uni quàm alteri electo contingit, quia Spiritus nunquam ab aliquo illorum recessit? Promittit Dominus Jesaia 49. v. 15. *Non fore ut obliviscatur Sionis.* Anne verò intempestiva hæc erat promissio aut supervacanea, quia non unius minus quàm alterius electi obliviscitur DEUS, quia nullius unquam electi oblitus est? Interim notentur ista Remonstrantium verba: *Notum est quod perseverantia hæc non minus huic quam illi electo contingat: & quod antea nunquam spiritus ab aliquo illorum, neq; ab illorum semine recesserit.* Quæ si vera sunt, eccur sanctorum apostasiam defendunt?

IX. Jerem. 32. v. 40. *Pangam ipsis fœdus perpetuum, fore ut non avertam me à prosequendis ipsis, benefaciendo ipsis: & reverentiam mei indam animo ipsorum, ut non recedant à me.* Unde sic arguo:

A quibus DEUS se nunquam avertit, quorumq; animis indit reverentiam sui, ut ab ipso nunquam recedant: ij nec totaliter nec finaliter deficient. Atqui à fidelibus nunquam se DEUS avertit, ipsorumq; animis indit reverentiam sui, ut ab ipso nunquam recedant. Ergo.

Observanda sunt in hunc locum pulchra Augustini verba lib. 7. de bono perseverantiæ cap. 2. *Hanc nimirum perseverantiam promisit DEUS, dicens, timorem meum dabo in cor eorum, ut à me non recedant.* Quod quid est aliud

est aliud, quam talis ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi perseveranter adhareant.

Excipiunt Remonstrantes. Locum hunc loqui de reducendo populo ex Babyloniâ in Canaan. & esse specialem promissionem, quæ fiat toti populo abducto, non solum electis vel fidelibus, ut patet ex versu 37. Rationem subjiciunt: quia tam ante captivitatem, quam post eam ad electos pertinebat perseverantiæ gratia: quæ, secundum nos, eadem est semper. Hæc verò promissio planè nova & peculiaris est.

Respon: Promitti in capite Jeremiæ 32. reductionem ex captivitate Babylonicâ toti populo, tam infidelibus, quam fidelibus, non negamus. At promissionem versu 40. comprehensam promiscuò ad fideles & infideles pertinere, constanter negamus. A multis enim, quos reduxit ex Babyloniâ, tandem in terrâ Canaan, peccatis ipsorum invalescentibus, se magis magisque avertit, multorum animis reverentiam sui non indidit, quâ nunquam ab ipso recederent: magis enim magisque multi recesserunt. Ad solos igitur electos, qui in toto erant populo, promissio hæc spectat: nec nova prorsus est, sed innovata tantum, & in specie quidem ad multos directa. Etsi enim tam ante, quam post captivitatem perseverantiæ gratia ad electos ratione decreti divini pertinebat: probabile tamen est, ex electis multos in captivitate constitutos nondum verè fuisse regenitos, & sic nec perseverantiæ gratiâ actu donatos, quibus certè novum promittebatur bonum. Deinde augmentum gratiæ etiam verè renatis promissam quis neget?

Sed videntur sibi Remonstrantes probare posse finalis perseverantiæ promissionem in verbis allegatis non contineri, idque multis rationibus. I. Quia post promissionem hanc Ezech. 11. v. 18. dicitur; *At illis, quorum animus obibat intima detestabilia & abominationes istorum, viam suam in capite ipsorum rependam.* II. Quia tempus denominari non potest, quo promissio hæc sit completa. III. Quia ad Rom. 11. Israëlitiæ dicuntur per incredulitatem defracti. IV. Quia præcipitur gentilibus, ad quas quoque promissiones hæc referuntur in Novo Testamento, sibi cavere, ne & ipsi defrangantur. V. Quia in textu originario non habetur, *revereantur me & non discedent*: sed ita legi possunt verba, *ut me revereantur, ne à me discedant*, quod notat, non necessariò eventum promissionum, sed sæpe notat Dei intentionem & hominis officium. VI. Quia si verba textus tam

strictè

strictè urgentur, inde quoq; inferri potest, hos nunquam peccaturos, & non tantum fidei semen, sed & ipsam fidem semper retenturos. VII. Quia proponitur hæc promissio toti populo. At quæ ad illum utilitas poterat redire, si ad quosdam tantum, nempe electos, pertineret? VIII. Quia subsequuntur exhortationes ac comminationes multæ ac magnæ, quarum certè usus erat nullus, si ex hæc promissione sciebant, se deficere non posse. IX. Quia phrasis Prophetæ significat magnam & efficacem motionem, quâ Deus animos ipsorum, quantum in ipso erat, ad ipsum redamandum flexurus erat: quanquam hoc aliter evenire posset, si oblata gratiæ non cooperarentur. X. Quia cum conditione conjuncta est promissio, si Israëlita suum essent facturi officium. Ratio. 1. quia de fœdere sermo, quo, qui inter se paciscuntur, ultro citroq; obligantur. 2. de tali fœdere, quod futurum demum erat. At perseverantiæ gratia ratione electorum non demum erat futura, sed ab initio facta est in omnibus electis.

Resp: Ad 1. De iisdem non loquitur Ezechiel de quibus Jeremias: sic enim de electis loquitur; in quibus solis promissio perpetuæ gratiæ completur. Ezechielis verba ad Hypocritas potissimum directa sunt & alios impios, quibus impietatis suæ poenas Deus denunciatur latâ lege, ut ἀναπολογίτας reddat. Deinde si maximè de electis Ezechiel loqueretur, sententiam tamen id nostram minimè læderet duabus de causis. I. Quia Hypothetica Prophetæ sententia, quæ nisi positâ hypothesi, nihil affirmat. II. Quia & electi quandoq; faciunt, quæ detestabilia sunt in oculis Domini: attamen à Deo nec totaliter nec finaliter deficiunt, & castigantur à Deo; sed virgâ hominum & plagis humanis. 2. Samuel. 7. v. 14. Ad 2. Primo non sequitur, completam non esse hanc promissionem, si completionis tempus à nobis denominari nequeat. Multas in electis suis Deus promissiones complet, quarum momenta ignota sunt nobis. Deinde post liberationem ex captivitate in electis antè captivitatem nondum renatis completam esse promissionem hanc, extra dubium est. Deniq; ad Messiaë tempora referri quoq; possint Prophetæ verba, quibus in Judæis plurimis completa hæc promissio, teste historiâ novi testamenti & vaticinio sequentis 33. capituli, à versu 14. ad 17. Unde haud obscure colligitur magnificas præcedentis capituli promissiones ad novi Testamenti tempora ex parte quoq; esse referendas. Interim in omnibus electis, qui Messiaë tempora nõ attigerant, completam hanc esse promissionem constanter asserimus. Ad 3. Di-

euntur per incredulitatem defracti Israëlita electi vel reprobi. Si electi, utiq; ante regenerationem defracti dicuntur, quia ad tempus propter incredulitatem è visibilis Ecclesiæ cœtu sunt rejecti, donec tandem revocarentur externâ & internâ vocatione. Si reprobi, defractos dicimus per ejectionem ex visibili Ecclesiâ (cujus, quoad externam professionem, membra erant,) perpetuam, quam efficax vocatio nulla est insecuta. Ad 4. Gêtilium eadem defractio, quæ est Judæorum. Nam & inter Gentiles, quos Paulus alloquitur, fuere electi & reprobi: renati & non renati. Ad 5. versus 39. de verbo ad verbum ita habet: *dabo ipsis cor unum & viam unam ad reverendum me omnibus diebus*: versus 40. verba ultima: *Reverentiam mei dabo in cor ipsorum, non recedant à me*. Aliam interpretationem non admittit textus, qui modis omnibus est perspicuus. Etiam si igitur in 39. versu finis tantum denotatur verbis illis, *ut revereantur me*: in versu tamen 40. ipsa illa reverentia à Deo indi dicitur cordi, ne recedant. Quem ergo finem Deus electis suis præstituit, eundem etiam, ut gratiâ suâ & ope assequantur, efficit. Unde eventum promissionis denotari rectè colligimus, quia eventus istius causam cordibus efficacem indit. Exempla alia, quæ allegant, prorsus dissimilia sunt, ut ex collatione hujus cum illis palam est. Ad 6. Electos nunquam peccaturos è textu verè inferri nequit, quando illatio hæc experientiæ & scripturæ contraria esset: non item nostra illatio, quæ scripturæ omnibus modis est consentanea. Deinde non semen tantum fidei, si quidem aliud hoc esse putant, quàm habitum, sed ipsa fides manet in electis. Ad 7. Populo quidem indefinite promissio proponitur, sed ad solos pertinere electos intelligitur. Interim reprobis nec ad desperationem nec ad incuriam servit; quia de reprobatione sui in hac vitâ neminem infallibiliter certum reddit Deus; sufficientem igitur desperandi causam nullus habet. Ad 8. Exhortationes & comminationes propterea frustraneæ non sunt, sed fidei & perseverantiæ fomenta sunt, & media efficacia, quibus in officio Deus continet electos suos. Nec enim perseverantiam immediatè in electis tanquam brutis Deus operatur: sed docendo & exhortando rudes informat, torpentes excitat, voluntatesq; ipsorum in perpetuum obsequium non quidem violenter cogit, aut tanquam stipites tractat, sed congruis naturæ rationali medijs amicè flectit & movet, ita tamen ut sine præstituto nunquam frustretur. Quod misericordiæ, sapientiæ & divinæ insigne est opus. Ad 9. Fatemur Pro-

phetæ

pheta verba significare magnam & efficacem motionem, qua animi fidelium in jugi amore Dei conservantur: fatemur etiam aliter evenire posse si speciali gratia, de qua propheta loquitur, praeventi, tam gratioso & efficaci non utantur auxilio. Sed conditionem hanc a fidelibus quandoque nullo modo vel nunquam praestari, constanter negamus: dicimusque non offerri tantum gratiosam hanc opem, ita ut arbitrij liberi vi admitti vel non admitti possit, sed efficacissime conferri (sic enim prophetae verba habent, *indam reverentiam mei cordi ipsorum*) ita quidem, ut ipsa arbitrium hominis sanctissime moderetur, non autem nutu arbitrij humani ster vel cadat. Reverentia enim, quam fidelium animis Deus indit, renovat voluntatem corruptam, & in perpetuum sui obsequium trahit, ut a Deo non recedat. Quod dum negant Remonstrantes, & gratiae efficaciam ab arbitrij liberi potestate suspendunt, in conversionis negotio plura homini quam Deo tribuunt; gratiam enim oblatam organi, voluntatem hominis causae principalis, quae organa pro arbitrio utatur, loco haud obscure habent. *Plaudite bene Pelagiani, & de tam fideli Remonstrantium patrocinio vobis gratulamini.* Quod si vero, viri fratres, Pelagij furorem animus detestamini, audite quae Paulus ad Philipp. 2. v. 13. *Deus est, qui efficit in vobis, & ut velitis, & ut efficiatis pro gratuita sua benevolentia.* Deus efficit ut velimus. Velle igitur & nolle admittere oblatam gratiam non in electorum libero relinquitur arbitrio, sed ex nolentibus Deus facit volentes: ut efficiant, quae vult, ipse efficit. Nec enim incipit tantum voluntatem profanam sibi consecrando, sed & perficit quod incepit. Philip. 1. v. 6. Simile, quo utuntur, Praeceptoris & discipuli, ex Pelagij Lyceo transsumtum videtur. Nam si eodem modo Deus in conversione nobis eum agit, ut cum discipulo praecceptor, qui praecpta forinsecus tradita discipuli industriae meditanda permittit, & institutionis suae fructum ab assiduitate discipuli exspectat: vicit Pelagius. Inanis igitur vehemens illa Pauli interrogatio. 1. Cor. 4. v. 7. *Quis te discernit? Quid autem habes, quod non acceperis? Quod si etiam accepisti, quid gloriaris, ut qui non acceperis?* Videantur quae in hac Apostoli verba Augustinus scribit epistolam 89. ad Hilarium. Nonne vero in promptu hic fuerit Pelagio cum Remonstrantibus respondere. *Ego me discrevi recto arbitrij mei usu, & spontanea oblatae gratiae receptione. Habeo quod non acceperim (specialis nempe indulta gratiae) ipsum velle, quod penes me erat. Cumque hoc non acceperim, non immerito*

gloriari mihi posse videor. Sed valeant hæc. Ad 10. Benevolentiam Dei perennem non experiuntur, nisi qui officium faciunt: fatemur hoc. At officij faciendi conditio in nobis per efficacem Dei auxilium præstatur. Hoc enim prophetæ verba sibi volunt: *Indam reverentiam mei cordi ipsorum, ne à me recedant.* Mutuam igitur obligationem ab hoc fœdere minimè excludimus: sed conditionis, nempe obedientiæ à nobis præstandæ facultatem non nobis, sed reverentiæ, quæ cordibus nostris inditur, in solidum acceptam ferimus. Non patitur hæc officio nostro nos unquam penitus deesse. Eum enim in finem datur, ut recedere nos à Jehovah non patiat. At, inquiunt, de fœdere est sermo, quod demum erat futurum. Resp. Promittitur vel futura gratiæ continuatio & augmentatio ijs, in quibus erat cœpta: vel novæ penitus donatio ijs, in quibus nondum erat cœpta, hoc est, electis nondum renatis. Sic igitur & continuatio antiqui fœderis promittitur renatis, & sanctio novi electis nondum renatis. *Instant:* Israëlita post restitutionem priores sunt facti, & eventu teste, à Deo longius recesserunt. Resp. De reprobis hoc damus: de electis renatis negamus.

Petrus Bertius ait promissionem Prophetæ pertinere ad Israëlitas verè credentes. Resp: Nec hoc nos negamus rectè intellectum. Nulli enim perseverant nisi verè credentes. Quod si vero reverentiam Numinis nemini putet indi, nisi verè jam credenti: fallitur Bertius & fallit. Reverentia enim Numinis vera fides est; & quæ fidem, non tempore, sed ordine sequitur, regeneratio. Bona hæc promittuntur electis etiam nondum renatis, quorum respectu fœdus est prorsus novum. Fide enim donantur non fideles jam & renati; sed non renati & infideles, qui per fidem demum evadunt fideles.

Deinde ait se non negare, Deum indere Spiritum suum cordibus nostris, & gratiâ suâ & favore nos prosequi usq; ad finem; sed de modo quæri: An ita hoc faciat, ut nos nullâ ratione nostris partibus deesse possimus? Resp: Et modus à Prophetâ exprimitur. Nam si ita reverentiam sui animis nostris indit Deus, ne ab eo unquam recedamus: utiq; voluntates nostras efficacissimè movet, ut ne velimus quidem recedere & nostris partibus deesse. Partes enim in sancto hoc negotio adeo nostræ nullæ sunt, quin eas Deus quoq; sibi vendicet. *Pro benevolentia enim sua & velle & perficere in nobis efficit*, Philipp: 2. v. 13. *Instat:* Non oportet ejusmodi fœdus comminisci, in quo Deus ita contrahat nobiscum, ut solus Deus faciat omnia.

Nam

Nam in quolibet foedere totidem sunt partes agentes, quot sunt contrahentes. Sic Deus, è sua parte, promittit vitam: exigit, è nostra, obedientiam.

Resp: Tot esse partes agentes in foedere, quot contrahentes, absit, ut negemus. Absit, verò & hoc, ut obedientiam, quam exigit à nobis Deus, nostris adscribamus viribus. Quæ enim obedientia illa? Nonne reverentia Numinis, quam electorum cordibus indit Jehova? Dat igitur Jehova, quod jubet: & jubet, quod vult. Unde illa Augustini precatio: *Da, quod jubes, & jube quod vis.* Quod si ex animo Pelagianismum ejurasset Bertius, obedientiam in foedere à nobis requisitam gratuitum DEI beneficium à nobis appellari, & divinæ misericordiæ acceptum ferri, tam ægrè non ferret. Illo Apostolico effato acquiesceret: *DEUS est, qui velle & perficere in nobis efficit.* Augustino subscriberet cap: 13. de bono perseverantiæ ita scribenti: *Deus est, qui operatur in nobis & velle & operari, pro bonâ voluntate. Nos ergo volumus: Sed Deus operatur in nobis & velle: nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bonâ voluntate. Hoc nobis expedit & credere & dicere, hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis & submissa confessio, & detur totum Deo. Tutiores, inquit idem Augustinus ex mente Cypriani, vivimus, si totum Deo damus. Non autem nos quod perseveremus, illi ex parte & nobis ex parte committimus. Totum Deo damus; à Deo solo est quod perseveremus.*

X: Hoseæ 2: v: 19, 20. *Desponsabo te mihi in seculum, desponsabo te, inquam, justitiâ judicioq;, & benignitate ac misericordiâ: & desponsabo te mihi fide, ut agnoscas Jehovam.* Unde sic arguo:

Quos DEUS sibi in seculum desponsat justitiâ, misericordiâ & fide, ut agnoscant eum: ij à Jehovah nec totaliter nec finaliter desciscunt. At Electos suos desponsat sibi in seculum justitiâ, misericordiâ &c: Ergo.

Excipiunt Remonstrantes I. Deum hîc aliquid promittere, si præcesserit resipiscentia. II. Deum à suâ parte hoc promittere, inde autem non sequi, populum à suâ quoq; parte officium facturum. III. Hoc promissum sese extendere ad universum populum, & non disertè loqui de spiritualibus & cœlestibus donis, sed de talibus, quæ utilia essent ad populum in fide continendum, & ad perseverantiam adducendum, ut quod illos vellet beneficijs & corporalibus donis abundè afficere. IV. Desponsationem non obstare, quò minus fidem desponsati possint fallere. Exclamat enim Jesa: cap. 1.

cap. 1.

cap. 1. *Quomodo facta est meretrix urbs fidelis. Jerem: 3. Deus dicitur illos deseruisse & libellum divortij eis scripsisse.*

Respon. I. Concedimus heic Deum aliquid promittere. At, inquiunt, cum conditione resipiscentiæ. Resp: ipsas promissionis conditiones in suis se impleturum Deus promittit, & verè implet, ut qui eos sibi desponsat, in justitiâ & fide gratuite & misericorditer donatâ. II. Falsum igitur est, non sequi, populum à suâ quoq; parte officium facturum. Officium enim, populi, cui se desponsat Deus, est fides, quam repetit quidem à suis, sed & corâibus eorum indit, & hoc sensu ait, *desponsabo te mihi in fide*. Jubet igitur Deus quod vult: sed & dat quod jubet. Ipse enim est, qui operatur in nobis velle & perficere. III. Verba quidem dicuntur ad universum populum, sed promissio non pertinet nisi ad electos Dei filios, hos enim solos sibi in seculum desponsat justitiâ, misericordiâ & fide. Ad reprobos in extremo judicio dicet, *nunquam vos agnovi*. Deum verò non disertè loqui de Spiritualibus & cœlestibus donis, sed tantum de beneficijs corporalibus, falsissimum est. Nonne cœlestia & spiritualia sunt bona justitia & fides, quâ Deo placemus? Agnitio Jehovæ, quam vitam æternam vocat Christus. Johan: 17. v. 3.? Interim corporalia beneficia penitus excludi non dicimus. IV. Desponsatio est externa vel interna. Externè etiam reprobos sibi ad tempus desponsat Deus, quos nempe ad visibilis Ecclesiæ cœtum externè vocat, & aliquibus quoq; Spiritus Sancti donis instruit, ut externâ sanctimonix speciè verè renatos quandoque videantur æmulari, immo & superare. Internè solos Electos sibi desponsat, primum externè vocando ad Ecclesiam: deinde, cum & quando ei visum fuerit, internè quoque. Nec enim omnes in Ecclesiâ electi, quàm primum ad Ecclesiam accedunt, è vestigio regenerantur: sed in juventute nonnulli, alij in ætate mediâ, in extremâ alij; qui tamen ante regenerationem, si nullo prorsus externæ obedientiæ studio ducerentur, nec in visibili quidem Ecclesiâ benè constitutâ tolerarentur.

His ergo præmissis. Resp. I. Externa desponsatio non obstat sive in reprobis sive in electis nondum renatis, quo minus fidem datam fallant. II. Interna desponsatio non permittit, ut fidem totaliter aut finaliter fallant electi renati: interim tamen fidem hanc peccatis suis sæpenumero labefactant, ut sanctorum exemplis constat. Exempla allegata dictis facilè accommodantur. Urbs fidelis quoad externam fidei professionem & desponsatio-

sponsatio-

sponsationem meretrix potuit fieri respectu hypocritarum, qui à fidei professione defecerunt sive totaliter sive finaliter. Eadem urbs fidelis, quoad internam fidei professionem & desponsationem respectu verè renatorum nec totaliter nec finaliter meretrix est facta. Etsi ex ijs multi datam fidem peccatis suis graviter labefactarunt. Eodem modo & alterum testimonium accommodatur.

Meisnerus respondet præsentem locum intelligendum esse de totâ Ecclesiâ, quam Deus sibi in æternum desponsavit. Semper enim in his terris habet aliquam sponsam mysticam. Consequentiam verò ait nullam esse. Deus sibi desponsavit Ecclesiam: Ergo nullum ejus membrum ad tempus potest peccare, nec peccando Spiritum sanctum perdere. Ab Ecclesiæ enim conservatione ad singulorum in Ecclesiâ existentium salutem non licet argumentari.

Resp. I. Locum hunc de Ecclesiâ electorum intelligendum esse non negamus. II. Nullum Ecclesiæ membrum ad tempus posse peccare, nunquam affirmavimus, ne dum ex ullo Scripturæ loco conclusimus. III. Renatos Spiritum Sanctum peccando totaliter aut finaliter perdere constanter negamus, & ex hoc loco contrarium evidenter probamus. Quos enim fide sibi Deus in æternum desponsat, ita quidem ut fidem animis ipsorum indat & reverentiam, ne recedant: ij totaliter aut finaliter non recedunt. Contradicunt enim Deo in æternum, fide esse desponsatum, ac reverentiam Dei perpetuam animo habere inditam: & à fide totaliter aut finaliter deficere, à Deo recedere. IV. Ab universâ electorum & renatorum Ecclesiâ ad singula ejus membra optima est consequentia, quia singulorum Ecclesiæ membrorum & universæ Ecclesiæ causæ conservantes eadem sunt, quodq; universæ promittitur Ecclesiæ, id etiam singulis ejus veris ac genuinis membris promittitur. Imo universæ Ecclesiæ stabilitas singulorum electorum præsupponit stabilitatem.

XI. Matth. 24. v. 24. *Surgent Pseudochristi & Pseudopropheta, & edent signa magna ac miracula, ita ut seducant, si fieri possit, etiam electos*: Undè sic arguo:

Quos impossibile est seduci: ij nec totaliter nec finaliter possunt seduci. At electos impossibile est seduci. Ergo.

Excipit Petrus Bertius. I: Dominum non agere de absolutè electis hominibus, tales enim in rerum naturâ non esse: sed de ijs, quos præ alijs favore aut beneficio affecit, quod & Remonstrantibus arridet. II. Per e-

Z

lectos

lectos intelligi posse Angelos vel homines. III. Si Angeli intelligentur, conditionalem, *si fieri posset*, in hanc Categoricalam debere resolvi, *electi non possunt seduci*. Ita inquit, rhetorico schemate ponitur conditio simpliciter impossibilis, ad ostendendam efficaciam deceptionis. IV. Si homines intelligentur, conditionalem debere resolvi in hanc categoricalam, *electi difficulter possunt seduci*: utq; speciosiori prætextu glossam hanc obtineat, ait formulam loquendi, *si fieri posset*, in scripturâ quandoq; difficultatem tantum significari, non impossibilitatem, ut Gal. 4. v. 15. *Si fieri potuisset, oculos vestros effossos dedissetis mihi*. Actor. 20. v. 16. *festinabat, si fieri posset, ut die pentecostes esset Hierosolymis*: quod & Remonstrantibus placet. V. Manifestum ac confessum esse seduci posse electos: de conveniente igitur *διαβολία* esse dispiciendum. VI. Inanem fore Christi adhortationem de seductoribus cavendis, si seduci nequeant. Idem & Remonstrantes objiciunt.

Resp. I. Absolutè electos si eos intelligit Bertius, quibus æternam vitam Deus destinavit sine medijs conferendam: fatemur ejusmodi electos in rerum naturâ nullos esse. Quod si verò absolutè electis hisce opponat eos, qui propter conditionem aliquam in ipsis prævisam, sive fides ea sit, sive rectus liberi arbitrij usus, ad vitam sunt prædestinati; fatemur hujusmodi electos nec esse in rerum naturâ, ignorari à scripturâ & falso doceri in Pelagij scholâ. De electis igitur loquitur Christus, qui ex merâ Dei benevolentia & *ευδοκία*, nullâ in ipsis hærente electionis causâ, ab æterno prædestinati sunt ad vitam æternam, per & propter Christum verâ fide apprehensum participandam. Hunc igitur favorem, hoc beneficium peccatoribus nonnullis exhibitum si Bertius intelligit: nos adversarios non habet. Quod si verò de ijs tantum electis Christum loqui contendat, quos majoribus & pluribus in hac vitâ beneficijs Deus sibi obligavit: non nudè id tantum asserendum erat, sed probandum. Loca enim quæ adducit, partim de ijs agunt electis, quos modò descripsimus, partim verò ex ijs è particulari particulare *ἀνακολύθως* infert Bertius & nihil probat. Electi heic nulli sunt alij, quàm qui *benedicti patris* appellantur in capituli sequentis versiculo 34. quibus paratum regnum à jactis fundamentis mundi. Nec minus Deo sunt curæ, quoad conservationem, inter electos, qui minus donis excellunt, quàm qui omnibus antecellunt. II. Per electos hoc in loco Angelos intelligi posse negamus. Nec ullus unquam inter-

inter-

interpretum orthodoxorum locum hunc de Angelis accepit. Et palam est ex antecedentibus non de Angelis sed de hominibus sermonem esse. Electi enim ij sunt, qui sub carne, cujus fit mentio v. 22. continentur. *Nisi contracti fuissent dies illi, inquit Christus, periret omnis caro, sed propter electos contrahentur dies.* Unde sequitur non omnem perituram carnem, quia electi, quos propter dies contrahentur, non peribunt. Deinde à pseudo-prophetis beatos Angelos ad defectionem sollicitari, ubi, quæso, legitur? Est hæc exceptio ægerrimæ causæ indicium. III. Resolutionem conditionalis, *si fieri posset*, in categoricam, *Electi difficulter possunt seduci*, ut Arminianam & in hoc loco prorsus novam meritò repudiamus; quam & Doctores pontificij repudiant. Ostendit Christus deceptionis efficaciam ex conditionis impossibilitate, quasi dicat: fieri quidem non potest ut seducantur electi, attamen, si fieri ullo modo posset, deceptionis efficaciam seducerentur. Non poterat pseudoprophetarum conatus magis exaggerare. Ex Bertiano glossemate hic emergit sensus. Tanta deceptionis futura est efficacia, ut etiam electi, nisi difficulter seduci possent, seducerentur. Quæ verò heic efficacis deceptionis exaggeratio? Quis efficacem eam æstimet deceptionem, quâ non seducuntur, qui difficulter seduci possunt, sed ij tantum, qui omnium patent prædæ? Sed & solida piorum consolatio Christi dicto subesset nulla. Nam si efficacissima futura est deceptio, si difficilis quidem, at non impossibilis seductio: si victoria non ex decreti divini firmitate, quam contemnit Bertius, & omnipotente altissimi manu & velle & perficere in nobis operante; sed ex humanarum virium imbecillitate, gratiæ quidem nixâ auxilio, ita tamen, ut singulis ea momentis excuti possit, sperari debeat: nonne fluctuantibus animis & desperabundis in arenam descendent? Sed faciamus sane *Φωσῆρας* Ecclesiæ & lumina, de quibus locum hunc accipi vult Bertius, solatij non nihil è Christi verbis haurire, & efficaciam deceptionis fidentiori animo difficultatem seductionis posse opponere; Quid verò de alijs fiet electis, quorum imbecilla fides, quiq; cum istis, quoad donorum excellentiam, vix comparandi videntur? Nonne inflatis follibus desperationis materia hic adflabitur? Nam si ancipiti Marte veteranis & undiquaq; munitissimis pugnam dum fuerit, nonne ante pugnam arma abjicient tyrones præsidiorum robore destituti? Valeat igitur Bertiana consolatio. Sed ad similia scripturæ exempla nos vocat, & conditionalis, *si fieri posset*, resolutionem in ca-

tegoricam, *difficiliter fieri potest*, probare nititur duobus scripturæ locis. Prior est ex capite Actor. 20. v. 16. *Festinabat si fieri posset &c.* Resp. Difficultatem non impossibilitatem in hoc loco significari damus. At locum hunc nostro similem esse, prorsus negamus. Pauli enim vel Lucæ verba *εἰ δυνατὸν ἦν*, dubitantis sunt, si posset festinando, iter longinquum satis conficere; quæ loquendi ratio in omnibus linguis est usitata. At Christi verba dubitantis fuisse, qui quæso persuadebit nobis Bertius? Anne CHRISTUS dubitabat, utrum electi deceptiones essent superaturi, an ab ijs superandi? Dubitare heic Christum, præter Bertium & Arminianos, nemo unquam observavit. Qui dies postremos contractum iri propter electorum salutem nōrat & prædixerat, qui oves suas è manu Patris sui rapi non posse jam ante prædicaverat: de electorum suorum victoriâ & salute, sub vitæ suæ & conversationis terrenæ catastrophæ, dubitet? Immo qui fortes electorum in manu suâ habebat, qui nomina ipsorum ab æterno vitæ libro inscripserat, de sorte & vitâ suorum incertus hæsitaverit? Apage profanas hæc & impias cogitationes! Posterior locus est ex cap. 4. ad Gal. v. 15. *Si fieri potuisset oculos vestros &c.* Resp. Impossibilitatem à Paulo nullam denotari nego. Quis enim alias efficaciam amoris erga se aptè demonstrasset, si difficultatem saltem indigitasset? Sensus enim Pauli hic foret: Tantus fuit Galatarum erga me amor, ut oculos etiam erutos mihi dedissent, nisi hoc factu difficile fuisset. Egregiam verò amoris vehementiam, quæ ea tantum præstet in alterius gratiam, quæ factu sunt facilia! Impossibilitatem igitur Paulus notat, non absolutam quidem, sed eam, quæ est ex hypothese. Nam si potuissent oculos erucere, nempe sine injuriâ in semetipsos & legis divinæ violatione: utiq; erutos Paulo dedissent. At illud fieri non poterat: præceptum est, *non occides.* IV. Manifestum & in sacris confessum est, electos non posse seduci. Id enim Christus expressè dicit. Non opus igitur est glossâ illâ Bertiana. Interim tamen cum deviare electi possint, & non rarò devient, *διαβολεῖται* effecti Christi hanc esse dicimus: Electos non posse seduci totaliter & finaliter, quem quidem pannum in purpurâ ait esse Bertius, sed non probat: immo pro purpurâ sordidum ipse pannum supponit, dum Salvatoris sententiam pervertit & evertit V. Inanes fore Christi adhortationes de seductionibus cavendis, si seduci non possint electi, negamus. Duobus enim modis electi possunt considerari, in se, vel in æterno Dei decreto & voluntate.

Priori

Priori modo si consideres: proh dolor! nimis ad ruinam & præcipitium sunt proclives. Si in æterno Dei decreto & voluntate: anchorâ contra omnes Satanæ, mundi & carnis peccatricis tempestates nituntur immobili. Ab hac igitur solâ electionis nostræ pendet firmitas. Cum autem Deus voluntatem hanc suam, quoad causas volendi absolutam, per media nihilominus efficacissima in tempore exequatur, qualia efficax vocatio, fides in Christum, justificatio, sanctificatio; & hæc non perpetuò nolentibus nobis, sed per Dei gratiam volentibus, in nobis & ex parte à nobis, non tamen ex naturæ viribus, perficiantur: palam est, non inanes esse & irritas Christi exhortationes de cavendis pseudochristis & pseudoprophetis, de fide & conscientia bonâ retinendâ, de lapsus periculo vitando. Hæ enim omnes Dei exhortationes & comminationes media sunt, quibus immutabile electionis decretum efficacissimè Deus exequitur.

Haftenus Bertianæ glossæ, quas cum Bertio Remonstrantes ex parte communes habent, qui tamen de suo etiam non nihil addunt, & alias quoque huic turri machinas admovent, quas breviter quoq; enumerabimus & examinabimus. Negant igitur Remonstrantes, electorum adstrui posse perseverantiam, quam propugnamus. I. quia sensus verborum, *si fieri posset*, hic esse potest: Pseudoprophetæ omnem operam adhibebunt ad seducendum, quantum in ipsis erit & quantum poterunt efficere. Non igitur hac ratione seductionis impossibilitas, sed seductorum tantum conatus extremus indicatur. II. quia vers. 12. expressè dicitur, *caritas refrigeret in multis*, quod idem est, ac si dixisset, multi à caritate desciscunt. III. quia Christus studet seductionis efficaciam exaggerare: quæ autem esset isthæc exaggeratio, si quis diceret futurum, quod simpliciter fieri non potest? IV. Si Satan sciret, se nihil apud electos effecturum, non est credibile, per pseudoprophetas ad seducendum electos tantum operæ eum adhibiturum: de ijs verò, quos suos in laqueos novit certò illapsuros, ecurr admodum esset sollicitus? V. Quia non sequitur, nullo modo seduci posse, qui per signa & prodigia pseudoprophetarum seduci non possunt. VI. Si mordicus urgeantur verba, appendices, *totaliter & finaliter*, o mitti debere, & simpliciter inferri fideles non posse seduci, & proinde in nullos errores abduci, & per consequens neque peccare, aut in fide, spe & caritate labi.

Resp. I. Extremos seductorum conatus à Christo notari non negamus.

mus. At verbis illis, *si fieri posset*, conatus pseudoprophetarum extremos indigitari, quo quæso nobis persuadebunt argumento? Extrema quidem tentabunt: At irritos fore conatus, verba, *si fieri posset*, ostendunt. Probo. Maximam fore deceptionis efficaciam ostendit Christus. Unde quæso? Anne ex eo, quod seductores extrema sint tentaturi? At deceptionis efficacia evidenter hinc non demonstratur. Nam & imbelles & penè exermes seductores, extrema possunt tentate, nec tamen sequitur illico, efficacem eorum fore seductionem. Vani enim sine viribus sunt conatus. Aliunde igitur oportet demonstrat deceptionis efficaciam, nempe ex conditione impossibili: hoc modo. Tam efficaces futuræ sunt deceptorum artes, ut ipsos etiam electos decepturi essent, si decipi à pseudoprophetis possent. Hic demum deceptionis efficacia patescit. Hæc fluit è verbis Christi sententia; ut contortis illis glossis neutiquam sit opus. Nec enim planiora Christo verba defuissent, si Arminianum dogma stabilire voluisset. Deniq; aut indicat Christus electos seductum iri, aut negat seductum iri, aut dubitat de ipsorum salute. Primum ne per vim quidem ex textu extorqueri potest. Contrarium autem longè facilius ostendi. Ait enim propter electorum salutem ipsos quoq; dies contractum iri. At frustra non contrahentur. Sic enim sine suo Deus excideret, quod & sapientiæ & potentia divinae adversatur. Nec postremum de Christo affirmare fas est, ut jam ante ostendimus. Medium igitur à Christo affirmatur. II. Caritas in multis refrigescet, & à caritate multi desciscent, eadem non sunt. Illud enim remissionem caritatis, hoc extinctionem denotat. Illa in electos cadit, hæc minime. Sed cum, ut fides temporanea, ita & caritas in hypocritas reprobos cadat, non negamus in ijs & refrigescere & penitus extinguere posse caritatem. III. Discant ex Bertio Remonstrantes reliqui, rhetorico schemate conditionem impossibilem poni ad ostendendam efficaciam deceptionis. Nec dicit Christus futurum, quod simpliciter fieri non potest; sed tam efficacem fore deceptionem, ut si fieri ullâ ratione posset, electi seducerentur. Schema hoc usu receptissimum est. IV. Etsi fortè novit Satan electos è manu Dei non posse rari, novit tamen quoq; gravissimè eos posse labi, & Deum peccatis suis offendere & ad pœnas provocare: quod ut assequatur, nil non molitur, cum spiritus sit impudens, impurus, & homicida, qui piorum lætatur lapsibus, & eorum gaudet calamitatibus. Accedit quod sua Deus per Satanam judicia creberrimè exercent

in re-

in reprobis justè excœcandis : unde in reproborum poenis aggravandis eum laborare quis dubitet? Deniq; etsi novit Satan, finalem perseverantiam electis in scripturâ promitti, quis scit, an promittenti Deo fidem habeat? Cum Christum ad apostasiam sollicitaret. Matth. 4. v. 9. aut scivit seduci Christum non posse, aut dubitavit. Si scivit, & tamen, quâ insigni erat imprudentiâ, nefario suo ausu non abstinuit, eccur ab electis sibi temperet? Si dubitavit, quid ni de electorum stabilitate dubitet, etiam reclamante scripturâ? Si ab efficacissimis deceptoribus per efficacissima media seduci nequeunt electi, certè nullo modo eos seduci posse rectè colligimus. Atqui affirmat Christus ab efficacissimis deceptoribus per efficacissima media, quæ signa appellat & prodigia, electos seduci non posse. Rectè igitur colligimus nullo modo eos seduci posse. VI. Appendices, *totaliter & finaliter*, omitti non debent, quia explicant *διάνοιαν* verborum Christi: posse enim electos in aliquos quoq; abduci errores, peccatis inquinari, in fide, spe & caritate labi, docet scriptura, docet experientia. Ad scripturæ igitur *διάνοιαν* explicandam appendices necessario adhibentur. Haftenus Remonstrantium exceptiones.

Meisnerus respondet dictum Christi loqui de finali defectione, quod videlicet impossibile sit, ut electi finaliter pereant. Hinc tamen negat concludi posse totaliter quoq; electos seduci non posse. Rationem addit. Si hunc haberet dictum illud sensum, ac si electi ne quidem ad tempus in errorem duci possent, falsissimum certè foret. Erravit enim David in moribus, cum homicidium & adulterium committeret.

Resp. CHRISTI dictum de finali perseverantiâ loqui rectè docet Meisnerus. Errat dum negat, ex hoc loco monstrari posse electos totaliter non posse seduci. Negat enim Christus electos posse seduci. At qui seduci posse negaret, si totaliter seduci posse non negaret? Nonne deceptionis efficacia electis penitus prævaleret, si penitus seducerentur? Atqui seductionis efficaciam opponit perseverantiam electorum, & hanc illâ longè potentior esse ostendit, dum negat aboleri per pseudoprophetas seductores efficacissimos posse. Nec movet nos ratio Meisneri. Sensum enim Christi dicto non affingimus, quem nobis ipse affingit. Ad tempus in errores duci electos posse, contra scripturam non negamus; at penitus seduci posse, cum scripturâ meritò negamus.

XII. Johan. 3. v. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* Sic & v. 6. dixerat:

dixerat: *Qui credit in eum non perit, sed habet vitam æternam.* Et Johan. 6. v. 47. *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Unde sic arguo.

Qui vitam æternam habet, nec totaliter nec finaliter deficit. At qui credunt in Christum vitam æternam habent. Ergo qui credunt in Christum nec totaliter nec finaliter deficiunt.

Excipiunt. Si in credendo perseverent. Quid si verò fidem abjiciant? Si credere desinant?

Resp. Si fidem abjicerent, utiq; vitam æternam non haberent. At, inquit Christus, eos habere vitam æternam. Præsupponitur igitur necessario perpetuitas conditionis, nempe fidei, sine quâ haberi vita æterna non potest. Et quis quæso eum habere vitam æternam dicat, qui hodiè vivit, cras moritur?

XIII. Johan. 4. v. 14. *Quisquis biberit ex aquâ illâ, quam ei ego dabo, non sitiet in æternum, sed aqua illa, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Unde sic arguo.

Qui in æternum non sitiet, sed fontem habent in se aquæ in vitam æternam salientis: ij certè nec totaliter nec finaliter deficiunt. Atqui fideles, qui bibunt ex aquâ, quam Christus dat, in æternum non sitient, habentq; fontem aquæ salientis in vitam æternam. Ergo.

Excipit Bellarminus. In quo manet gratia Dei, is non sitiet in æternum, cum habeat in se fontem vivum: tamen fons ille sicari & obstrui potest, dum sumus in loco tentationum. Et si forte sicetur, id est, si excidamus gratiâ, juxta illud Galat. 5. *à gratiâ excidistis:* Quid mirum si iterum delectationes vanas sitire incipiamus?

Resp. I. Qui in æternum non sitit, in eo manet Dei gratia. Sitim enim in æternum nihil potest prohibere nisi aqua, hoc est, gratia à Christo data. At qui bibit ex aquâ, quam Christus dat, in æternum non sitit. Manet igitur in eo aqua. II. In quo fons est aquæ salientis in vitam æternam: in eo certè manet Dei gratia. Nam salire gratiosa aqua in vitam æternam nequit, nisi maneat. Atqui in ijs, qui aquam à Christo datam acceperunt, fons est aquæ salientis in vitam æternam. Ergo. III. Sunt igitur contradictoria, fontem sicari, obstrui, & sitim in æternum arcere, in vitam æternam salire. IV. Locus ad Galat 5. v. 5. non absolutè ait, Galatas à gratiâ excidisse; sed cum conditione, si per legem justificari velint. Deinde gratia significat doctrinam gratiæ. Deniq; universum cœtum,

tum, in quo multi erant hypocritæ, Paullus alloquitur. V: Christus non loquitur de siti vanarum cupiditatum, sed de siti & desiderio aquæ semel haustæ. Hujusmodi siti negat eos unquam flagraturus, qui datas à se aquas hauserint.

Excipit Bertius. Nunquam ex hoc loco efficies; quin, qui semel bibit, possit à bibendo desistere: Ierem: 2. v. 13. *deseruerunt me scaturiginem aquarum perennium*: Sed promissio pertinet ad eos, qui officium faciunt.

R: I. Quid ita, mi Petre! Qui à bibendo desistunt, ane dicendi sunt habere in se fontem aquæ in æternam vitam salientis? Anne verò dici possunt in æternum non sitire? At hæc dicuntur de ijs, qui aquam à Christo datam hauserunt. Contradicat igitur Bertius Christo, hoc modo: *Qui aquam, quam Christus dat, hauriunt; non illico habent in se fontem aquæ in vitam æternam salientis: iterum sitient*. II: Attendat verò Bertius, cum Remonstrantibus suis, ad aquarum diversarum comparisonem, quæ à Christo instituitur v: 13. & 14. *Quisquis, inquit Christus, bibit ex aquâ istâ, sitiet rursus: quisquis autem biberit ex aquâ illâ, quam ego ei dabo, non sitiet in æternum, sed aqua illa, quam ego ei dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. Comparantur heic duæ aquæ, Samaritana & Christi aqua; illa semel hausta sitim ita non sedat, quin suo tempore recurrat & hominem infestet. Quare? quia perennem in hauriente fontem non producit. Ista semel hausta sitim extinguit in perpetuum. Quid ita? quia perennem in hauriente fontem producit. Hic verborum Christi est sensus, hæc dissimilitudinis evidens demonstratio: quam cum Remonstrantibus pervertit & evertit Bertius. Nam si aquam à Christo datam rursus excipit sitis, si fontem in hauriente perennem non producit: quo jure præferri poterit Samaritanæ. Ex Christi aquâ inquirunt, qui bibit, non sitit, quam diu bibit, actu nempe & hausto continuo. At qui ex Samaritanâ quoq; bibebant, non sitiebant, quam diu bibebant, actu nempe & hausto continuo. Quæ ergo tandem aquæ à Christo datæ prærogativa præ Samaritanâ? Nulla certè excogitari alia potest, quam quod aqua à Christo semel data & hausta perennem in hauriente fontem, qui nunquam exaresceret, produxerit, & etiam num producat: Samaritana non item, sed subinde arefacta evanuerit adeo, ut ad pellendam sitim de novo prorsus haurienda fuerit. III: Qui apud prophetam dicuntur deseruisse Dominum, aquarum perennium scaturiginem: aut verè fideles fuerunt, aut hypocritæ. Si verè fideles,

de totali desertione prophetam loqui negamus: negat hoc loco Christus. Si hypocritæ, locus hic contra nos nihil probat. Quid enim nobis cum hypocritis?

Excipiunt Remonstrantes I: Christum non promittere, verè fideles in fide ita perseveraturos, ut nunquam possint deficere: sed parabolâ hâc Christum tantum adventus sui scopum indigitare, qui erat: vel ut meliorem ac pretiosorem vitam donaret externâ & temporali vitâ, sed suo tempore possidendam, tam certò tamen quasi eam jam nunc daret: vel ut daret animo talem satisfactionem, ut, qui semel verè crediderint, efficaciam præclarorum donorum, quæ sibi fide quasi ob oculos ponunt & animis gustant, ita expleantur, ut nihil sitiant, sed semper acquiescant in spe illorû bonorum, quasi, quicquid hic orbis continet, possiderent. *II:* A Christo non omnem excludi sitim: sitire enim nos & esurire, quam diu hic sumus & qui ita sitiunt, beatos esse. Matth. 5. v. 6. Sic & fieri posse, ut fideles peccent, & postea iterum sitiant liberationem a peccatis quæ prodit ex agnitione proprii defectus: Exemplo Davidis. Psalm: 42.

R: I: Christum fidelibus totalem ac finalem perseverantiam heic promittere, hætenus sat evidenter probavimus: negant id Remonstrantes, ita tamen ut apertè sibi contradicant. Nam si, Christo donante, fideles pretiosorem vitam tam certò sunt possessuri, ac si donatam jam actu possiderent (quæ Remonstrantium est assertio) quis neget, fidelibus perseverantiam heic promitti totalem ac finalem? Nam si totaliter & finaliter possent deficere; falsum esset, eos pretiosorem vitam tam certò possessuros, ac si jam actu possiderent. Deinde si Christus ideo venit ut daret animo talem satisfactionem, ut, qui semel verè crediderint, efficaciam præclarorû donorum ita expleantur, ut nihil sitiant, sed semper acquiescant in spe illorum bonorum (quæ Remonstrantium sunt verba) nonne sequitur, nec totaliter nec finaliter verè fideles à datis & promissis bonis deficere; aut hoc si negetur, frustra Christum venisse? *II:* Duplex intelligi potest sitis spiritualis; una quæ totalem sequitur aquarum spiritualium absentiam seu privationem: altera quæ aquarum spiritualium immixtionem seu paucitatem sequitur. Christus igitur, cum ait, non amplius sitire eum, qui aquas à se datas hauserit; de priori loquitur siti. Cum beatos prædicat sitiētes; de posteriori, quam omnes in hâc vitâ sancti experiuntur, & quæ in statu demum gloriæ explebitur. Interim & heic sententiam nostram non obscure

obscure

obscure approbant Remonstrantes. Nam si, quam diu hic sumus, justitiam sitimus, uti affirmant Remonstrantes: sequitur fidem nec totaliter nec finaliter nos amittere: quia sitis hæc aliunde in homine nõ proficiscitur nisi ex verâ fide. En tibi invictum veritatis robur, quod ipsi etiam Herculi adversario clavum extorquet!

Excipit Meisnerus: Aquæ spiritualis tantam vim esse & efficaciam, ut semel pota omnem prorsus sitim tollat, quantum in se est; & non solum duret in hac vitâ, sed etiam recreet & reficiat hominem ad vitæ sempiternæ fruitionem. Interim tamen ex parte bibentis posse fieri, ut virtus ejus quandoq; cesset & amittatur, si canalus mysticus qui est auditus verbi DEI, sponte negligatur. Esse igitur distinguendum inter ipsam aquam & bibentes aquam: requiri aquæ istius non tantum potationem, sed etiam semel haustæ conservationem.

R: Quid attinet quæso in re manifestâ perplexari, & in scirpo nodum quærere? Non quæritur, qualis aqua in se sit, sed quid in ijs efficiat, à quibus semel est hausta? Christus ait: *nunquam sitient.* Rationem reddit efficacissimam: quia in ijs, qui semel eam hauserunt, fons sit aquæ in vitam æternam salientis. Quod igitur tu affirmas, Meisnere, id Christus negat. Quæ enim virtus aquæ aliquando in bibente cesset & amittatur: si, qui semel bibit, in æternum non sitiet, si fontem aquæ salientis in vitam æternam produxerit? Non inquit Christus, aquam illam posse sitim totaliter restringere in se consideratam: sed totaliter actu restringere in eo, à quo hausta fuerit. Itaq; aqua illa in bibente se ipsam conservat, & sitim actu perpetuo arceat. Non est igitur, quod simile illud adferas: si quis aquam medicatam bibens statim eam expueret, parum illi frugifera foret. Nihil heic simile agnoscimus. Quod enim præsupponis, id negat Christus. Nõ expuitur aqua illa, quæ fons sit in eo, qui bibit, aquæ in vitam æternam salientis. Non expuitur, quæ sitim in æternum extinguit.

XIV: Iohann: 6. v. 35. *Ego sum panis ille vite, qui venit, ad me nequaquam esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquam:* Unde sic arguo:

Qui nequaquam esurient, nec unquam sitient: nunquam totaliter aut finaliter à Christo deficiunt. Atqui fideles, seu ij qui veniunt ad Christum verâ fide, nequaquam esurient, nec unquam sitient. Ergo.

Excipit Bertius: Hæc verba ad illos pertinere qui faciunt officium.

R: Omnino ad eos, qui faciunt officium, nempe, qui ad Christum veni-

unt, in Christum credunt, ut verba textus habent. Nonne verò verè fideles ad Christum veniendo & in Christum credendo officium faciunt? Nunquam igitur sitient, nunquam esurient, immo & fidem nunquam amittent. Aliter enim falsum esset, nunquam eos sitire, nunquam esurire, eo sensu quo à Christo hæc proferuntur.

Excipiunt Remonstrantes: Christum promittere fidelibus, eos famem sitimq; minimè passuros, sed vitam æternam possessuros, si in fide perseveraverint. Hanc enim conditionem semper subintelligi.

R: Conditionem perseverantiæ Christus quidem non exprimit: At requiri non negamus. Cum igitur venientibus & credentibus promittat, famem sitimq; eos nunquam passuros: indigitat quoq; semel venientium & credentium eam esse sortem, ut nunquam recedant, nunquam credere desinant. Quos enim à se alienos primum Pater ad Christum traxit, quidnî attractos sibiq; junctos retineat, ita ut recedere nunquam sinat? Ipse enim est, qui efficit in nobis ut & velimus & efficiamus, pro gratuità suâ benevolentia.

XV: Iohan. 6: v: 37. *Quicquid dat mihi Pater ad me venit: & eum, qui venit ad me, non ejiciam foras:* Unde sic arguo:

Si verà fide venientes ad se Christus non ejicit foras, utiq; à Christo nunquam separantur. At verum illud. Ergo & hoc.

Excipit Bertius: I: Christus non rejicit venientem. Quid si ipse homo resiliat? Probat aliquos à Patre datos posse perire & resilire ex Iohann: 17: v. 12. *Quos dedisti mihi ego custodivi, & nemo ex illis periit, nisi filius perditionis.* II: Quid si Pater indignum resecat? Affirmat id Christus, Iohann: 15: v: 2. *Omni palmitem in me non ferentem fructus tollit Pater.*

R. I: Infidelem in consortio suo Christus nullum patitur. Si quis igitur per infidelitatem à Christo resiliret, postquam ad eum venit, certè à Christo ejiceretur: sed Christus neminem ad se verà fide venientem ejicit: per infidelitatem igitur verè fidelis nemo à Christo resilit. At, inquis Bertius, se ipsum ejiceret. R: Resilire seu deficere ab obsequio Regis, subditorum est rebellium. E regno rebelles ejicere, Regis est rebellionem vindicantis. Non igitur eadem sunt, resilire à Christo & ejici à Christo: illud est rei, hoc judicis: illud rebellio, hoc rebellionis vindicatio. Nec est quod exemplo Iudæ nos urgeat Bertius. Absit, ut in verè fidelium numero Iudam fuisse credamus. Fidem Iudæ denegat Christus, hujusdem capituli vers: 64, 65.

Sunt

*Sunt quidem ex vobis, qui non credunt: noverat enim à principio Jesus, qui-
nam essent, qui non credebant, & quis eum proditurus esset. Proditorem ex-
pressè conjungit cum infidelibus. At, inquis Berti, Judas Christo datus à
Patre dicitur. R: Sunt qui particulam *εἰς* pro *ἀπὸ* positam dicant, &
hâc ratione Judam Christo à Patre datum negent: sensus enim allegati di-
cti hic esset. Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex illis perijt. Sed fi-
lius perditionis perijt, nempe quia datus non fuerat. Sed responsum hoc
ad auctores suos remittimus. Damus tibi, Berti, Judam Christo fuisse da-
tum à Patre; hoc enim textus haud obscure videtur innuere. At verò ad
vitam æternam fuisse datum nullo modo damus. Filius enim fuit perditio-
nis; qui titulus sine contradictionis implicatione non potest tribui ei,
qui Christo ad vitam æternam à Patre datus est. Ad quid igitur datus? Ad
obeundum temporale ministerium: ut inserviret, non ut servaretur. Au-
gustinum si libet audi: tomo 7. cap: 9. de corrupt: & gratiâ: *Hi ergo Chri-
sto intelliguntur dati, qui ordinati sunt in vitam æternam: ipsi sunt illi prædesti-
nati & secundum propositum vocati, quorum nullus perit: ac per hoc nullus
eorum ex bono in malum mutatus fuit hanc vitam, quoniam sic est ordinatus,
& ideo Christo datus, ut non pereat, sed habeat vitam æternam: ubi paulò
post subjungit: Num quid in his computandus est Judas, qui non mansit in
verbo ejus? II: Omnes ij, qui ad vitam æternam Christo dantur à Patre,
per & propter Christum æstimantur digni. Nullum igitur rejectionis est
periculum: indignus enim nullus est: Nec docet Christus contrarium.
Palmites enim Christo inserti sunt duplices: Alij per æternam electionem
& temporalem vocationem & externam internam, quos verè fideles ap-
pellamus: Alij duntaxat per vocationem temporalem externam, qui cor-
pori Christi, hoc est, Ecclesiæ per externam professionem inseruntur, &
pro veris Christi membris reputantur, donec manifestà defectione contra-
rium testentur. Hos hypoeritas nuncupamus. Hujusmodi palmites tan-
dem tolli & refecari ultro damus: de prioribus constanter negamus. A-
gnofeit & Hunnius, Christum de hypoeritis loqui.**

*Excipiunt Remonstrantes; Non veniendum tantum esse, sed & ma-
nendum. Iohann 15. v: 5. Qui manet in me, & in quo ego maneo, hic feret
fructum multum: & v. 6. Nisi quis in me manserit, ejeçtus statim ut palme a-
rescet.*

R: Immo manendum. Mansionem verò Christus præsupponit, dum

eum, qui venit, à se ejectum iri negat. Observandum heic, distingui à Christo hæc duo: non manere, quod idem est ac resilire, & ejici, de quo in responsione ad primam Bertij exceptionem.

XVI. Johan: 6. v. 39. *Hæc autem est voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, sed suscitarem illud in ultimo die.* Unde sic arguo,

Si Christus ex ijs, quos à Patre suo accepit, neminem perdit, sed in ultimo die omnes ad vitam suscitatur: utiq; nullus eorum à Christo penitus deficit. At verum illud. Ergo & hoc.

Assumptio ex allegato testimonio evidenter probatur: Quandoquidem ea Patris voluntas est, ut neminem perdat. At omnem Patris voluntatem, Christus fecit, & etiamnum facit: Eum in finem ait *se descendisse è cælo.* vers. 5. 38.

Excipit Bertius: Intelligenda sunt ista de ijs, qui ad finem usque perseverant.

Resp. Voluntatem patris sui Christus non suspendit à conditione. Etsi certum est, non nisi perseverantes à Christo conservari & in ultimo die suscitari. Nisi igitur Bertius iniquus esset Divinæ Majestatis & omnipotentiaæ æstimator, Dei voluntatem ab hominis voluntate insolenter non suspenderet, sed humilimè potius hominis voluntatem à Dei voluntate tanquam causâ primâ & prorsus independente dependere agnosceret. Perseverant ergo electi, quia ea Dei voluntas est, ne perdantur, sed ad vitam à Christo suscitentur. Non vero voluntatis hujus occasionem Deus sumit ex prævisione perseverantiaæ: quando non est volentis aut currentis, sed Dei misericordis. Quanto autem rectius, ô Berti, divinam sublimitatem adorando, ex consequenti antecedens colligeres, hæc ratione: Dei Patris voluntas est, ne quisquam eorum, qui Christo sunt dati, nempe per æternam electionem, pereat; sed ut ad vitam omnes suscitentur: Ejusdem igitur quoq; Dei Patris voluntas est immutabilis, ut in fide ad finem perseverent: nec ea tantum voluntas, quæ non nisi præcepti nudi rationem habeat; sed efficacissima, quæ quod vult ab electis suis fieri, in ipsis operatur electis, dando nimirum, quod jubet, & jubendo quod vult. Nec enim est, quod Deum tibi imagineris in æterno suo consilio fluctuantem, & decreti finis certitudinem à mutabili hominis voluntate suspendentem. Deum hunc ignorat scriptura, non admittit Divini Numinis natura.

Exci-

Excipiunt Remonstrantes : Non agitur de amissione fidelium per defectionem à fide : sed de eorum perditione per mortem, adversus quam Christus promittit, se eos ex patris sui voluntate ex morte in beatam vitam suscitaturum, sed qua tales, qui in fide sunt mortui.

Resp : Nec de amissione fidelium, nec de perditione, sed de certissimâ ipsorum salute & conservatione agitur. Cujus fundamenta nobis monstrantur duo prorsus immobilia & inconcussa : Voluntas DEI Patris constantissima, & obedientia Christi promptissima. Hisce duobus fundamentis nostra nititur salus, nullis satanæ molitionibus vel minimum convellenda. Ecceur igitur temerario & improbo ausu machinas salutis fidelium prosternendæ admolimini Remonstrantes? Ex morte, dicitis, in æternam vitam suscitabit, qui in fide sunt mortui. Immo vero, inquam, hosce & non alios. Qui verò Patris voluntati Christus satisfecisset & etiam num satisfaceret, si perire datos sibi electos, si fidei jacturam facere, pateretur? Nam si eâ Patris voluntas est, ut nullum eorum, quos accepit, perdat : conservari utiq; à Christo vult omnes electos. Conservat igitur Christus omnes. Si, patre volente, omnes electos conservat Christus, in fide utiq; conservat, quando conservatio electorum sine fide nulla est. Si in fide omnes electos conservat, periculum apostasiæ nullum est. Aut igitur à vero longissimè aberrant Remonstrantes, aut Christus omnem Patris sui voluntatem non facit. Absit verò, absit, ut hæc in animis nostris vel suspiciones oboriantur.

XVII : Iohanni : 6. v : 51. *Ego sum panis vivificus, qui ex cæle descendi : si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum* : Unde sic arguo :

Qui edunt panem vivificum, qui è cælo descendit, vivunt in æternum. Omnes verè fideles edunt panem vivificum, qui ex cælo descendit. Omnes igitur verè fideles vivunt in æternum. Nunquam igitur totali aut finali apostasiâ moriuntur.

Excipiunt : Si quis ederit, & in edendo perseveraverit.

Resp : Uni actui (*si quis ederit*) cum æterna promittatur vita : actus simul perpetua continuitas, sine quâ nemini obtingit vita, indigitatur & promittitur. Ea siquidem cælestis panis conditio est, ut semel comestus nunquam comedi desinat, & cum effectu perpetuo, vitâ nempe æternâ, indissolubili nexu junctus maneat. Terrestris verò panis cum longè sit alia conditio, nunquam legeris perennem aut longævam saltem vescentibus eo vitam.

vitam promitti: ratio est: quia semel comestus comedi definit, vireſq; corporis, si maximè usus ejus sit continuus, ita nequit illi batas conservare, quin tandem collabantur, & morte penitus aboleantur. Unde cœlestem panem mannae deserti Christus opponit v: 49. *Patres vestri comederunt mannam in deserto & mortui sunt.*

XVIII. Iohann: 10. v: 27, 28, 29. *Oves meae vocem meam audiunt, & ego eas agnosco, & sequuntur me, & ego vitam aeternam do eis, neq; peribunt in aeternum, neq; rapiet eas quisquam è manu meâ: Pater meus qui eas dedit mihi, major omnibus est; neq; quisquam potest eas rapere è manu Patris mei: Ego & Pater unum sumus.* Unde sic arguo:

Quibus Christus dat vitam aeternam, qui in aeternum non peribunt, quos nemo potest rapere è manu Patris & Christi: ij certè nec totaliter nec finaliter à Christo possunt se jungi. Atqui fidelibus Christus dat vitam aeternam; fideles in aeternum non peribunt; fideles nemo potest rapere è manu Patris & Christi. Ergo. Vel specialius.

Qui nec Diaboli, nec peccatorum, nec mundi irapij vi è manu Dei eripi possunt: ij totaliter aut finaliter separari à Deo non possunt. Atqui oves Christi, hoc est fideles, nec diaboli, nec peccatorum, nec mundi impij vi è manu Dei eripi possunt. Ergo.

Propositio è sufficienti constat enumeratione causarum, quibus è manu Dei electi videntur eripi posse. Assumptionem ipse Christus hoc loco proloquitur, qui particulâ exclusivâ, Nemo, omnes complectitur causas salutis nostrae officientes. Has inter cum princeps sit nostra ὀλιγοπισία, hujusq; comes peccatum: vel imprimis scrupulus hic erat eximendus. Quae enim illa foret consolatio, si imbelliorum quidem & imbecilliorum hostium insidijs & molitionibus nos posse obniti, at potentissimorum praedae expositos esse, Christus affirmaret? Et sic infero:

Si nemo potest fideles è manu Dei rapere, utiq; nec ipsi sese è manu Dei eripere possunt: At illud est Christi pronunciatum: Ergo. Vel:

Si ipsi fideles possunt se ex manu Dei eripere, falsum est à nemine eos posse rapi, falsum (absit dicto blasphemia) Patrem omnibus esse potentiorum. At consequens falsum & blasphemum. Tale igitur & Antecedens.

Inprimis autem heic observandum, quod ovium hostibus à Christo opponatur non ovium robur, non propria, quibus possint pugnare, arma: Sed manus Dei patris & Filij, hoc est omnipotentia divina quâ nititur salutis nostrae infallibilis certitudo.

Excipit

Excipit Bertius: Christus ovibus suis dat vitam æternam, itaq; nec peribunt nec rapientur è manibus Christi: utiq; si ad finem usq; oves manserint. Quid si verò ipsi degenerent? Nam & sal potest infatuari. Tunc necesse est pereant.

Resp: Hæc chorda est illa, quâ perpetuò oberrat Patronus hîc Apostasiæ infamis, quem animo conceptus & profundissimè impressus error penitus occæcavit.

Quid enim illæ sibi volunt *ἀποείαι*? Si ad finem usq; oves manserint: nisi ipsi degenerent. Quasi verò scrupulos hosce non exemerit Christus fidelibus. Qui enim è manibus Dei rapi nequeunt, ad finem utiq; oves manent. Nec enim ex ovibus Christi non oves fiunt, nisi è manibus Dei rapiantur. Nec quisquam degenerat totaliter, nisi vel ipse se è Dei manibus eripiat, vel per aliū eripiatut. At nemo oves Christi è manibus Christi & Patris potest rapere. Scrupulis tuis & dubitationibus, mi Petre, si Dei manū quam hæc tibi Christus porrigit, opponeres: scædissimū tuum de sanctorum apostasiâ errorem promptissimè ejurares, è dubitationum fluctu ad tranquillitatis beatæ portum felici conatu enavigares, & afflictis conscientijs hoc gorgonis capite afflictiones addere religioni tibi duceres. Quæ verò alia tua divinæ hujus promissionis resolutio est, quàm hæc? Non possunt oves è manibus Dei rapi, nisi degenerando è manibus Dei rapiantur. O frigidum solatium, & frigidiorè longè ac ineptiorè suavissimi & efficacissimi solatij analysin? Illusio hæc, non consolatio est.

Excipiunt Remonstrantes: I: Non sequitur eos, ideo non posse desinere oves esse: etsi, dum sunt oves, rapi non possunt. II: nec sequitur, illos non posse è manibus Patris per peccata transfugere ad hostem, etsi dum sunt innocentes, ipsis ab hoste non noceatur. III: rationem subjiciunt. Contrarium, ajunt, videmus Ezech: 34. v. 5. ubi dicit Deus, oves pastorum negligentia dispersas cibo fuisse bestiis agri: & vers: 16. velle se pingem. & firmam ovem perdere. IV: Causam ovium conservatarum ajunt statui hic in Patris potentia opposita infirmitati hostis earum; at non in immutabilitate voluntatis earum, quasi illæ neq; possent unquam deficere, neque unquam defecturæ essent, uti utrumq; pari certitudine potest ac debet inferri, quod tamen est absurdum.

Resp: I: Concedunt ergo oves Christi non posse rapi è manibus Dei, quod grati accipimus. Sed ad ingenium mox redeunt. Quid si desinant

esse oves? Anne & tum rari non possent? Spiritus paulisper comprimite Remonstrantes. Nemo Christi ovis esse desinit, nisi qui raptus est à Dei manibus. Si qui ergo à Dei manibus rapiuntur, uti vos vultis: utiq; oves rapiuntur, non qui oves esse jam desierunt, & in hircorum numerum transierunt. Qui enim à Dei manu rari dicuntur, in Dei manu esse intelliguntur. Sunt autem in Dei manu, non qui hirci sunt, qui oves esse desierunt, sed qui actu oves sunt. Si igitur sincerè creditis & confitemini oves Christi non posse rari à manibus Dei; ex ovibus non oves, ex fidelibus infideles fieri posse, revocato errore, publicà confessione negate, & sic Ecclesiarum nostrarum confessionibus subscribite. II: Fidelibus ab hoste noceri non posse, nos non docemus. Aliud enim est noceri non posse, aliud è manu Dei rari non posse: hoc negat scriptura; illud cum experientia affirmat. Interim fideles Christi milites, si penitus desertis Christi castris, ad hostem posse per peccata transfugere, affirmatis: & vobis & Christo contradicitis. Vobis quidem: quia negastis modò, oves Christi, dum oves sunt, è Dei manibus posse rari: Christo; quia negat is oves suas è suis & Patris sui manibus ab ullo posse rari. At quid aliud per peccata ad hostem penitus posse transfugere, quam è Dei manibus posse eripi? III: Adducta ratio nos minimè ferit. Distinguant Remonstrantes inter oves veras, quas interior fidei ornatus Deo commendat; & apparentes, quæ externâ fidei professione homines decipiunt; inter terrestris & cœlestis Hierosolymæ cives: distinguant quoq; inter clades, quas ab agrorum bestijs accepere totales ac partiales. Nam & electi fideles p̄ pastorum negligentia quandoq; dispergi possunt, sed maturè à Deo reducantur: lædi à bestijs possunt, sed medicâ Christi manu obligantur & sanantur: uti promittit Deus Ezech. 34. v. 5. 16. *pereuntem ovem requiram, & depulsam reducam, fractamq; obligabo & egrotam confirmabo.* Quæ igitur oves itâ disperguntur, ut nunquam reducantur, ita læduntur, ut nunquam obligentur & sanentur: non veræ sed apparentes sunt oves, hypocritæ nimirum, quos Deus tandem perdet: veluti in eodem versiculo ait, *pinguem & firmam ovem perdam*: per pinguedinem & firmitatem intelligitur hypocritarum confidentia proprio nixa robore. IV: Causam ovium conservatarum non statuimus in immutabilitate voluntatis electorum, sed in immutabilitate voluntatis Dei, quæ humanæ voluntatis mutabilitati succurrit, & apostasiæ periculum clementer avertit. Hujus ergo solius respectu doc-

mus, Christi oves nunquam defecturas, nec posse unquam deficere. A voluntate autem hâc non excludimus Dei potentiam, sed vel inprimis eam includimus. Nec enim impotentem aut inefficacem Dei voluntatē credimus, sed omnipotentē & efficacissimam. Anne verò minus firmo nixa nobis videtur fulcro Sanctorū perseverantia, si omnipotentī Dei nitatur voluntate? Quod si verò agnoscitis causam ovium conservatarum statui in Patris potentiâ oppositâ infirmitati hostium: eccur in hominum infirmâ voluntate eam quæritis, & monentes meliora non auditis?

Excipit Eckhardus in fasciculo suo; oves è Dei manibus non eripi: I: Si vocem pastoris sui audiant; quæ descriptio additur subjecto propositionis. II: Non eripi nolentes, invitas, motu violento & raptu voluntati adverso, qui sensus est prædicati; sed quæri, annon proprio propriæ voluntatis motu se à grege & ovili Christi subducere, atq; ita lupo in prædam fieri possint?

R: I: Oves Christi, de quibus apud Evangelistam sermo est, non sunt, qui vocem Christi non audiunt, ut textus expresse docet. Contradictio igitur fœda in quæstione fuerit, si quæras: An oves Christi vocem pastoris sui non audientes è manibus Dei possint rapi? Facessat igitur conditio illa subjecto contraria. II: Loqui Christum de raptu tantum ejus, qui raptus, voluntati adverso, falsum est. Solida enim ovium Christi hæc consolatio non esset, nisi suas in bono voluntates ita obfirmatas intelligerent, ut à Christo penitus averti & ad Satanam converti nullis artibus possent. Tam etenim in se nihil est mutabile & variabile, quàm hominis voluntas, quæ nisi divinitus conservaretur, & adversus Satanæ artes muniretur: facilimè se expugnari, & à Dei nutu ad Satanæ obsequium traduci, pateretur. Huic igitur infirmitati, quæ intestinus noster est hostis, & cum externis facilimè conspirat, Christus suam & Patris potentiam opponit. Et sanè nisi de raptu loqueretur Christus, in quem voluntas tandem consentit: supersedere utiq; poterat hæc consolatione & doctrinâ. Cogi enim voluntatem, circa quam raptus hic spiritualis potissimum occupatur, non posse, etiam Christo non docente, omnes noverant: norunt ex solius naturæ lumine gentiles. Sic ergo ne spem quidem consolationis hæc Christi verba præ se ferrent: nec peculiare gratiæ donum Christi ovibus promitteretur: sed commune tantum naturæ bonum promeretur.

XIX: Iohann: II: v: 24. *Ego verò sciebam me semper à te audiri: & Io-*

B b 2

han.

han: 17: v: 15. *Non rogo ut tollas eos à mundo, sed ut serves eos à malo. & v: 20*
Non tantum pro ijs rogo, sed & pro iis, qui per sermonem eorum credituri sunt
in me. Unde sic arguo:

Pro quibus Christus apud Patrem intercessit, rogavitq; , ut à malo servarentur: ij à malo servantur omnium maximo, nempe apostasiâ totali & finali: Atqui pro electis fidelibus Christus apud Patrem intercessit, rogavitq; ut a malo servarentur. Ergo à malo servantur omnium maximo, nempe Apostasiâ totali & finali.

Propositionis ratio continetur effato primo; *Scio me semper à te audiri:* Unde sic arguo:

Qui semper à Patre exauditur: is etiam tum exauditus est, cum rogaret, ut fideles à malo servarentur. At Christus semper à Patre exauditur: Ergo.

Mali verò nomine imprimis denotari apostasiâ, palam est: quia nullum majus & periculosius est malum, quam Apostasiâ, quo averso, omnia alia, quæ animæ insidiantur (de his enim loquitur Christus, non de calamitatibus:) facile averti possunt. Nec permittebat dilectio Christi erga suos, ut de minoribus saltem malis avertendis Patrem suum sollicitaret, maximi verò mali cassibus irretiri sineret. Testantur idem expressa Christi verba. v: 17: *Sanctifica eos tua veritate, sermo tuus veritas est.*

Assumptio principalis Syllogismi continetur effato secundo & tertio. *Excipit Bertius:* Rogavit pro Iudâ Christus, & Christum audivit Pater, ac nihilominus ipse filius perditionis fuit.

Resp: Aut Christum pro Iudâ hoc loco rogasse falsum est, aut Christum à Patre semper exaudiri, falsum est. Cum enim Iudas à malo non fuerit servatus, alterutrum necessario concedendum fuerit. Nos pro Christi gloria militantes prius accipimus. A posteriori si abhorret Bertius, ad nos transeat. At Christum, inquit Bertius, Pater audivit. Qui verò, inquam, Christum pro Iudâ rogantem Pater audivisset, qui Iudam à malo non servavit?

Sed alijs nos machinis adoritur Bertius. Qui sunt fideles, pro ijs rogavit Christus. At Judas ab initio fuit fidelis. Ergo pro Iudâ quoq; rogavit Christus.

Assumptionem probat septem rationibus: I: quia relictis rebus suis omnibus inter *Apostolos conscriptus est*, Matth: 10: II: quia *pro ipso æquè ac pro alijs oravit Dominus*. Luc: 6. v: 12. III: quia *Christo datus est à Patre*.

Iohana:

Iohann: 17: v: 12. IV. Quia Christum confessus est & docuit Matth 10. v: 5, 6. V: quia Christo insitus fuit. Ioh: 15. v: 2. VI: quia venit ad Christum; datus enim est Christo; At omnis, qui à Patre datur, ad Christum venit. Ioh: 6. v: 37. VII: Facta est illi promissio gloria in vitâ aternâ majoris: Matth: 19: v: 28. Vos qui secuti estis me in generatione

Resp: Bertiani Syllogismi assumptionem, sublatâ Consequentis ambiguitate, falsissimam esse, pronunciamus. Ad approbationes ordine respondemus.

Ad I: Aliud est res suas omnes relinquere, aliud salvificâ fide præditum esse. Nam & hypocritæ ad tempus Christi nomine quandoq; aliquid patiuntur: immo & hæretici pro Christi gloriâ martyria se jactant obire. Forfan autem Judas res suas tanto reliquit facilius, quod exiguas eas esse nôset, & quod fortunam magis opimam avarus speraret. Deinde cum Apostolatu salvifica fides necessaria conjuncta non est, veluti in servos quoq; cadit infidelitas. Docuit igitur hoc ipso exemplo Christus. Posse aliquem ad tempus esse Apostolum, & Satanam simul ac filium perditionis, qualis Judas erat; qui in collegium hoc sacrum est lectus, non quod hypocrisi suâ Christum decepisset, sed quod à domestico Christum prodi oportuerit. Iohann: 13: v: 18. Act: 1: v: 16. quæ loca respiciunt ad Psal: 41. v: 10. Ambrosij in 6. cap. Lucæ verba sunt: *Non enim per imprudentiam eligitur, cum Christus nôset esse diabolicum virum.* Notant alij alios fines. Augustinus Psalim: 24. quia, inquit, *neccessè erat, ut malos sive scientes sive nescientes toleraremus, exemplum patientiæ præbuit Dominus, ne deficias, cum cœperis inter malos vivere:* & lib. 18. de caritate Dei: cap. 49. *Habuit Christus inter discipulos unum, quo malo utens bene & suæ passionis dispositionem imple-ret, & Ecclesiæ suæ tolerandorum malorum præberet exemplum.* Thomas ait *documentum esse datum, quod dignitas status non sanctificet hominem, & quod vix contingat, quin in magnâ cōgregatione malus aliquis sit bonis admistus.* Rupertii in 6. cap. Johannis memorabilia hæc sunt verba: *Filius perditionis nunquam bonus fuit, nec de bono electo malus factus est, sed quia malus erat, idcirco ad opus necessarium ab eo, qui malis bene uti novit, electus est, & apud illum pro malo semper habitus est, malo inquam, non nequitia naturali, sed vitio accidentali.* Ad I I. Luc. 6. v. 12. orasse quidem Christus legitur, sed non pro Apostolis, quos nondum elegerat, multò minus pro Judâ æquè ac pro alijs. Ad I I I. quo pacto fuerit Christo datus, supra explicavimus:

nempe ad officium Apostolatus, quod per se non sanctificat hominem, non ad vitam æternam. Ad. 4. Et hypocritæ Christum confitentur & docent: Immo & diaboli, teste historiâ Evangelicâ. sed quid Christus ait? *Non omnes qui dicunt, Domine, Domine &c, ingredientur regnum cælorum, sed qui faciunt voluntatem Patris mei in cælis.* Ad. 5. De infitione Judæ in Johanne nihil occurrit: sed infitum aliquo pacto Judam non negamus, nempe quoad vocationem externam & confessionem, quâ pro Christi palmitate se venditabat, & de Christo vite gloriabatur: Interim non genuinum sed spurium se palmitem esse ostendit è fructibus malis & à CHRISTO vite alienissimis. Ad. 6. Quomodo datus est Christo, eodem & venit ad Christum: Datus autem est Christo ad obeundum ministerium temporaneum, non ad participandam sortem Sanctorum: ad illud igitur capessendum, non ad hanc obtinendam venit: ab illo tandem est rejectus, ab hac nunquam fuisset exclusus & ejectus, si per fidei januam semel intrasset. Ad 7. I. Verba ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, in nonnullis exemplaribus referuntur ad antecedens, ἀκολουθήσαντες, ut sensus sit, vos qui in regeneratione me secuti estis: quæ, si quis interpretetur de internâ mentis renovatione cōjunctâ cū exteriori comitatu Christi, Judâ ab hac promissione excludi extra dubium fuerit: Perditionis enim filius nunquam mente renovatus fuit, hypocrita semper sincerus nunquam fuit. II. Pleriq; tamē παλιγγενεσίαν ad sequentia referunt, & novū futuræ vitæ statū, quo omnia renovabuntur *cælū novum & terra nova creabuntur*, 2. Pet. 3. v. 13. Apocal. 21. v. 1. à Christo describi existimant. Hæc si utrinq; admittatur interpretatio, quæro, utrum Christus æternæ vitæ gloriâ promittat ijs, quos externi tantū officij habuit comites & ministros; an ijs, qui præter externum Apostolatus officiū, quod, jubente Christo, obibant, internâ quoq; & salvificâ fide ipsum sunt secuti? Prius si dixeris, Christo contradixeris, qui sine fidei conditione nemini æternam vitam promisit: immo omnes illos, qui in nomine Christi dæmonia ejecerunt, doctrinamq; multis alijs miraculis confirmarunt, regnum cælorum ingressuros, expressè negat, & multos ex ijs se nunquam nosse affirmat: quod in fine quoq; capitis hujus haud obscure indigitat verbis illis: *Multi autem primi erunt ultimi, & ultimi primi.* Posterius si dixeris, Judæ proditori tanquam hypocritæ & infideli nihil promitti, asserimus.

Excipiunt Remonstrantes: I. limitando axioma. Quicquid Christus Patrem suum orat, hoc impetrat: eo nempe modo, quo orat. At nusquam, ajunt,

ajunt,

ajunt, oravit absolutam perseverentiam fidelium in fide. Rationem subjiciunt: Si Deus tam absolutam & inevitabilem perseverantiam fidelium statuisset, potiti fuissent extra omnia defectionis periculum, & Christus tam sollicitè non fuisset oraturus, ut perseverarent. II. Instantijs nos urgendo. Si Christus semper impetrat, quod orat, sequitur exauditum fuisse i. cum in cruce pro hostibus suis oraret, ut Pater illis ignosceret, 2. cum in hoc capite oraret, ut ab improbo fideles servarentur, essentq; unum, sicut ille & Pater unum sunt. At neutrum horum à Christo fuit impetratum. Nec enim ignovit Deus hostibus, pro quibus in cruce oravit Christus; nec fideles semper sunt concordēs. III. Christi verba; *Rogo te, ut eos ab improbo conserves*, interpretando. Ajunt igitur vel specialiter hanc precationem Christi discipulos concernere, propter officium, ad quod operâ illorum uti volebat: vel intelligi defensionem à mundi persecutione, odio & invidia: vel respicere Christum ad illud potissimum tempus, quo erat capiendus, vincendus, per mortem ab ijs separandus; illi ut oves pastore suo destitutæ dispergendi: vel si per improbum quoq; peccatum sit intelligendum, præsupponendum nihilominus esse, quod sequitur: *Ex mundo non sunt*: ita ut eos velit servari, qui ex mundo non sunt, qui vident, ne mundum diligant, qui sibi cavent ab hominibus, qui diabolo resistunt firmi in fide, qui vigilant & orant.

Resp. Quid quæso non agunt hi Pharisæi, quod dubitationum mare non circummeunt, ut unum faciant profelytum, ut afflictas conscientias turbent, & ad desperationem adigant? Premamus igitur horum vestigia, & à veri tramite quam longè aberrant demonstramus. I. Absoluta fidelium perseverantia in fide vel ea appellatur, quam, ob immutabile Dei decretum & constantissimam erga fideles in Christo benevolentiam, apostasiâ totalis non potest interrumpere: vel quæ sine omni fidelium sollicitudine medijsq; ordinarijs à Deo procuratur. Hanc nusquam Christus oravit: Illam obedientiâ suâ Christus procuravit, intercessione impetravit, in verbo suo promisit, ut hætenus prolixè demonstravimus, & deinceps demonstrabimus. Itaq; ratio subjecta nos minimè urget. Inevitabilis enim est perseverantia & extra periculum defectionis constituti sunt fideles, si Christus intercessione suâ eam impetraverit, si periculum averterit. Unde sollicitè orandi causas Christum habuisse palam est. Et quî quæso pro ijs rogare destitisset, pro quibus mori non dubitavit? Discant igitur Remonstrantes

strantes

frantes, ut electione ad vitam immutabili non tollitur Christi pro nobis satisfactio, sic nec decreto perseverantiæ immutabilis tolli intercessionem Christi. Sunt enim subordinata hæc, non opposita. II. Christum semper impetrare, quod orat, impiè negant. Aut enim scit Christus se exauditum iri, aut scit se exauditum non iri, aut dubitat de exauditione. Si scit, se exauditum iri, utiq; exaudietur: nam si non exaudiretur, non sciret se exauditum iri. Si scit, se exauditum non iri, utiq; non precabitur: nam & frustra precaretur, idq; sciens & volens, & precando Deum offenderet, id petendo, quod Deum nolle dare nõsset. Si dubitat de exauditione, multò magis & nos dubitare par est. At dubitare nos prohibet per Apostolum Jacobum cap. 1. v. 6. Et qui posset quæso de exauditione dubitare, qui nil nisi æqua petit à datore æquissimo? Qui, quod orat ipse cum Patre præstat? qui meriti sui nititur efficaciam? *Quem diligit Pater, cui omnia dedit in manum ejus.* Johann. 3. v. 35? *Qui semper se exaudiri testatur* Johann. 11. v. 42? Locum hunc ad solam exauditionem in miraculis & signis faciendis ideo referunt Remonstrantes, quia nimium eo se urgeri sentiunt. Sed quæ quæso fiducia in Mediatoris nostri intercessione collocari posset, si in miraculis tantum faciendis ea semper exaudiretur, non autem in alijs bonis flagitandis, quæ salutem nostram propius concernunt, & Dei gloriam non minus quàm miracula illustrant? Illud igitur mentes pias soletur, qui servatorem & salutis suæ procuratorem semper exaudiri nõrint: nec patiantur hoc sibi eripi solatium Spiritus monstrantis à Spiritu remonstrante. Exempla, quæ adferunt, minimè nos turbant. Cum enim pro hostibus, ut Pater ijs ignosceret, in cruce Christus peteret: aut eatenus saltem ijs ignosci voluit, ut pœnæ mitigarentur, quia quodammodo inscij peccârunt; aut omnem ijs remitti culpam, suamq; justitiam ac satisfactionem, veram ac sinceram, per Dei gratiam, agentibus pœnitentiam imputari voluit. Utravis modo dicimus Christum exauditum: priori quidem, si pro reprobis oravit: posteriori, si pro electis oravit. Nec enim dixerim ego, omnes illos, qui Christum inscij sunt persecuti & afflixere, reprobos fuisse, nullumque deinceps verâ factorum pœnitentiam ductum ad sanio rem mentem per Dei gratiam rediisse, & verâ in crucifixum Christum fide præditum exspirasse. Contrarium testatur Apostolus Actor. 3. v. 17, 18, 19. ubi ait: *Scio fratres, vos per ignorantiam ista fecisse, sicut & primores vestros &c: resipiscite igitur & convertimini, ut deleantur peccata vestra, postquam venerint,*

nerint,

merint tempora refrigerationis à conspectu Domini. Effectus hujus concionis notatur cap. 4. v. 4: *Multi verò eorum, qui audierant sermonem, crediderunt: & factus est numerus virorum quasi quinquies mille.* Profana igitur est illa Remonstrantium interrogatio. Quis ausit dicere illum fuisse exauditum, qui modo scit, pro quibus ille oraverit? Alterum exemplum ejusdem est facti. Ajunt fideles non semper esse concordēs, etiamsi Christus oravit, ut unum essent. Resp. Unitas fidelium, quam Christus petit, alia nulla est, nisi sanctorum communio, quam in symbolo profiteamur & credimus. Si igitur nulla est sanctorum unio vel communio: deleant ex symbolo articulum illum Remonstrantes. Aut si perpetua omnium sanctorum respectu hæc non est communio: fateantur oportet, perpetuam omnium sanctorum unionem credentes nos turpiter quandoq; falli. Emendent igitur articulum Remonstrantes: & reponant, credo aliquorum sanctorum communionem. Aut deniq; si in symbolo nihil mutandum judicaverint, credant nobiscum, exauditum esse Christum, cum oraret, *ut fideles essent unum.* Attamen, inquirunt, fideles non sunt semper concordēs.

Resp. Discordiæ speciales, quæ inter fideles quandoq; oboriuntur, non tollunt universalem illam concordiam, quam Christus petit, quam in symbolo credimus. Fidelium siquidem *unus est Dominus, una spes una fides, unum baptisma.* Ephes. 4. v. 4, 5. In his omnes consentiunt. Gratia verò etsi omnibus eadem mensurâ non datur, unde dissensiones quandoque nascuntur: unitas tamen illa primaria propterea non labefactatur, sed *totum tandem corpus congruenter coagmentatum & compactum per omnes suppeditat as commissuras, ex vi intus agente, pro mensurâ unius cujusq; membri, incrementum capit corpori conveniens, ad sui ipsius extructionem per caritatem;* quæ Pauli sunt verba Ephes. 4. v. 16. Quid quod ipsæ illæ similitates in verè fidelibus, per Dei gratiam, ex vi intercessionis Christi, penitus tandem tollantur, & salutari poenitentia prorsus aboleantur: ut ne hæc quidē parte intercessionis fructum desiderare possis. III. Christi verba: *Rogo ut serves eos à malo,* ad solos referri debere Apostolos, falsum est. Sunt enim expressa Christi verba vers. 20. *Non tantum pro ijs rogo: sed & pro iis, qui per sermonem eorum sunt credituri in me.* Et nonne omnes fideles jugi illà conservatione opus habent? Cur igitur in petendâ eâ Christus ipsis desit? Deinde solam intelligi defensionem à mundi persecutione, odio & invidia, falsissimum est. Immo ab hisce immunes noluit Servator reddere disci-

pulos & fideles suos, qui persecutiones, fugas, odia & mundi invidiam prædixit. Matth. 10. v. 22. *Eritis exosi omnibus propter nomen meum*: Cum persequentur vos in eâ urbe, fugite in aliam: & vers. 24. *Si ipsum Patrem familias Beelzebub vocarunt: quanto magis domesticos ejus*: & Johan. v. 1, 2, 3. *Hæc locutus sum vobis, ut ne offendamini. Movebunt vos Synagogis: immo veniet tempus, cum quisquis trucidabit vos, putabit se cultum præstare Deo.* & cap. 21. v. 18. Petro martyrium prædicitur. Tantum autem abest, ut persecutiones ac tribulationes suorû Christus deprecetur, ut ad regni sui societatem non admittat, nisi eos, qui cum ipso toleraverint: *Si modo simul cum eo patimur, ut simul cum eo glorificemur*, Rom. 8. v. 16. *Si toleramus, etiam cum eo regnabimus: & si abnegabimus, & ille abnegabit nos*, 2. Tim. 2. v. 12. Hinc exclamat David Psal. 119. v. 11. *Bonû est, Domine, quod humiliasti me. Et pijs in oppressionibus quoq; gloriâtur*. Rom. 5. v. 3. Prætereâ respicere Christum ad illud duntaxat tempus, quo erat vincendus & ab ijs separandus: falsum esse ex textu comprobatur. Rogat enim Christus pro omnibus ijs, qui per sermonem Apostolorum in ipsum erant credituri, qui certè illo tempore nondum omnes crediderunt, vel nati fuerunt. Et quæ quæso illa fuisset consolatio, si ad tantillum modò temporis deprecationis Christi fructum se sensuros intellexissent? Deniq; minimè suspendit Christus conservationem à propriâ fidelium circumspeditione, à fidei robore, à vigilijs & orationibus; quasi ideo à malo Pater eos servare debeat, quod mundum non diligant, quod prudentes sint, quod caveant sibi, quod diabolo firmi in fide resistent, quod vigilent & orent. Quæ enim omnibus hisce adversantur, mundi dilectio, imprudentia, securitas, fidei desertio, orationis intermissio, mala illa sunt, quæ Christo patrono fidelissimo à fidelibus suis clientibus efficaci intercessione erant avertenda, si salutis ipsorum consultum volebat. His enim propulsatis, non est quod mundum vel Satanam formident: his præsentibus, non est quod ullam salutis spem sibi faciant. O miseros ergo consolatores, qui afflictas conscientias ad fidei suæ robur, & non ad invictum Jehovahæ brachium revocant! qui à fortitudine nostrâ auxilium Jehovahæ provocari, & non ab auxilio Jehovahæ fortitudinem nostram derivari contendunt!

XX. Johann: 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem & alium consolatorem dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum*: Unde sic arguo.

Quibuscum consolator Spiritus Sanctus manet in æternum, ij nec
rotaher

totaliter nec finaliter à fide deficiunt. Atqui cum fidelibus consolator Spiritus Sanctus manet in æternum. Ergo.

Excipiunt Remonstrantes: I. Christum non opponere hinc æternam Spiritus Sancti mansionem discessioni illius ex cordibus eorum, in quos semel est ingressus; sed discessioni suæ futuræ: quasi dixisset, ad tempus tantum veni ad vos, ut brevi reverterer ad patrem meum: sed Spiritus Sanctus ita veniet, ut non sit moriturus, neque hinc ante mundi consummationem discessurus. Hinc verò non posse concludi, Spiritum semper manere apud eos, qui eum semel acceperunt. II. Promissionem hanc potuisse fieri speciatim Apostolis: vel toti Ecclesiæ: tum verò non sequi Spiritum apud singula manere membra, sed necessariò subaudiendam esse conditionem, si mandata ejus servaverint. III. Particulam, *Ut*, non semper denotare eventum, sed aliquando designare finem, in quem Deus vult Spiritum suum dare: videlicet non ut citò iterum abeat, sed ut in æternum maneat: quem finem, inquit, Deus aliquando non assequitur, quia homines officio suo defunt.

Resp. I. Fatemur mansionem Spiritus æternam opponi discessioni Christi: Inde verò non posse concludi, Spiritum semper manere apud eos, qui eum semel acceperunt, quo quæso argumento probabunt Remonstrantes? Pueri nòrunt, *immediate opposita in eodẽ subjecto se mutuo nò tolerare*. Si ergo Consolator Spiritus in æternũ manet apud eos, quibus semel est datus; nonnè consequens est, eum nunquam ab ijs recedere? Aut opposita forsan non sunt, in æternum eum aliquo manere, & ab aliquo discedere, hoc est, in æternum non manere? II. Promissionem hanc ad solos pertinere Apostolos, ita ut alij fideles & electi excludantur; tum demum obtinebunt Remonstrantes, ubi demonstraverint, alios fideles gratiosã Spiritus Sancti inhabitatione non egere: vel, Christum solorum Apostolorum esse Mediatorem, vel certè Christum mediatorem, ex hoc mundo discessurum non fuisse sollicitum, nisi de suis Apostolis, adeoq; alijs fidelibus defuisse. Sed videant quæso Remonstrantes, quos à Consolatoris Spiritus participatione excludat Christus, v. 17. *eos nempe, qui mundi nomine comprehenduntur, qui Spiritum veritatis non possunt accipere, qui non vident eum, nec nòrunt eum*. Anne in horum quoq; numero sunt alij, præter Apostolos, fideles? Paucis igitur rem totam conficimus.

Si ad sanctorum sortem obtinendam, ad quam omnes fideles externè

& internè vocantur, necessaria est perpetua Spiritus sancti inhabitatio: & nullis fidelibus Christus servator deest: si in omnibus per Spiritum suum operatur & velle & perficere: si omnibus perpetua hujus Spiritus inhabitatio promittitur, qui ejus sunt capaces: sequitur à promissione hâc nullum excludi fidelem. At verum prius: Ergo & posterius.

Attamen conditio, inquit, necessariò subaudienda: si mandata ejus servaverint. Resp. Mandatorum divinorum observatio effectum est hujus consolatoris, cujus perpetua mansio promittitur fidelibus. Nam si nostro Marte, sine Spiritus hujus ope mandata Dei observare possemus: Spiritu utiq; Consolatore, ejusq; perpetuâ in nobis mansionè opus non haberemus. Hic *Spiritus est sanctificationis*. Rom. I. v. 4. qui non invenit, sed efficit in nobis sanctitatem: qui *deducit nos per terram planam*, Psal. 143. v. 10. III. Deum non assequi semper finem suum, contra sapientiam & potentiam divinam est: quando & impotentis & imprudentis est sine suo excidere. Prudens enim non eum intendit finem, quem se non assecuturum novit: nec sine excidit seriò expetito, cui ad obtinendum eum satis est virium. Certè *verbum Domini, quod ex ore ejus egreditur, non obstante hominum vitio, ad Deum non revertitur vacuum, sed facit id, quod delectatur Dominus*, Jesaia 55. v. 10. Quidnî igitur & Spiritus, qui ex ore Domini egreditur, omnibus sublatis impedimentis, eum, cujus est gratiâ missus, finè, qui mansio est perpetua, assequatur? Anne forsan minoris est efficacis Spiritus Domini, quàm verbum Domini?

Excipit Meisnerus: Apud quos & cum quibus manet Spiritus Sanctus? *Nobiscum*, inquit Christus, hoc est, cum ijs, qui veri sunt discipuli, qui cognoscunt me, & quidem quatenus sunt discipuli, quatenus eum cognoscunt.

Resp: Eadem hæc glossa, quæ & Remonstrantium secunda. Ita scilicet miseri hi consolatores potissimam perseverantiæ causam in fidelibus, & non in Spiritu fidelium quærunt: quasi detur consolator Spiritus, quia perseveraturi sunt electi: & non perseverent electi, quia datur Spiritus.

XX. Rom. 8. v. 30. *Quos predestinavit eos, etiam vocavit; & quos vocavit, eos etiam justificavit, quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.* Unde sic arguo.

Qui justificantur, ij & glorificantur. At omnes verè fideles justificantur: Ergo omnes quoq; verè fideles glorificantur. Non igitur aliqui ex ijs non glorificantur, hoc est, damnantur. Propo-

Propositio Pauli est. Assumptio in confesso est.

Excipit Bertius: Verba Apostoli nihil facere ad commentitium illud decretum de singularibus quibusdam personis absolutè salvandis. Arbitrariam hæc sententiæ Paulinæ analysin instituit; ait sanctos vocari præscitos, propterea quod præsciverit & præviderit ab æterno Deus, quinam sancti & pii futuri sint. Hanc præscientiam ait esse secundum decretum de perseverantibus. Decretum illud excipere vocationem ad crucem ferendam, exemplo Christi. At ne quis fortè putet invisos esse Deo pios, quia affliguntur: testari Apostolum, eosdem per fidem jam esse justificatos & proinde gratos Deo in Christo. Vocatos juxta propositum ait esse sanctos & proposito Dei respondentes: quos enim tales præscivit fore, eosdem prædestinavit, ut conformes fierent imagini filij sui. Tandem usitatam subjicit glossam, nempe glorificatum iri eos, quos justificavit, si modo præstent.

Resp. In *analisi Bertianæ* penè nihil est sani: I. Quo sensu absolutum vocemus decretum de salvandis nonnullis, sæpius jam explicavimus. Decretum Dei fluctuans & à medijs mutabilibus suspensum ignorat Scriptura, non admittit Dei natura: immo & ratio adversatur. Nec enim media sunt causa, ut decernatur finis: sed finis animo conceptus, seu decretum de fine obtinendo, causa potius est, ut decernantur media; si captui nostro accommodare fas est sublimia & divina, quæ humilem & humanum captum excedunt. II. Præscientia futuræ Sanctitatis tanquam causæ ad eligendum vel prædestinandum impellentis, nulla fuit, nulla esse potuit, quia pugnat cum naturâ hominum corruptâ, quæ fructus proferre bonos non poterat, nisi quos per gratiam in eâ efficere Deus decreverat: pugnat cum decretorum divinorum naturâ, quæ independentia sunt, & superiorem Deo causam non habent, immo ipse Deus sunt, ut pluribus supra disseruimus: pugnat cum Scripturâ, quæ ait ad id nos esse electos, ut sancti & inculpati simus: non ideo electos, quod sancti & inculpati eramus. Hoc ex Scripturâ didicit & docuit Augustinus lib. 1. de prædest. Sanct: cap. 19. *Non quia credimus, sed ut credamus, elegit nos: ne priores eum elegisse dicamur, falsumque sit, quod ipse dicit: Non vos me elegistis sed ego elegi vos.* Quocum Lombardus olim Sent: lib. 1. dist. 41. cap. 4. sensit. *Elegit, inquit, eos, quos voluit, gratuita misericordiâ, non quia fideles futuri erant, sed ut fideles essent.* Quod verò cum prædestinationem tum vocationem ad persecutiones potissimum esse affirmat: vel sciens fallit, vel turpiter fallit.

tur. Ut enim aliàs Scriptura de prædestinatione & vocatione ad finem, hoc est, felicitatem ac gloriam primariò loquitur, sic & hoc loco. Nec sequitur, quia persecutionum & afflictionum facta est mentio: prædestinationem quoq; & vocationem ad afflictiones & persecutiones potissimum referri. Etsi enim ad media quoq; , inter quæ afflictiones, sunt prædestinatio & vocatio; tamen videtur Apostolus persecutionibus & afflictionibus hoc loco prædestinationem & vocationem quodammodo opponere, & afflictos efficacissimè solari. Nam si afflictiones ab æternâ vitâ & felicitate, ad quam prædestinati & vocati sumus, nos non excludunt, immo ad hunc ipsum finem conducunt (quia *ijs, qui ex proposito sunt vocati, omnia in bonum conferuntur*) ecurrant opere horreamus afflictiones, & infelicitatis nostræ partem arbitremur? IV. Et illud ex Arminianâ est camarinâ, quod secundum propositum vocatos interpretatur Sanctos & proposito Dei respondentes: quasi ideo electos Deus vocet, quod Sancti sint, & proposito vocantis respondeant. Vocatio est, ô Petre, quæ nos sanctificat, & Dei proposito respondere facit: non sanctitas, & responsio nostra, quæ vocationem nobis conciliat. Vocamur enim non sancti non respondentes, ut evadamus sancti & respondentes. Unde propositum vocantis Dei ita opponitur operibus nostris, ut à causis vocationis ea excludat: 2. Timoth: 1: v: 9. *Qui servavit nos & vocavit Vocatione sanctâ, non ex operibus nostris, sed ex suo proposito & gratiâ.* V. Dubitas an iustificati perstent? Non dubitavit Paulus, qui justificationem & glorificationem jungit nexu non magis solubili, quàm prædestinationem & vocationem: & nisi præstarent, falsa esset Pauli sententia, *Quos iustificavit & glorificavit.* Nec enim glorificantur, nisi qui ad finem ulque perseverant. Et dubitasset Paulus? qui tam fidenter exclamat, *Quis nos separabit à caritate Christi?* Item: *mibi persuasum est, neq; mortem neq; vitam, &c.*

Excipiunt Remonstrantes: Hominem hîc considerari ut fidelem & amanti Dei, qui jam *spe salvus est*, v. 24. Si illam usque ad finem retinet: II. Si sine præcedentiâ & passim perpetuâ fidei conditione tota hæc catena connectatur: Scopum Pauli vanum fore. Volet enim fideles, qui jam erant iustificati, monere & excitare ad tolerantiam in cruce per promissionem gloriæ. Ad hoc igitur poterant statim respondere, cur hortaris nos ad tolerantiam? nescisne nos jam esse iustificatos? & qui semel est iustificatus, cum necessariò glorificatum iri? Quo igitur exhortatio tua ad patientiam,

tiam,

tiam, si fieri non possit, ut nos vel ad impatientiam labamur: vel, si id fiat, propterea ex gloria vitæ æternæ excidamus?

Resp. I. Quidni ut fidelem & amantem Dei hominem hæc Paulus consideret? Justificatos enim glorificatum iri ait: ut justificatus nullus fidei & amoris Dei est expers. Sed, inquiunt, subaudienda conditio, si fidem usque ad finem retinet. Ad scrupulum hunc, quo afflictas conscientias torquent, jam ante respondimus. *Glorificavit*, inquit Paulus, *quos justificavit*. Eccc præterito utitur, glorificavit, cum in hac vitâ justificatorum futura demum in alterâ vitâ sit glorificatio? Nempe futurum hoc bonum tam certum esse justificatis innuit Apostolus, ac si præsentijam plenissimè fruerentur. Quanta verò, bone Deus, incertitudo esset: si, qui hodie est justificatus & jure filiorum Dei gaudet, cras ad antiquas sordes totaliter rediret, & ad castra filiorum Satanae, quos æterna manet ignominia, transfret? Siccine Paulino dicto sua constaret veritas, *Quos justificavit, hos & glorificavit*? Dicite Remonstrantes, annon justificationis finis sit glorificatio? Affirmabitis, nî fallor. Dicite, an, qui hominem justificat, Deus hoc fine suo quandoq; frustaretur? Affirmabitis? Ecquem verò Deum vobis imaginabimini? Horret animus cogitare, lingua effari, calamus exarare: Ignoscat nobis Deus Zebaoth, pro ejus gloria militamus: Nempe & *impotentem*, qui, quem seriò voluerit actionum suarum finem, assequi non potuerit: nam si potuisset, utiq; eo se frustrari passus non esset: & quovis homine *imprudentiorem*, vel certè futuri penitus nescium, qui vel actionum suarum eventum ignoraverit, quo creaturis suis exæquatur creator: vel in eo obtinendo laboraverit, quod se non obtenturum præscivit, quo infra creaturarum sortem deprimitur Creator. Tam enim imprudens nemo hominum est, ut ejus gratiâ laboret, quod laborando se non assecuturum videt. Absint, absint hæc ab omnipotente & omni scio DEO. Agnoscite ergo, qui Ecclesias & conscientias turbatis, justificationem & perseverantiam bona esse indissolubili nexu conjuncta, & ejusdem esse perseverantiam pijs præstare, cujus est impios justificare. *Sine me enim*, inquit Christus, *nihil potestis facere. DEUS est qui efficit in nobis & ut velimus & ut perficiamus pro gratuita suâ benevolentia*. II. Non igitur perpetuam fidei conditionem excludimus. Scimus enim neminem coronari, nisi qui ad finem usque perseveraverit. Sed justificationis bono includimus, ita ut perseverantiam indivisam fidei justificantis comitem agnoscamus. Nec tamen propterea exhortatio-

hortationem Pauli enervamus. Etiam si enim, qui semel est justificatus, ratione decreti divini necessario glorificabitur: à justificatione tamè ad glorificationem transitus non datur nisi per mediam in fide & crucis tolerantiam perseverantiam. *Si modo simul cum eo patimur, ut simul cum eo glorificemur.* Rom. 8. v. 17. *Si toleramus & jam cum eo regnabimus.* 2. Tim. 2. v. 12. *Per multas tribulationes oportet nos ingredi regnum Dei.* Act. 14. v. 22. Ergone ad tolerantiam Romanos adhortari Paulus non debebat? Immo debebat: Quia sine crucis tolerantiam nemo vincit, nemo coronatur. At, inquiunt, quid attinebat ad tolerantiam eos hortari, qui ad impatientiam labi non poterant. Frustra estis, ô viri Remonstrantes! Impatientiam totalis & finalis periculum, cui humana imbecillitas per se obnoxia est, exhortatio ad tolerantiam efficaciter avertit. Qui enim immutabilem homini perseverantiam decrevit, pro omnipotenti suâ sapientiam: ijs eam medijs immutabiliter procurat, quæ libertati humanæ sunt congrua & sine ullâ coactione propositum finem assequantur, cujusmodi sunt crebræ & seriæ exhortationes quæ sine suo & fructu salutari in electis nunquam destituuntur. Hæc verbi divini vis est, quam commendat ipse Deus. Jes. 55. v. 10, 11.

XXII. Rom. 8. v. 35. *Quis nos separabit à caritate Christi? Num oppressio, num angustia, num persecutio, num fames, num periculum, num gladius? & v. 37. Immo in his omnibus plusquam victores sumus, per eum, qui dilexit nos: & v. 38, & 39. Nam mihi persuasum est, neq; mortem neq; vitam, neq; angelos, neq; principatus, neq; potestates, neq; instantia neq; futura; Neq; sublimitatem, neq; profunditatem, neq; ullam rem aliam creatam posse nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro: Unde sic arguo:*

Qui nullâ omnino re possunt separari à dilectione Dei, ij nec totaliter nec finaliter possunt deficere. At electi fideles nullâ omnino re à dilectione Dei possunt separari. Ergo.

Propositio manifesta est: quia non potest esse defectio, ubi separatio ab amore Dei nulla est. Assumptionem Paulus plenâ enumeratione confirmat: idq; Logicorum more, qui, cum in inductionibus species & individua omnia enarrari plerumque non possint, ut conclusionem è præmissis inferant universalem, hæc ferè uti solent formulâ; *Nec contrarium dari potest exemplum.* Simili quoq; modo Paulus, ut concludat, nihil esse, quod possit nos à dilectione Dei separare, species primùm inducit plurimas: deinde nullum dari contrarium exemplum subjungit, illis verbis: *nec ulla*

res a-

res alia creata. Et hoc non ait se putare, sed confidenter exclamat, *Quis nos separabit à caritate Christi?* Unde & planè id sibi persuasum dicit.

Excipit Bellarminus: I. Augustinum docere lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 11. efficaciam & potentiam caritatis hinc explicari; quæ, si adsit in corde nostro, omnes tribulationes vincit: Ibidem tamen dicere Augustinum, caritatem in hac vitâ amitti posse. II. Posse responderi, Apostolum hinc loqui in personâ electorum. Ubi observandum, non improbari Bellarmino expositionem, quam Augustino tribuit lib. 3. de justificatione cap. 9. nempe Apostolum loqui de prædestinatis in genere: ut sensus sit, certum esse, omnes prædestinatos perseveraturos in caritate Dei. III. Verbo *πίπισμα* significari persuasionem & confidentiam, ad quam gignendam satis sit certitudo conjecturalis.

Resp. I. Videtur quidem Augustinus Pauli locum interpretari de caritate Dei passivâ, hoc est, quâ Deus à nobis diligitur: attamen de activâ, quâ Deus nos diligit in Christo, rectius accipitur. Salutis enim nostræ certitudinem arcessit Paulus à primâ causâ, gratuitâ nempe dilectione Dei in Christo, de quâ locutus fuerat. cap. 5. v. 8. *Commendat suam caritatem erga nos Deus, quod, cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit.* Immo & victoriæ nostræ causam refert ad caritatem Dei activam, v. 37. *In his omnibus plusquam victores sumus, per eum, qui dilexit nos.* Interim docere ibidem Augustinum, caritatem in hac vitâ amitti posse, falsum est. Contrarium potius docet verbis illis: *Si nullares ab ejus caritate nos separant, quid esse non solum melius sed etiam certius hoc bono potest?* Et, si Augustini in libro de compt: & gratiâ cap. 7. referente Bellarmino, sententiâ est, ex Pauli sensu, omnes prædestinatos perseveraturos in caritate Dei, nonne ipse sibi contradiceret, si caritatem in hac vitâ amitti posse doceret? Argumenti nostri robur non infringitur, si maximè Pauli locus de caritate Dei passivâ accipitur. II. Paulum in personâ electorum & de prædestinatis in genere loqui & ipsi affirmamus: Unde pro electorum perseverantiâ firmissimum ex hoc loco argumentum petimus. III. Ad persuasionem seu confidentiam, quam verbo *πίπισμα* significat Paulus, gignendam sufficere certitudinem conjecturalem, longè falsissimum est. Cum enim exclamando quærit: *Quis nos separabit à caritate Christi?* Non conjecturalem indigit certitudinem, sed plenam & immotam fiduciam, quæ tanta est, ut etiam, electos Dei victores jam esse, non demum futu-

De

ros,

ros, affirmet, quod sine magnæ temeritatis notâ non potuisset affirmare, si certitudine conjecturali tantum fluctuasset.

Excipit Bertius: Totum locum esse de fidelibus, quos perseverare posse confessum sit.

Resp. Non tantum posse fideles perseverare, sed & à dilectione Dei separari non posse, hic Pauli locus evidenter demonstrat. At verò inquit Bertius, nemo invitos & vigilantes potest separare à caritate Dei. Quid si verò in separationem quis consentiat? si vigilare desinat? Summa huc redit: Invitum quidem nemo potest à caritate Dei separare. at tamen sponte quis ab eâ potest recedere. *Resp.* Pauli verba inspiciantur, & hi fluctus facile componentur. *Nulla,* inquit Paulus, *creatura nos potest separare à dilectione DEI.* Si nulla creatura: ergo nec ipsi à caritate Dei separare nos possumus: Aut creaturæ non erimus. *Non separat nos,* inquit Augustinus, lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 12. *alia creatura, siquidem & nos ipsi creatura sumus, à caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Non loquitur igitur Paulus de separatione tantum violentâ & coactâ, quam impossibilem esse etiam ratio assequitur, quæ voluntatem cogi non posse novit: sed eâ inprimis, quæ fit cum voluntatis consensu. Peccata, inquit à Paulo non excipiuntur, nec enim sunt res creatæ. *Resp.* Res quidem à DEO creatæ non sunt: at tamen nomine creaturæ comprehenduntur. Sunt enim creaturæ quædam peccatrices, quæ si per peccatum à Deo nos separarent, utiq; creatura nos separasse rectè dici posset. Peccata igitur quod attinet, usq; eò habenas ijs Deus non laxat, ut à caritate Dei nos penitus abstrahant. Hæc enim ipsa Dei caritas, cui Christi lytron debemus, in peccatis nos perire, & à Deo penitus abalienari non patitur. Observentur & illa verba: *nec præsentia nec futura.* Nonne verò referri huc & peccata possunt, quæ & præsentia & futura sunt? Serupulum hunc de peccato eximit Augustinus lib. de corrupt: & gratiâ cap. 7. *Horum si quispiam perit, vitio humano vincitur DEUS. Sed nemo eorum perit, quia nullâ re vincitur DEUS.*

Excipit Eckardus: Quando aliquis vel caritate Dei vel spe suâ excidit; non illud ob ullam fit incertitudinem ex parte Dei, sed inconstantiam ex parte hominis.

Resp. Supponit id Eckardus fieri, quod Paulus fieri posse negat discretis verbis. Interim noverit Eckardus, à certitudine salutis nostræ ex parte
Dei

Dei pendere quoq; cōstantiam ac perseverantiam ex parte hominis. Quos enim ad finem prædestinavit, iisdem & media procurat pro sapientiâ suâ omnipotenti infallibilia.

XXIII: Rom: II: v: 29. *Dona & vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα, hoc est, ejusmodi, ut eorum ipsum pœnitere non possit.* Unde sic arguo:

Si Deum donorum suorum gratuitorum non potest pœnitere, utiq; fidelibus gratiam, quâ perseverent, nunquam adimit. At verum prius teste Apostolo: Ergo & posterius.

Excipiunt Remonstrantes I. Hic non disputari an DEUM pœniteat donorum suorum: sed an fideles fidei suæ pœnitere non possit, annon possint à fide desciscere? II. Cum dicitur, *Deum suorum donorum non pœnitet*, subaudiendam esse hanc conditionem, nisi homo illis donis abutatur. Alioquin enim testari Scripturam quod *pœnituerit eum hominis à se creati*. Gen. 6. *Saulis in regem constituti*. 1. Samuel. 15. *malorum, quæ cogitârat facere, quando peccatorum nos pœnitet*. Jerem. 26. III. Locum hunc non facere ad rem. Quia non agitur hic 1. de immutabili decreto æternæ electionis, sed de Judæorum restauratione: 2. nec de donis fidei & perseverantiæ, sed de gratioso libero Dei proposito vocandis & appellandis, quod volebat exequi, quia Deus semel fœdus suum pepigerat cum Judæis, cum promitteret, *Se velle Abrahami Deum esse & seminis ejus post eum*, & se propter illam promissionem nunquam vocationis & gratiosæ adoptionis populi ejus usq; adeo pœnitundine ductum iri: quin tandem iterum fœderis sui gratiosi sit recordaturus; & Judæos denuò, plenitudinæ gentium ingressâ vocaturus.

Resp. I. Utrumq; hoc Pauli dicto insinuatur: nempe, nec Deum suorum donorum pœnitere, nec fideles donorum divinorum pœnitere. Cum enim ex Dei dono fiat, ut fideles donorum divinorum non pœniteat, hoc est, ut Dei dona conservent: utiq; donorum divinorum, ipsos nunquam pœnitet. Ratio est: Si unquam donorum divinorum fideles pœniteret: utiq; dono DEI, quo donorum divinorum electos non pœnitet, essent destituti: hoc si essent destituti, postquam semel acceperant, utiq; Deum ejus dati pœnituisset, qui rursus id abstulisset. At, inquis, non abstulit Deus; sed ipsi poterant abjecisse. Resp. Qui poterant aut voluerant abjecisse, si conservandi animum ac voluntatem Deus ijs dederat? Anne contra voluntatem inviti abjecissent? II. Decretorum divinorum

certitudo non pendet à conditionibus ex parte hominum mutabilibus; Hæ enim decretis divinis sunt subordinatæ, non præordinatæ. Quæ igitur ab æterno decrevit Deus facere, eorum conditiones, sine quibus non fiunt, infallibiliter quoq; decrevit efficere vel permittere. Exempla ergo earum rerum, quarum poenituisse Deum Scriptura dicit, inter dona Dei ἀμεταμέλητα non sunt referenda. Ideoq; scopo nostro non adversantur, modò rectè & ex Scripturæ sensu accipiantur: *Pœnitudo DEI*, inquit Eucherius, *est mutandarum rerum immutabilis ratio*. χαρίσματα igitur Dei cum sint ἀμεταμέλητα, hoc est, impœnitibilia, intelliguntur quoq; esse immutabilia, quæ cum operibus Dei mutabilibus confundenda non sunt. Hugo in annotationibus in Genesin locum allegatum ita interpretatur: *Pœnituit eum scilicet mutando, quod videbatur incepisse in Paradiso, ubi dixerat hominibus, crescite & multiplicamini, & replete terram*. Glossa interlinearis: *Videtur Deum poenitere dum opus mutat, voluntate tamen & dispositione immobili permanente*. De poenitudine Dei circa Saulem & Ninivitas in respons. ad quæst. 36. ita loquitur Justinus Martyr: *Quod dixit de unctiōne Saulis poenituit me, ostendit ejus immutabilitatem in non ignoscendo. Quod verò de Ninivæ excidio eum poenituit, ostendit ejus immutabilitatem in ignoscendo*. III. Locus noster omnino ad rem facit: nec obstant rationes Remonstrantium. Etsi enim decreti electionis expressa non fit mentio in verbis, quæ allegavimus: charismatum tamen, hoc est, donorum Dei, quæ electorum propria sunt, & in specie quidem vocationis internæ fit mentio, quæ fluunt ex æternæ electionis decreto: de hisce verò charismatibus, inter quæ & fides instituta nobis quæstio est. Promittitur igitur Judæis instauratio, sed spiritualis, quæ in æternæ electionis decreto immutabiliter fundata patribus fuit promissa & semini ipsorum, adeoq; necessariò implenda, quia decreta & dona Dei sunt ἀμεταμέλητα. Sic enim ratio generalis objecto speciali applicatur. Deinde de fidei dono Paulum non agere falsum est: agit enim de vocatione internâ (externa enim non est ἀμεταμέλητα, secundum illud: *multi vocati, pauci electi*) quæ sine fide nunquam est. Sic igitur nec perseverantia excluditur, quæ & ipsa ex electionis decreto fluit, & charisma electorum proprium est: immo voce, ἀμεταμέλητα, expressè ponitur & confirmatur. Deinde si gratiosum vocandi & appellandi propositum, quod intelligi contendunt, est ἀμεταμέλητον.

ἀέλητον adeo ut nullā ejus pœnitudine DEUS ducatur, sed constantissimè id exequatur; nonne & fidei conservandæ & perseverantiæ donandæ propositum æternæ electionis decreto subordinatū similiter erit ἀμεταμέλητον, quod perseverantiæ donum tandem infallibiliter sequatur? Aut forte DEUS fœderis sui gratiosus cum Judæis immorigeris olim initi recordatus, gentilium, quos ex proposito suo vocavit & donis salutaribus instruxit, obliviscetur? Nonne promissiones Abrahamo & semini ejus naturali factæ, filios quoq; ejus spirituales concernunt?

Excipit Meisnerus. I. DEUS donis suis semel concessis non privat nos, verum ipsi per peccata privamus nos ipsos. II, sunt dona DEI ἀμεταμέλητα, sed non absoluta: sicut per verbum dat, ita per verbum conservat; & sicut per fidem accipiuntur, ita per incredulitatem perduntur. III. Sunt ἀμεταμέλητα per se & ex parte DEI: fiunt pœnitentia digna per accidens, ex parte nostri, qui malitiosè illa contemnimus.

Resp. I. Præsente divinâ gratiâ voluntates efficaciter mœvente, quam fidelibus nunquam penitus subtrahit DEUS donis semel concessis privare se nequeunt fideles, quia nolunt: ut nolint, Dei facit gratia, quæ dat & velle & perficere. Non ita igitur in hoc negotio opponuntur Dei privatio & nostra privatio; quin DEUS possit dici donis nos suis privare, si ipsi nos ipsos privemus: Privare enim nos ipsos diceremur, si ad privandum nos ipsos Deum impelleremus: ita ut rectè dici posset, si Dei donis privaremur, à nobis & à DEO nos esse privatos; à nobis ut reis, à DEO ut Judice. Hoc verò effugium efficaciter elidit vox ἀμεταμέλητα, quâ, vel Meisnero fâctente, innuitur gratiosus donis à DEO nos non privari. Unde nec à nobis nos ipsos privari consequens est: quando nostra & DEI privatio separari nequeunt. II. Quo minus Dei dona sint absolutè ἀμεταμέλητα, non obstant media, quibus in nobis conservantur. Sunt enim ea huic ἀμεταμέλεια subordinata. Primum igitur, si ea in nobis DEUS conservat per verbum, utiq; elabi ea non patitur. Si enim elaberentur, utiq; per verbum non conservaret: falsum ut sit, quod subjungit Meisnerus, per infidelitatem ea à nobis perdi. Deinde non solum est verbum, quo dona sua in nobis conservat DEUS, sed primaria conservationis hujus causa est Spiritus Sanctus, qui per verbum in electis est efficax, qui voluntates nostras ad obsequium flectit, qui damnosam à nobis securitatem avertit, qui fidei scin-

tillam, quantumvis minimam conservat & suscitatur, qui exorbitantes in viam revocat, & penitus aberrare non patitur. Huic perseverantiam primario acceptam ferimus. Deniq; & hoc minus accuratè dicitur, dona, quæ ἀμεταμέλητα hîc dicuntur, per fidem accipi. Etsi enim falsum id penitus non est, universaliter tamen verum non est. Fides enim, quæ donum DEI est ἀμεταμέλητον, certè per fidem non accipitur, sed infidelibus primum datur: nisi ante datam fidem in nobis fidem esse contendas, & impium justificari, affirmante Paulo, neges. III. Si dona spiritualia & gratiosa electis concessa, ita tantum ex parte Dei sunt ἀμεταμέλητα, ut nihilominus ex parte nostri poenitentia fiant digna per accidens, & tandem penitus amittantur; sequitur donis gratiosis & spiritualibus præ corporalibus, quæ fidelibus & infidelibus sunt communia, nullam hîc tribui prærogativam; nam & illa hoc sensu ἀμεταμέλητα dici possunt. Nec enim corporalia bona hominibus adimit Deus poenitudine ductus, nisi peccatis & ingratitude ipsorum sic promerente. Ecquid verò hinc ad abjectos Judæos solatij potuisset redundare; si scivissent, promissionem patribus factam, de semine Abrahami æternum beando, non minus esse mutabilem, quam alia quævis corporalia bona Judæis olim concessa & adempta? Deinde non quæritur hîc, an dona Dei gratiosa & electorum propria poenitentia fiant digna. Hoc enim nostrum nemo negat. Nam & renati ea committunt peccata, quæ in se æternam mortem sunt digna: Sed an Deus eorum ducatur poenitudine. Hoc non illud in textu negari contendimus. Deniq; si adeo enormiter peccarent fideles, ut donorum suorum DEUM actu poeniteret; hoc est, ut ea mutaret & penitus auferret (poenitentia enim DEI nihil est, nihil mutandarum rerum immutabilis ratio) ἀμεταμέλητα à Paulo falsò dicerentur. Nec est, quod excipias à Deo non mutari & auferri; sed ab hominibus saltem contemni, negligi, abjici. Inane hoc effugium esse, supra monstravimus. Corporalia dona hominum vitio neglecta & amissa à DEO nihilominus auferri dicuntur, quidnî igitur & spiritualia gratiosa, si ab hominibus penitus negligenter & admitterentur. Unde hanc donorum ablationem sedulis precibus pij avertunt: Spiritum tuum Sanctum, inquit David, ne auferras à me.

XXIV. I. Cor. I. v. 6, 7, 8, 9. Testimonium Christi confirmatum fuit in vobis; adeo ut nullo dono deficiamini expectantes, dum reveletur Dominus noster Je-

ster Je-

Per Jesum Christum. Qui DEUS etiam confirmabit vos usq; ad finem inculpato in diem Domini nostri Jesu Christi: Fidelis Deus, per quem vocati estis in communionem Filij ipsius Jesu Christi Domini nostri. Unde sic arguo:

Qui nullo dono ad salutem necessario destituuntur, quiq; à Deo confirmantur ad finem inculpati usq; in diem Domini nostri Jesu Christi: ij à fide nec totaliter nec finaliter deficiunt. Atqui fideles Corinthij, & sic omnes alij, fideles, (sunt enim hæc nobis scripta ad *παιδείαν*), nullo dono ad salutem necessario destituuntur, & ad finem usq; in diem Domini nostri Jesu Christi servantur inculpati: quæ Pauli est assertio. Ergo.

Excipit Bertius: Verbis hæc non posse concludi nisi possibilitatem perseverandi: sed qui potest perstare, potest etiam deficere. Deus nobis non deest.

Resp. Defectionis plenariæ & finalis impossibilitatem ex Paulo rectissime colligimus à causis actualibus eam infallibiliter impredientibus, quæ in textu exprimuntur. Primum enim, qui nullo dono ad salutem necessario sunt destituti: ij certè non possunt deficere. Atqui fideles nullo dono ad salutem necessario sunt destituti. Deficere enim nemo potest, nisi in quo deficiendi voluntas est. Ubi igitur perseverandi voluntas est, ibi defectio esse non potest. At in omnibus fidelibus perseverandi voluntas est: aliàs certè omni dono ad salutem necessario non essent instructi. Deinde qui conservantur inculpati ad finem in diem Domini nostri Jesu Christi: ij non possunt deficere, multò minus actu deficiunt. aliter enim non conservarentur ad finem. At fideles ad finem usq; inculpati conservantur. Deniq; fiducia nostra erigitur & firmatur Dei fidelitate, quæ veracitas in promissis & constantia in donis significatur, hoc modo:

Qui fidelissimus est, is semel ad Filij sui communionem vocatos ad finem conservat. At Deus est fidelissimus. Ergo.

Qui sanctorum Apostasiæ patrocinantur, propositionem Syllogismi negabunt vel distinguunt. Si simpliciter negant, cum Paulo eos committimus, qui præcedens effatum suum hæc ratione probat. Si distinguunt conservari fideles, modo ipsi velint conservari: aut nesciunt, aut scire nolunt: Velle nostrum à Deo esse, & constantem in bono voluntatem ipsissimam divinæ conservationis rationem esse.

Falsum deniq; est quod ait Bertius, deficere etiam posse, qui stare possunt; aut certè non nisi de ijs verum, qui stare possunt sibi permitti,

& à

& à Deo ad finem usq; non conservari. Deus, inquit, vobis non deest. Verissime hoc dicis, Berti. Si nulli fidelium deest, perpetuo igitur in bono eorum conservat voluntates, & ad exitum præcipites fieri non patitur.

Excipiunt Remonstrantes: I. Locum hunc nihil aliud docere, quam non statutum, per Dei fidelitatem, quo minus fideles inculpati confirmantur. II. Idem iisdem penè verbis promitti Coloss. 1. v. 22. adjectâ discretè conditione: *Siquidem permanetis in fide fundati & stabiles.* III. Verba ita legi posse, *Qui vos ad finem usq; inculpatos* (supple existentes & viventes) *confirmabit* &c. hoc est, *qui vos confirmabit ut stetis coram Filio hominis.* IV. Si hoc sibi voluisset Apostolus, fieri non posse, ut à fide desciscant: inanes fuissent omnes exhortationes, præmonitiones, supplicationes, rogationes, & Dei gratiam frustra recepissent. V. Deum esse fidelem, & attamen derelinquere eos, qui eum derelinquunt, & ipsi infidi sunt: 2. Tim. 2. v. 12, 13.

Resp. I. Ad sanctorum perseverentiam demonstrandam sufficiat Dei fidelitas, hoc est, veracitas in promissis & immutabilis constantia in donis. Nam si hominis voluntatem in bono constanter retinet & conservat, utiq; ad Satanam eam inclinare non patitur. Nec verò illa sunt sicco pede prætereunda, 1. *ut nullo dono deficiamini*: 2. *inculpatos vos usq; ad finem conservabit*: de quibus supra. II. Conditio à Paulo expressa finem Christi non suspendit à perseverantiâ Colossensium: sed eum in finem additur, ut neminem mortis Christi participem fore, nisi per fidem, neminem sine fide sanctificatum & in conspectum Dei admissum iri intelligant. Ipsa verò conditio hæc seu medium ad finem non à nobis expectatur, sed à Deo donatur. Esse enim perseverantiam Dei donum, ne Remonstrantes quidem negant. Efficit igitur Deus in nobis conditionem, sub quâ promittit felicitatem. Eodem modo locum hunc eludit Stapletonus; confirmabit vos, inquit, nempe donec vos ipsi non excideritis. Fidelis est Deus, nempe donec nos fideles manemus, & à Deo deseri non meremur. Respondet ipsi Dominus Paræus. *Atqui hoc modo perseverantia & salus non in fidelitate DEI, sed in constantiâ nostrâ sita foret, & frustra ad illam provocaret Paulus. Nec Dei confirmatione opus esset, siquidem à nostrâ constantiâ penderet consolatio.* Si igitur Deus confirmat nos, faciet utiq; ne excidamus, ne fidem abjiciamus, & ne quidem velimus abjicere. III. Supplemento, quod textui infarciunt, & glossâ quam addunt, minime opus est. Sunt e-

nima

sim satis plana Pauli verba : et si nec sensus iste argumenti nostri robur e-
nervat. IV. Adhortationes & præmonitiones, quâ ratione cum necessari-
â sanctorum perseverantiâ consistent, hæcenus sæpe explicavimus. Actum
igitur non agemus. V. Fidelitas Dei erga eos prædicatur, quos internè in
filij sui communicationem vocavit, quos in filios adoptavit; hos nun-
quam derelinquit. Infideles igitur, quibus æternam felicitatem non pro-
miserit, si derelinquit, infidelitatis nullo accusari jure potest. Si dicant Pau-
lum de fidelibus loqui: *si abnegamus, & ille abnegabit nos*. Respondemus
sententiam Pauli esse conditionalem, quâ non negat possibilitatem abne-
gationis, sed innuit necessitatem confessionis, quæ DEi donum est
ἀμεταμέλητον, in quo ad finem usq; nos conservat.

Excipiunt alij : Verbis Apostoli votum tantum exprimi, non assertio-
nem simplicem.

Resp. I. Non inquit Paulus, voveo vobis confirmationem : sed simpli-
citer, confirmabit vos : non igitur loquitur de re dubiâ, sed certâ : II. Si
maximè sit votum, assertivum tamen est, & spiritu Apostolico ac prophe-
tico prolatum, quo rem ijs vovet & pollicetur, quam certò ipsis obventu-
ram novit. Unde non ait : confirmet vos Deus, sed confirmabit, quia ve-
rax est in promissis, & constans in donis, quibus sufficienter Corinthios
instruxerat.

XXV. 1. Cor. 10. v. 13. *Fidelis est DEUS, qui non sinet vos tentari supra id
quod potestis, sed præstabit unâ cum tentatione etiam evasionem, ut possitis
sufferre*. Unde sic arguo :

Qui non sinet tentari fideles supra id, quod possunt, sed præstat unâ
cum tentatione evasionem, ut possint sufferre, is etiam non sinet eos fidem
totaliter & finaliter abjicere. At Deus non sinet tentari fideles supra id
quod possunt, sed præstat unâ cum tentatione evasionem, ut possint suf-
ferre. Ergo.

Propositionis ratio est : quia ijs, qui peccatorum subacti tentatio-
ne fidem penitus abjiciunt, non præstatur cum tentatione evasio, ut pos-
sint sufferre.

Excipiunt Remonstrantes : I. Non concludi hinc, nisi renatos abundè
virium habere, ut pugnent adversus Satanam, & victoriâ potiantur. II.
promissionem de eventu ex tentatione non alijs promitti, quàm qui sibi

E e

sedulo

sedulo cavent, ne cadant, ut præcedens testatur exhortatio: aliàs inquiunt, si conservatione irresistibili Corinthios Deus conservare voluisset, & conservasset, cum conservatione illâ non congrueret prægressa exhortatio: *Qui videtur sibi stare, caveat ne cadat.*

Resp. I. Sirenati fat virium habent, quibus pugnent adversus Satanam, & victoriâ potiantur, sequitur per Dei gratiam voluntatem resistendi peccato & Satanæ ijs nunquam deesse: inter vires enim fidelibus ad hanc victoriâ obtinendam necessarias hæc princeps est; quam scriptura quoq; promittit: *DEUS est, qui pro benevolentia sua gratuita efficit in nobis, & ut velimus & ut efficiamus.* Phil. 2. v. 13. Hac igitur virtute præsentem non possunt deficere fideles, qui ex Dei voluntate nolunt deficere; Invitos autem non deficere, ipsi fatentur Remonstrantes. II. Ad evasionem ex tentatione cautionem requiri non negamus: ex illâ vero cautione evasionis incertitudinem rectè colligi negamus: Imo potius certitudinem evincimus. Renati enim, quia per Dei gratiam cavent totaliter & finaliter cadere, non cadunt totaliter & finaliter. Ipsa hæc cautio efficacissimum est medium, quo lapsus præcaveretur.

Adhortatio verò Apostolica ad cautionem, accedente Spiritus Sancti internâ operatione itidem efficacissimum est medium, ad excitandam eam in animis fidelium. Absit ergo, ut adhortatio Apostolica quicquam sententiæ nostræ præjudicet. Interim notandum, non dici à Paulo, *Qui stat, videat ne cadat*: sed *qui videtur sibi stare, videat ne cadat*: quo non humiles notantur, qui imbecillitatis suæ sibi conscij non à se sed à Deo perseverantiæ donum expectant, sed superbi & carnaliter securi, de quorum perseverantiâ sermo nobis non est.

XXVI. 1. Cor. 13. v. 8. *Charitas nunquam excidit.* Unde sic arguo:

Si charitas nunquam excidit, nec fides in hac vitâ excidit. At verum prius. Ergo & posterius.

Connexio ratio est: quia charitas in hac vitâ nunquam est sine fide: fons enim charitatis est fides.

Excipit Bellarminus: I. Charitas nunquam excidit, quia non frangitur laboribus, sed omnia tolerat, quam expositionem Chrysostomo tribuit. II. Charitas ex se nunquam excidit, sed nos ab illâ interdum excidimus. Itaq; inquit, nullum esse qui charitatem amittat, Apostolus non significat, sed ostendit non repugnare charitati, ut semper vigeat, sicut id spei & fidei repugnat.

Resp.

Resp. I. Accipimus Bellarmini exceptionem primam & inde sententiam nostram firmamus: id enim ipsum volumus, charitatem nullis frangi laboribus, omnia tolerare, nunquam impatientia vinci. Quærit Chrysostomus, quid sit *ἐκ ἐκπεπλη*? Respondet *ἐκ διακόπτεται*, non intercitur, hoc est, non interrumpitur, caritas ejus nunquam penitus intercitur: *ἐκ διαλύεται γὰρ φέρειν*: ferendo, tolerando non enervatur, ita ut penitus tandem succumbat. *καὶ ὅγιον γένηται*: quicquid tandem accidat.

Commendatur igitur charitatis robur inexpugnabile contra quoscunq; hostes. II. Altera Bellarmini exceptio inepta est: charitas enim cum in se non sit, ex se non potest excidere: sed ex amante, in quo est, excidere dicitur. Cum igitur Apostolus negat charitatem unquam excidere, ab amante eam significat inseparabilem esse: sic nulla virtus excidere dicitur, nisi ratione subjecti, in quo esse desinit, & quæ excidere dicitur, separabilis esse intelligitur: quæ excidere negatur, inseparabilis esse significatur. Etsi verò Apostolus charitatem spei & fidei in eo præfert, quod in alterâ quoq; vitâ charitas sit duratura, fides autem & spes non item: illa tamen Bellarmini glossa pro genuinâ & plenâ textus interpretatione admitti nequit, non repugnare charitati, ut semper vigeat. Cum enim nunquam charitatem excidere Apostolus affirmet, nec in hac nec in alterâ vitâ excidere indigitat, siquidem contradicunt nunquam excidere & aliquando excidere.

Excipit Meisnerus: Manifesta, inquit, hæc est depravatio textus Paulini: cujus sensus, quod charitas non sit cessatura in alterâ vitâ. Nihil autem hic agitur de perpetuâ nec interruptâ charitatis duratione in renato mortaliter peccante.

Resp. Bona verba Meisnere! Siccine verò & Chrysostomus textum depravasse tibi videtur, qui sententiam hanc coronidem ait esse superiorum, quod charites nunquam excidat, hoc est, in nullo horum effectuum deficiat, sed omnia sedulo præstet. Imò verò nec in hac nec in alterâ vitâ cessaturam sequitur, si nunquam cessat. In hac si cesset vitâ, fallum erit eam nunquam excidere. Quod si enim prophetijs & linguis, etiamsi in hac vitâ nunquam sunt cessaturæ, prærogativa illa charitatis tribui nequit, quo quæso juræ charitas eam sibi vendicabit, si non minus in hac cesset vitâ, quàm prophetiæ & linguæ, in alterâ sunt cessaturæ? Inspice

quæso præcedentiæ charitatis encomia. *Charitas*, inquit Apostolus, *non gaudet iniustitiâ, gratulatur autem veritati.* Ab iniustitiâ igitur fideles avocat, & in studio justitiæ retinet, à falsitate retrahit, & fidem fovet, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Nunquam igitur ullis peccatorum assultibus, tentationibus, se expugnari patitur, ad desperationem delabi hominem non sinit. Quod certè perpetuæ & non interruptæ durationis argumentum est evidentissimum. Et si igitur renatorum peccatis quandoq; læditur; citò tamen se recolligit, & contra peccatum vires instauro, tandemq; victoriam obtinet, ope sancti Spiritus, qui in cordibus electorum eam excitat & conservat.

XXVII. Ephes. I. v. 13, 14. *In quo etiam, postquam credidistis, obsignati estis spiritu illo promissionis sancti: Qui est arrhabo hæreditatis nostræ, dum in libertatem vindicemur, ad laudem gloriæ ipsius.* Unde sic arguo:

Qui obsignati sunt Spiritu Sancto arrhabone hæreditatis coelestis, dum in libertatem vindicentur: ijà fide nunquam totaliter aut finaliter deficiunt. Atqui fideles obsignati sunt Spiritu Sancto arrhabone hæreditatis coelestis, dum in libertatem vindicentur. Ergo.

Propositionis ratio manifesta est: contradicunt enim Spiritu Sancto, usq; ad vindicationem in libertatem plenam obsignatum esse: & à fide totaliter aut finaliter deficere: quando obsignatio illa gratiosa Spiritus Sancti non est sine fide, imò *DEUS habitat per fidem in cordibus nostris.*

Excipiunt Remonstrantes I. Syllogismi nostri majorem non esse certam nisi accipiatur de immutabili obsignatione fidelium in fide: sed tum negari minorem, quæ ex allegato loco probari non possit, qui de immutabilitate obsignationis non agit. II. Si obsignatio hæc quadret in fidem, subaudiendam necessariò esse conditionem, si fideles officium suum faciunt.

Resp. I. De perpetuâ, & sic consequenter, ex Dei voluntate immutabili obsignatione fidelium in fide Paulum agere, ex textu manifestum est. Si enim Spiritus, quo obsignati sunt fideles, est arrhabo hæreditatis, dum in libertatem vindicentur: utiq; perpetua promittitur obsignatio, quæ ante vindicationem in libertatem non cessat: aut si cessat, non est arrhabo hæreditatis, dum in libertatem vindicentur. Unum è Pauli dicto, alterum è Remonstrantium assertione sequitur. II. Obsignatio Spiritus Sancti ad vindicationem in libertatem plenam ac perfectam, ecquid aliud est, nisi perpetua fidei & aliorum donorum spiritualium conservatio? Quod si
ergo

ergo obfignati fumus ad vindicationem in libertatem, de perfeverantiâ utiq; in fide certi fumus. Nec suspendēda igitur obfignatio à fide, sed ex obfignatione deducenda fides & perfeverantia in fide. Contrarium *παράδοξως* & *ἀλόπως* affirmant Remonftrantes. His enim Doctoribus non Spiritus Sanctus fidelibus ille *παρασάτης* & arrhabo hæreditatis noſtræ eſt cauſa perfeverantiæ noſtræ in fide, ſed perfeverantia noſtra in fide eſt cauſa præſentiæ gratioſæ *παρασάτης* Spiritus Sancti, & obfignationis *ἀρραβῶνος*. Plus igitur ſibi debet homo, quàm Spiritui Sancto, ſi vera eſt Remonſtrantium aſſertio.

Excipit Bertius: I. Agnoſcimus verba Apoſtoli iſſq; credimus: ſed Spiritum ſcimus poſſe contriſtari, excuti, extingui: quod cum fit, perijt cum vitâ æternâ ipſe quoq; vitæ arrhabo. II. Ex cap. 4. ejuſdem Epistolæ v. 30. qui ſic habet, *ne triftitiâ afficiatis Spiritum illum Sanctum*, & ſic colligitur:

Qui poteſt contriſtari per voluntaria peccata eorum qui ſemel crediderunt, is poteſt etiam fugari. Sed Spiritus Sanctus poteſt contriſtari. Ergo poteſt quoq; fugari.

Ref. I. Si verba Apoſtoli agnoſceretis, & iſ rectè intellectis crederetis, utiq; à fidelibus quocunq; reſpectu Spiritum excuti, extingui, & cum vitâ æternâ perire (quæ dura ſunt verba) non crederetis. Quos enim obfignat Spiritus Sanctus, dum vindicentur in libertatem: in iſ certè nunquam extinguitur; nunquam excutitur: contradicunt enim extingui, excuti: & obfignare *εις ἀπολυτρωτικῆς περιποιήσεως*. II. Syllogiſmi Bertiani propoſitio, quia imparia tanquam paria jungit, claudicat. Triftitiâ affici & penitus fugari ejuſdem rationis non ſunt: prius confirmat Scriptura exemplis, ut caveamus; poſterius à Deo præcaveri, ne fiat, eadem teſtatur Scriptura pluribus locis, ut ſolatium inde hauriamus. E locis illis & præſens eſt, de quo agimus. Illuſtre numero XX. ex Joh. 14. v. 16. produxi-
mus. Ego rogabo patrem & alium conſolatorem dabo vobis, ut maneat vobiscum in æternum.

XXVIII. Phil. i. v. 6. *Perſuafum habens hoc ipſum, fore ut qui cœpit in vobis bonum opus, perficiat uſq; ad diem Feſtæ Chriſti.* Unde ſic arguo:

Si qui cœpit in fidelibus bonum opus, idem & perficit uſq; ad diem Jeſu Chriſti: ſequitur, fideles nunquam totaliter vel finaliter à bono opere deficere. At verum prius, teſte Apoſtolo. Ergo & poſterius.

Excipiunt Remonstrantes : I. Non esse quod de fidelitate Dei dubitetur, nam per ipsius gratiam non stare : sed hoc non facere ad rem. II. Hanc persuasionem habere Apostolum secundum legem charitatis & iudicium æquitatis, quod collegerat ex consideratione communionis illorum in fide & perseverantiâ illius usq; in illum diem Pauli. III. Non habuisse Apostolum hanc persuasionem, nisi conditionaliter, si sibi in progressu non sint defuturi : aliàs frustraneam fore exhortationem v. 27. *ut convenit Evangelio Christi vos gerite*. Et cap. 2. v. 17. *cum timore & tremore salutem vestram conficite*.

Resp. I. Quidni fidelitas Dei ad perseverantiam sanctorum faciat? & quid potius? Si enim tam est fidelis Deus, ut opus, quod in nobis cœpit, bonum, perficiat : ecquis de perseverantiâ sanctorum dubitet, nisi qui suspectam habeat Dei fidelitatem? Noverint autem Remonstrantes, non tantum per Dei gratiam non stare, quò minus perseverent sancti (hoc enim modo DEUS sanctorum perseverantiam saltem non impediret) sed per eam quoq; efficacissimè perseverantiam procurari nempe non permittendo saltem, ut perseverent in bono sancti, sed & bonum quo cœpit fidelissimè perficiendo. Si ergo perficit in nobis bonum opus, eccur fidem cæptam conservari negatis? II. Non ex lege tantum charitatis Apostolus hanc habebat persuasionem, sed ex spiritu quoq; Apostolico, quo exclamaverat Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi?* qui dixerat ibidem : *persuasum mihi est, neq; mortem neq; vitam &c. neq; ullam rem aliam creatam posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu* : qui dixerat, *donum & vocationem Dei esse ἀμεταμέλητα* : qui dixerat, *fideles obsignari spiritu promissionis, dum in libertatem vindicentur* : Alia Pauli persuasio si non fuisset, quàm quæ est secundum legem charitatis, non Apostolo magis, quàm ulli alij fidei credidissent Philippenses, ut cum ipsis nos quoq; crederemus. III. Apostoli persuasio non fundata erat in conditione à Philippensibus præstandâ, sed in Dei erga Philippenses benevolentia; à quâ dum cæptum opus bonum perfectum iri dicit, progressum Philippensium in bono ad Deum expressè refert. Nam si Deus cæptum in Philippensibus opus bonum erat perfecturus, utiq; progressuum illorum autor fidelis & misericors erat futurus. Hinc Apostoli sententiæ non obstat exhortatio, quàm allegant, ut sæpius monstravimus.

XXIX. 1. Theſ. 5. v. 23, 24. *DEUS pacis autor sanctificet vos totos : & integer*

integer vester spiritus & anima, & corpus inculpate in adventum Domini nostri Jesu Christi serventur. Fidelis est, qui vocavit vos, qui etiam id efficit. Unde sic arguo:

Quos Deus sanctificabit totos, quorumq; spiritum animam & corpus integrum servabit usq; ad adventum Domini nostri Jesu Christi, nec totaliter, nec finaliter à fide possunt deficere. Atqui fideles DEUS sanctificabit totos, eorumq; spiritum, animum & corpus integrum servabit usq; ad adventum Domini nostri Jesu Christi.

Assumptionem approbat à fidelitate DEI.

Excipit Bertius: Ex voto non posse concludi nisi possibilitatem agendi; DEUM quidem esse fidelem, ut faciat, quod promisit: sed nostrum quoq; esse fidem præstare.

Resp. I. Non nudum heic Pauli votum est, sed plena asseveratio subjungitur: *fidelis est, qui vocavit vos, qui etiam id efficit.* Quæ apostolici spiritus sunt verba assertiva, quæq; è Dei fidelitate probat. Nostrum quoq; esse fidem præstare, non negamus: attamen non nostram divinæ fidelitatis, sed divinam fidelitatem nostræ fidelitatis causam cum scripturâ constituimus. Qui primam causam à secundis suspendunt, iniqui sunt divinæ majestatis aestimatores.

Excipiunt Remonstrantes: I. Ex voto Apostolico nihil posse pro nobis concludi: sed contrarium hinc sequi, nempe quia Apostolus hoc optat & ardentem orat, potuisse id non fieri: alias votum Apostoli fore frustraneum. II. Si tam efficax conservatio hinc inferretur, omne robur præcedentium exhortationum præcidi. III. Si contrarium fieri non posset, Apostolum alibi non exhortatum fideles ut id faciant, quod hoc loco Deum facturum ait. At consequens est falsum, ut patet i. Timoth. 6. v. 13. & 2. Pet. 3. v. 14. Ergo. IV. Si exacte urgeantur verba, secuturum conservari fideles ab omnibus peccatis integrè. Sic enim habet votum. At contrarium docet experientia.

Resp. I. De voto jam modo respondimus: Contrarium autem ex voto & prece Pauli dici posse negamus: Quia DEUS ea etiam quæ facere immutabiliter decrevit, à se vult peti, ut autor omnium bonorum agnoscat & celebretur. Neq; à mutabili precum nostrarum conditione immutabilis decreti divini executio videatur pendere, ipsam illam in nobis efficaciter implet conditionem, Spiritum Sanctum nobis dando, qui inenarra-

inenarrabilibus pro nobis suspirijs interpellet, hoc est, ut pleriq; interpretantur Theologi, preces ad salutem necessarias Deoq; gratas nobis dicter, vel rectè interpellare nos faciat. Rom. 8. v. 26. Unde appellatur *Spiritus gratia & precationum*. Zach. 12. v. 10.

II. Exhortationum robur propterea non præcidi supra ostendimus: subordinata se mutuo non evertunt. III. Connexum negamus. Ratio verò, cur alibi à nobis dicatur fieri, quod Deum facturum hoc loco Apostolus ait, hæc est: quia sine nobis ista non fiunt. Innocentiæ enim & sanctitati studemus: sed virtute Spiritus Sancti, qui motus in cordibus nostris novos & divinæ legi conformes excitat: unde appellatur *Spiritus sanctificationis*. Rom. 8. v. 8. Est igitur adhortatio, quâ jubemur ipsi facere, quæ Deus in nobis facit, efficacissimum medium, quo opus suum in electis infallibili successu perficit Spiritus Sanctus, ut alibi diximus. IV. Connexum negamus. Cum enim contrarium testetur experientia, nempe etiam renatos, dum in viâ adhuc sunt, peccatis multis obnoxios esse, conveniens verborum Apostolicorum *διὰ νοσῶν* est quærenda: cumq; duæ extremæ sint loci hujus interpretationes, una quæ à Remonstrantibus hæc obijciatur; altera quam ipsi sequuntur, media nobis fuerit eligenda, quam nec experientia refutet, nec scriptura damnet. Promittit ergo Apostolus Thessalonicensibus sanctificationem perfectam ratione partium, non graduum, quæ ad hanc vitam restringitur: promittit perseverantiam finalem (*in adventum Domini nostri Jesu Christi*) inculpatè, inquit, conserventur, nempe pro eo modulo & mensurâ, quam nostræ naturæ in hac vitâ imbecillitas capit, quam gratia regenerationis in hac vitâ indulget. Christo verò tandem sine omni maculâ, sine culpâ sistemur perfecti.

XXX. 2. Thes. 3. v. 3. *Fidelis est Deus Dominus, qui stabiliet vos & tuebitur à malo*. Unde sic arguo:

Quos Deus stabiliet, & tuebitur à malo: eos non patietur à fide totaliter deficere. Atqui fideles stabiliet & tuebitur à malo. Ergo.

Propositionis ratio est: quia stabilire, tueri à malo, & pati, ut à fide quis totaliter & finaliter deficiat, æternum malum incurrat, contradictoria sunt.

Excipiunt Remonstrantes: I. Promissionem hanc esse conditionalem, ut patet ex versu 4. *Confidimus autem in Domino, vos quæ mandamus, facere, &*

re & facturos esse. II. Eos, quibus hæc promissio proposita est, disertè opponi hominibus inordinatis & protervis.

Resp. I. Conditiones promissionum certitudinem fidelibus non labefactare, hætenus aliquoties ostendimus. Et quid quæso promitteretur Thessalonicensibus, si conditio officij faciendi in promissione, *DEUS vos stabiliet & tuebitur à malo*, inclusa ejusq; pars non esset? Hoc sine esset à malo tueri, permittere ut damnabili negligentia officium penitus deseratur & extremum malum incurratur? II. Fatemur Paulo heic rem non esse cum protervis & inordinatis, sed cum electis fidelibus. Quid verò hoc ad rem? De fidelium, non de protervorum & inordinatorum, perseverantiâ agimus.

XXXI. I. Pet. I. v. 5. *Qui virtute Dei custodimur per fidem ad salutem, qua parata est patefieri tempore ultimo.* Unde sic arguo:

Qui virtute Dei custodiuntur per fidem ad salutem, ij à fide verâ nunquam totaliter & finaliter deficiunt. Atqui fideles custodiuntur virtute Dei per fidem ad salutem. Ergo.

Excipit Bertius: Non sequi hinc quod volumus: posse enim fieri, ut fidelis præsidium, seu virtutem Dei, deserat.

Resp. Imò sequitur quod volumus. Contradiciunt enim, virtute Dei custodiri per fidem ad salutem, & virtutem Dei ac fidem deserere ad æternam damnationem. Virtus illa Dei nisi apostasiæ periculum à nobis averteret, nisi voluntate nostrâ ad obsequium Dei compositâ fidem in nobis conservaret: utiq; haud ad salutem nos custodire dici posset. Nec enim ad salutem custodit: qui, quem debebat custodire, perire finit. Nisi gratia in electis sit efficacior naturæ corruptæ pravitate, & à mortis præcipitio lapsantes retrahat: actum est de omnium electorum salute. Qui igitur heic fidelem illam Dei custodiam dormire, virtutem quiescere, & corruptæ naturæ habenas ad mortem laxari contendunt; per fidem ad salutem, virtute Dei, nos custodiri *διαρρήδην* negant.

Excipiunt Remonstrantes, locum eodem à se loco haberi, quo alios, id est nullo. Nam I. Hic non haberi, nos custodiri in fide, sed per fidem, id est, credentes. II. Non esse sermonem, quomodo fides in nobis conservetur, sed quomodo nos per fidem custodiamur, quod irresistibiliter non posse fieri existimant. III. Ex sequentibus versibus 13. 14. 15. colligi, quod con-

servatio hic non promittatur, nisi hac lege, ut credentes officium suum fideliter præstent. IV. vers. seqq. 6. & 7. dici eos fuisse exploratos varijs tentationibus, ut exploratio fidei illorum pretiosior esset exploratione auri. Quod si verò fieri non posset, ut desciscerent: non posse explorationem Dei esse seriam. V. Jubere Petrum v. 17. timere, quod hac ratione supervaneum esset.

Resp. Omnes scripturæ locos etiam manifestissimos nullo à Remonstrantibus haberi loco; præsens disputatio satis evincit. Quod si in alijs controversijs eodem modo scripturam tractant, præsidium veritati in scripturâ amplius nullum esse videbitur. Id omnium Hæreticorum ingenium est, ut scripturas eludant, & cum opinionum suarum monstris concilient. Sed rationes quas adferunt videamus. I. Perinde est, sive dicamur custodiri in fide, sive per fidem virtute Dei ad salutem: dum modo virtus, quâ conservamur, non nostra sed Dei esse concedatur, eiq; primæ in conservatione nostri tribuantur, quod à Remonstrantibus non fieri liquidò constat. Virtutem enim Dei non nisi famulam arbitrij humani constituunt, subesse arbitrio non præesse docent. Virtute, inquit, Dei conservamur per fidem, sed non in fide. Ergone per fidem Dei virtute ad salutem custodiri possunt, etiam qui fidem abjecerunt? Putida hæc est contradictio. Si igitur per fidem ad salutem custodimur, utiq; & in fide custodimur. In fide enim qui non sunt, vel potius, in quibus fides non est, per fidem non custodiuntur: veluti per nativum calorem vita conservari nequit, si in corpore nativus calor non sit. Et hoc admittimus, credentes ad salutem custodiri, haud equidem viribus credentium proprijs, sed virtute Dei. Ad salutem verò credentes si custodiuntur: utiq; & in fide custodiuntur: ad vitam enim virtus Dei neminem perducit, nisi per fidei viam: tam igitur in viâ quàm ad vitam custodimur. II. Quomodo per fidem custodiamur Petrus dicit, dum virtute Dei nos ait custodiri: virtus igitur Dei est, quæ voluntates nostras obsequiosas reddit, easq; infallibiliter gubernat, non ab ijs infallibiliter gubernatur.

At, inquit, non fit hoc *irresistibiliter*.

Resp. Voce hac mirè delectantur Remonstrantes, quasi tantopere ea nobis arrideat, aut explicari non possit nostra sententia, nisi phrasi tam horridâ. Nec enim dicimus hominem quocunq; modo consideratum gratiæ forinfecus oblatae non posse resistere: contrarium testatur experientia & affir-

& affirmat scriptura. Sed hoc docemus, amicorum & filiorum Dei tam efficaciter à Spiritu Sancto voluntates moveri, absq; ullâ tamen coactione, ut actu nolint resistere, etsi absolute in se considerati possint resistere. Non minus igitur in hac Dei actione hominis voluntas labefactatur, vi quadam, ut Arminius loquitur, irresistibili, quam à Rhetore efficacissime suadendo auditores suos transversos agente, & assensum eorum infallibiliter obtinente. Sententiam nostram exprimit Augustinus, cap. 12. de corrept. & gra. *Fortissimo (Adamo) dimisit atq; permisit facere, quod vellet; infirmis servavit, ut ipso donante invictissime, quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissime nollent.* Virtute ergo Dei ad salutem infallibiliter custodimur: quam si cordium respueret durities, non eum in finem tribueretur, ut cordis auferret duritiem; aut certè duritiei cordis suam virtutem ita Deus attemperare nesciret, ut infallibili successu victoriam obtineret. Date quæso Remonstrantes hoc divinæ gratiæ, ut humanæ voluntatis pravitatem eam potentiosem & efficaciosem esse agnoscatis. *Non potest, inquit Augustinus ad Simpl. q. 2. effectus misericordie Dei in hominis esse potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit: quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quemadmodum illis aptum esset, ut moverentur, & intelligerent, & sequerentur.* Ibid. *Illud nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, etiam volumus; ad eandem quippe misericordiam pertinet, ut velimus: Deus enim est, qui operatur in nobis velle & operari pro bonâ voluntate.* Nam si queramus, utrum Dei donum sit bona voluntas, mirum si negare quisquam audeat. III. Conservationis illius effectus non causa est officij præstatio: ad quam dum Apostolus nos adhortatur, legatione Dei fungitur. Estq; adhortatio ejus efficax in electis organon, quod sine suo salutifero non frustrari patitur Dei virtus. IV. Quasi verò electorum fidem, quam factam ac tectam conservare decrevit misericors pater, explorare varijs tentationibus idcirco non debuerit. Anne verò ideo tentat, quod vel de perseverantiâ illorum dubitet? vel ab eâ ut eos dejiciat? Illud omniscientiæ, hoc veritati ac fidelitati divinæ adversum. Varijs igitur tentationibus suos exercet Deus, ut & preceationis ardorem injiciat, & humilitatis amorem perficiat, & creatoris favorem edoceat, & perseverantiæ tenorem illibatam conservet: tandem ut non nisi per ingentia calamitatum onera, ad augustos regni cœlestis honores Dei filios pervenire mundus intelligat. Hi serij sunt explorationis seu tentationis

onis divinæ fines; et si everfionis, ex parte Dei, nullum est periculum. V. Timor, quem Petrus præcipit, non est diffidentia de perseverantiâ: sed damnosæ securitatis fuga, perseverantiæ conciliatrix.

XXXII. 1. Joh. 2. v. 19. *E nobis egressi sunt; sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum.* Unde sic arguo:

Si qui sunt è verè fidelium numero, manent cum ijs, & non egrediuntur: utiq; à fide totaliter vel finaliter nunquam deficiunt. Atqui verum illud. Ergo & hoc.

Propositionis ratio est, quia manere cum fidelibus, non egredi è fidelibus, & totaliter ac finaliter à fide deficere, contradicunt.

Excipiunt Remonstrantes: I. Non agere Johannem, nisi de solis falsis & antichristianis Doctoribus, qui egressi erant quasi ab Apostolis dimissi: interea non erant ex numero Apostolorum aut verorum doctorum. Si enim tales fuissent, permansissent cum eis, id est, rediissent ad Apostolos, & permansissent in consortio eorum, qui eos miserant, tanquam legatione suâ probè functi. Atquæ aliter evenit, non manserunt: unde facile poterat apparere, eos tales non esse, neq; ab illis missos. II. Sensum, quem hic tribuimus dicto, neq; cum Apostoli verbis, neq; cum sensu & scopo consistere. Non cum verbis: quia habetur, *egressi sunt è nobis quidam, sed è nobis non erant.* Si nostra quadraret sententia: loco, sed, deberet haberi, quia hoc pacto: *defecerunt à nobis, quia non erant è nobis.* Non cum sensu & scopo Apostoli: qui est fideles præmonere de Antichristis. Ad quid autem præmonitio, si omnino non poterant seduci, neq; à fide desciscere. III. Prorsus vanam fore conditionem, quæ ponitur v. 24. *Si in vobis manserit, quod audistis à principio, vos quoq; in Filio & Patre manebitis,* si à Patre & Filio non potuissent deficere. IV. Absurdum esse dicere, eos qui à fide desciscunt, ante fuisse verè fideles. V. Nuspiam inveniri in scripturâ, quod qui deficiunt, nunquam verè fuerint fideles.

Resp. I. Non negamus Apostolum primariò agere de falsis & Antichristianis Doctoribus: at tamen rationem nostram hoc non enervat. Eadem enim omnium Apostatarum in præfenti quidem negotio, est ratio, veluti & Apostolica ratio generalis est ut membro 2. probabimus. Glossas verò reliquas non æquè admittimus. Primum enim verbum *egressi* malè accipiunt de emissionem simulatâ, quasi voluerint videri ab Apostolis missi: cuius glossæ ne minimum quidem in textu fundamentum est. Manifesta
verò op-

verò oppositio, quæ inter *egredi* & *manere* statuitur, per egressionem indigitari desertionem veræ Ecclesiæ & doctrinæ, quam professi erant, evidenter arguit. Quàm verò contorta illa est glossa? *mansissent* hoc est *redissent* ad Apostolos, & in eorum consortio postmodum mansissent? Hoc nō est legitimas à scripturâ consequentiasnectere, sed ridiculis quasi absurdum dogma conari exprimere, ad eludendam & elidendam veritatem: *θεόπνευστον*. Ut egressio ab Apostolo intelligitur sine reditu, sic & mansio sine egressione. Plana & perspicua sunt verba. Deinde quod sequitur *è nobis*, ad solum pertinere Apostolorum collegium, & ipsum sine fundamento asseritur. Apostolorum nulla fit mentio: loquitur enim de se & ijs, ad quos scribit, ut patet è versu 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris solum, sed etiam pro totius mundi peccatis*. Sic & cap. 1. v. 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & purget nos ab omni iniquitate* &c. Sensus igitur, quam cuivis sine præjudicio legenti, primo intuitu verba exhibent, hic est: Falsi illi Doctores & Antichristi *è nobis*, hoc est, coetu nostro, cujus ego & vos membra sumus, egressi sunt, nempe deserendo pium nostrum consortium, & doctrinam Evangelicam, quam nobiscum ad tempus sunt professi, repudiando: sed non erant ex nobis; hoc est, genuini coetus fidelis, cui se associarant, membra non erant. Probat idè consequenti egressione opposita mansioni. Nam si fuissent genuina coetus nostri membra, utiq; ex eo non essent egressi, non deseruissent doctrinam Evangelij, sed mansissent nobiscum, perseverantes nimirum in professione fidei. Quid simplicius? quid verbis Apostolicis convenientius? Mirum & miserum est, homines hosce in explicatissimis scripturæ sententijs implicandis, tenebrisq; soli inducendis tantopere laborare. II. Sensus igitur, quem huic tribuimus dicto, cum Apostoli verbis non tantum consistit, sed & ipsissimus verborum planissimorum sensus est. Etiam si verò particula *quia* in textu non habetur, argumenti tamen nostri vis minimè labefactatur. Quæritur enim an ij, qui è coetu fidelium erant egressi, fuerint è coetu, hoc est, genuini fidelis coetus membra? Negat id Apostolus: *Non erant*, inquit *è nobis*, Ecquæ verò negationis ratio? Insinuat eam particula causalis: *γὰρ, nam*: *Nam*, inquit, *si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum*. Connexi hujus ratio alia nulla est, quam hæc: *quia omnes ij, qui sunt ex nobis, manent nobiscum*.

Unde categoricus syllogismus hic est: Qui sunt è nobis, manent nobiscum.

Qui egressi sunt ex nobis, non manserunt nobiscum. Ergo qui egressi sunt ex nobis, non fuerunt ex nobis.

Nonne verò evidens hæc est Apostoli demonstratio? E cujus fundamento invictum extruimus pro sanctorum perseverantiâ argumentum: quicquid tandem fiat de Remonstrantium *quia*, quod ad demonstrationis evidentiam deesse nobis arguantur, cujus suppetias minimè desideramus: prorsus alienū esse ex analysi patet: sic autem ex hac hypothesi apostolicâ arguimus:

Si qui egrediuntur è cœtu fidelium, non sunt è cœtu fidelium: sequitur utiq; nullum eorum, qui sunt ex cœtu fidelium, egredi è fidelibus, seu totali defectione deserere cœtum fidelium. At verum illud. Ergo & hoc. Item.

Si qui sunt vera cœtus fidelis membra, manent cum fidelibus: sequitur nullum apostatam esse verum cœtus fidelis membrum. At verum illud. Ergo & hoc.

Scopus quoq; Apostoli à nobis minimè labefactatur: ut ex ijs palam est, quæ sæpius hætenus de exhortationibus & admonitionibus diximus. III. Nec conditiones pugnare cum perseverantiâ necessitate, sæpius jam monstravimus. Breviter, conditiones fidelibus propositæ, non apostasiæ insinuant possibilitatem omnimodam, sed perseverantiâ non nisi per media à Deo procurari & conservari indicant. Sic manemus in Deo per præceptorum divinorum observationem, quam non nostris viribus, sed gratiæ Dei in nobis efficaci adscribimus. IV. Absurdum utiq; est dicere, eos qui à salvificâ fide deficiunt, non verè fideles fuisse. At nos hoc minimè dicimus. Hujusmodi enim apostatas dari negamus, & eos qui à fide dicuntur descivisse, non nisi externè fidei doctrinam professos, vel fide saltem temporaneâ, quam à salvificâ cum scripturâ distinguimus, fuisse præditos, contendimus, quos uno nomine hypocritas appellamus. V. Cum multis hætenus scripturæ testimonijs evicerimus, verè fideles totaliter & finaliter non deficere, quod & præsens testimonium evidentissimè demonstrat: ex scripturâ quoq; per legitimam consequentiâ nos demonstrasse arbitramur, eos qui deficiunt, nunquam fide salvificâ fuisse præditos.

Excipit

Excipit Meisnerus : I. Nostrum argumentum non concludere, renatos Spiritum Sanctum excutere non posse, sed potius errare & à fide deficere non posse : hoc verò contra ipsam esse experientiam. II. Scopum Johannis esse, quod non sit imputandum Evangelio quando hæreses exoriantur, sed propriæ potius hominum levitati, qui quamvis in medio Ecclesiæ gremio vivant, & satis confidenter gloriantur, se esse verè fideles, & viva veræ Ecclesiæ membra, nihil tamen minus sunt; quod patet ex effectu, videlicet defectione à doctrinâ Evangelicâ. Prodierunt ergo (sic ipse Johannem interpretatur) ex nobis, sed non erant ex nobis : hoc est, non erant vera veræ Ecclesiæ membra, non amplectabantur veram doctrinam. Si enim ex nobis fuissent, permansissent nobiscum: hoc est, si fideles & Evangelicæ doctrinæ cultores genuini fuissent, & ad huc essent, ut gloriantur: Certè non apertè se hostes Evangelij declarassent, sed istud unà nobiscum amplexi fuissent. Qui enim verè fidelis est, is permanet nobiscum. Ab hoc igitur actu, nempe deficere à doctrinâ Evangelicâ, nec in eâ constanter permanere, indicat Apostolus, illos hæresiarchas nunquam verè fideles fuisse: adeoq; non tam fides justificans quàm Evangelij doctrina intelligitur, à quâ quia deficiunt hæretici, colligit Apostolus eos non esse verè fideles, nec fuisse unquam, etiamsi de eo multum gloriantur. Hæc Meisneriana loci apostolici est explicatio, totidem ipsius verbis recitata ex Anthropol. sacræ decad. 2. disp. 9. thes. 46. resp. 2. III. Si absolutè nullus posset à fide deficere, non opus fore tam seriâ admonitione v. 24. 27. 28. conditione istâ v. 24. Responsio Eckardi, quam subjicit, eadem est, quæ & Remonstrantium, nisi quod minus violenter textum torqueat.

Resp. I. Aliud est errare, aliud à fide deficere: illud à renatis alienum non est, hoc in renatos non cadere testatur præsens locus, cui minimè repugnat experientia. Non posse verò renatos errare, nec è præsentis loco demonstrari, nec ex argumento nostro evinci potest. De scopo Johannis cū Meisnero nō contēdemus: etsi quem ille allegat, principalis scopus esse non videtur. Interim explicatio sententiæ Apostolicæ, quam verbis ipsiusmet autoris, licet prolixiorē, recitare operæ pretium duximus, prorsus orthodoxa est, quâ meliorem non desideramus. Ita pro candido suffragio magnas huic Doctōri gratias agimus: & ex eâ sic colligimus:

Vera veræ Ecclesiæ membra & Evangelicæ doctrinæ cultores genuini in doctrinâ Evangelicâ constanter permanent. At omnes verè fideles sunt.

sunt vera Ecclesiae membra, & Evangelicæ doctrinæ cultores genuini.

Omnes igitur verè fideles constanter in doctrinâ Evangelicâ permanent. Falsum igitur est, aliquos non permanere, à fide totaliter & finaliter deficiendo.

Propositio Meisneri verbis est informata. Assumptio utrinq; est in confesso: è complexione verâ necessario sequitur *πρόσιμα*, quod eduximus. III. De conditionibus, admonitionibus, comminationibus sæpe hactenus responsum.

XXXIII. I. Joh. 3. v. 9. *Quisquis natus est ex DEO, peccatum non committit, quoniam semen ipsius in eo manet: nec potest peccare, eo quod ex Deo natus est.* Unde sic arguo:

Qui non committunt, nec possunt committere peccata: à fide & sanctitate suâ nec totaliter nec finaliter possunt deficere. Atqui verè fideles non committunt nec possunt committere peccata: Ergo verè fideles à fide & sanctitate suâ nec totaliter nec finaliter possunt deficere.

Propositionis ratio est: aperte enim contradicunt, à fide totaliter & finaliter deficere aut posse deficere: & peccatum non committere aut posse committere. Assumptio ex Johanne hoc prosyllogismo approbatur:

Qui nati sunt ex Deo, & in quibus Dei semen manet, ij peccatum non committunt, nec possunt committere. Atqui fideles sunt nati ex Deo, semenq; Dei in ijs manet. Ergo.

Propositio Apostoli est. Assumptio in confesso est, de nullis enim dici potest, quod sint nati ex Deo, quodq; semen Dei in ijs maneat, nisi de fidelibus. Phrasîs *peccatum non committere*, significat se purificare, sanctitati studere. Ut enim ex collatione versiculi 3. & 4. patet *ποιεῖν τὴν ἀμαρτίαν* opponitur *ἡ ἀγνίς ἐαυτῶν*. Peccatum igitur non committere, non facere, idem est, quod purificare se, studere sanctitati, peccatis resistere, peccati servum non fieri: convenientior interpretatio adferri nulla potest. Per semen Dei sive fidem, sive Spiritum Sanctum, gratiosam nempe ejus inhabitationem, intelligas, perinde nobis fuerit. Argumento enim nostro nihil decedit. Unde patet quoq; verborum, *nec potest peccare*, sensus: nempe fieri non posse, quin sanctitati studeat, qui ex Deo natus est, & semen Dei in se habet permanens. Non igitur ab omni prorsus peccato immunes pronunciantur renati, ut contra scripturam olim & perpetuam experientiam cõtendebant, & ex hoc loco probabant Pelagiani, Cathari,

Chatari, Anabaptistæ, Libertini, sed à servitute saltem peccati prædicantur liberi. Nec enim fieri potest, ut, qui spiritu DEI sunt regenerati, ita peccatis indulgeant, ut pleno voluntatis in ea ruant impetu & consensu: quia semen DEI nunquam adeò est otiosum, ut cum peccato non luctetur, idq; vel prorsus impediatur, vel certè si patratum sit, per subsequentem penitentiam, re collectis viribus, expugnet.

In hujus argumenti solutione mirum quantum desudent Adversarij: fateturq; Arminius, in examine prædestinationis Perkinianæ, *argumentum hoc omnium, quæ contra sanctorum apostasiam adferri possunt, esse firmissimum.* Videamus ergo Adversariorum glossas.

Excipiunt Remonstrantes: I. Interpretationem phraseos Apostolicæ de studio sanctitatis & fugà servitutis, quæ in peccato regnante consistit, argumento evidenti à nobis non probari: II. phrasin, *non potest peccare*, non denotare absolutam & inevitabilem impossibilitatem, sed hoc modo debere explicari: *Ea natura & conditio filiorum DEI est, ut vi efficacis charitatis & desiderij, quod regeneratione acceperunt, quàm maximè indecorum existiment contrarium naturæ suæ facere, quæ ipsos in vijs Domini ita quasi facit incedere, ut molestum & grave sit illis peccare, quia hoc ipsorum consuetudini repugnat, & perinde est, quasi quod fieri non potest, sicut tam molestum est ijs bene agere, qui assueti sunt peccatis, ut æstimentur illud facere non posse.* Interpretationem hanc probant 1. quia congruit cum varijs scripturæ locis, quibus natura & conditio pietatis describitur. ut Psalm. 119. v. 3. *Qui in viis Dei ambulant, non operantur iniquitatem.* Joh. 14. v. 23. *Quicumq; diligit me, præcepta mea servabit.* 2. quia congruit scopo Apostoli, qui est ad officium justitiæ adhortari, ut qui justii habebuntur, sibi non persuadeant, sibi licere vivere in peccatis: ad cujus confirmationem argumentum adducit à naturâ regenerationis sumtum, quæ ejusmodi est, ut cum illâ non possit congruere, ut in peccatis vivatur: sed sanctitatem & justitiam esse infallibilem notam filiorum Dei. 3. quia, si verba, *non potest peccare*, absolutam & inevitabilem impossibilitatem denotarent, vis antegressæ exhortationis destrueretur: talis enim esset. *Ne peccate, quia non potestis peccare.* 4. quia interpretatio nostra pugnat cum multis scripturæ locis, quæ docent fideles posse peccare, & labi in peccatum regnans, & commonefaciunt ipsos, ut sibi ab eo caveant. 5. quia pugnat cum exemplis eorum, qui gravissimè peccarunt, exempli gratiâ, eorum, qui fra-

Gg

treat

trem suum oderunt. 6. quia sequeretur hinc, quod, quæcunq; peccata, quamlibet flagitiosè ac sceleratè à filiis DEI committantur, illis imputari non possint pro peccatis, nedum pro regnantibus. III. Si per semen DEI intelligatur vita infusa per vim quandam irresistibilem, ex verbo manere, non posse certum desumi argumentum. 1. quia scriptura & maximè Johannes manere & esse sæpe pro eodem usurpat, non consideratà ejus proprietate, ut Joh. 14. v. 17. & 1. Joh. 2. v. 4. & 6. *Qui manet in eo, debet etiam ut ille ambulare*: quod posterius erat superfluum, si manere propriè acciperetur: Et v. 24. *quod audivistis, maneat in vobis.* & c. 3. *qui non diligit fratrem manet in morte*, si manere hic propriè acciperetur, in morte esset manendum omnibus, quia ante regenerationem fratres nostros non diligimus, 1. Joh. 3. v. 15. *Nullus homicida habet vitam aeternam in se manentem*: Igitur cum habeat illam prius, amittit eam, si illud *manentem* ex nostrâ sententiâ accipiatur. 2. quia scriptura agit de duobus *manendi* generibus, quorum alterum extemporale, alterum æternum, ut Johan. 8. vers. 35. *Non servus sed filius manet perpetuò in domo* Johan. 1. v. 40. *apud eum manserant die illo*, Luc. 10. v. 7. *manete in eâ ipsâ domo*. 3. quia orationis filium non permittit, ut propriè accipiatur, 1. quia *manere* conjungitur illi, non peccat. Quid autem juvat hæc seminis *mansio* ad non peccandum? 2. quia alioquin in omnibus peccatis, quæ à fidelibus committuntur vel committi possunt, potest & debet ex hoc sensu adhuc dici, *semen DEI in eis manere*, etiam cum datâ operâ ex carnis libidine, repugnantè conscientiâ peccant, & in peccatis sine poenitentiâ persistunt: Item in medijs peccatis adulterij, idololatriæ, ebrietatis, homicidij adhuc fiduciam superesse de peccatorum remissione. IV. Quicquid sit, ex *mansione* seminis Dei pro nostrâ sententiâ contra adversarios non posse quicquam concludi, idq; duabus de causis. I. Sub permanente semine comprehenditur aut spiritus regenerationis, unâ cum suis fructibus, aut sine fructibus & operibus: prius repugnat experientiæ, nec enim opera & fructus semper in renatis manent. Posterius neq; satis est honestum spiritui, neq; homini sufficit, ut in statu gratiæ cum Deo statuatur, qui fidem efficacem & charitatem laboriosam exigit 1. Thes. 1. v. 3. Dicit quoq; scriptura disertè seminis hujus vitam amitti posse, & per consequens ipsum quoq; spiritum. 1. Joh. 3. v. 15. *Quisquis odit fratrem homicida est, & nescis nullum homicidam habere vitam aeternam in se manentem*. 2. hoc *manere* non promittitur, nisi præeunte conditione. Joh. 14. v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum observabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veni-*

vicimus

niemus, & mansionem apud eum faciemus. Quam diu igitur Deum diligimus, manebit DEUS apud nos semine Spiritus sui & verbi, neq; peccabimus, imò neq; peccatum facere poterimus. Sed non sequitur hinc DEUM semper apud nos mansurum, aut nunquam fore, ut ab officio charitatis in DEUM deficere possimus. V. Idem per idem probatum iri, si hæc (*quia ex DEO natus est*) rationem comprehendunt, cur, qui ex Deo natus est, peccare non possit: Id vero, inquiunt, in omnibus argumentis absurdum est. Hactenus machinæ Remonstrantium, quas huic perseverantiæ argumento admovent.

R. I. Interpretationem phraseos supra in argumenti nostri declaratione sat evidenter probavimus, ex collatione versiculi 3 & 4. in quibus *τοῦ ἐν ἀμαρτίαν & ἀγνίζεν ἑαυτὸν* opponuntur: nec potest convenientior phraseos hujus explicatio ulla excogitari, quàm Catharorum, Donatistarum, Anabaptistarum & Libertinorum evertatur ratio, quam in absurdi sui dogmatis subsidium ex hoc loco depromunt. Prorsus enim à peccato immunes esse sanctos experientiæ repugnat & scripturæ. Ipse Apostolus noster contrarium disertè testatur cap. I. v. 8. *Si dixerimus, nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est.*

Præstat igitur hoc modo Apostolum interpretari, quàm ad contortas Remonstrantium glossas confugere, & veritati vim facere. At, inquiunt, etiam Doctores reformati contendunt, in renatos posse peccatum regnans cadere.

R. Doctorum reformatorum nonnulli affirmant peccatum regnans in renatos cadere, hos inter ipse est Ursinus vol. I. pag. 207. & seqq. Pareus in Catechesi Ursini. Alij negant in renatos hujusmodi peccatum cadere, quos inter Polanus in syntagmate lib. 6. c. 3 lat. 2197. Nec tamen ij vel pugnant inter se, vel nos cum illis. Peccatum enim regnans gradibus suis est distinguendum. Excellens peccati hujus gradus in renatos non cadit, vocaturq; à Johanne *peccatum ad mortem* cap. 5. v. 16. 17. 18. quod nulla consequitur pœnitentiâ, nulla remissio. Id verò intelligi ab Apostolo è versiculis modo allegatis palam est. Cum enim v. 16. peccatum in renatos posse cadere concessisset, verbis illis; *si quis viderit fratrem suum peccare &c.* (quod expressius affirmavit cap. 1.) eodem statim versu distinguit peccatum in id, quod est ad mortem, & quod non est ad mortem: Inde versu 28. subjicit, *quisq; natus est ex Deo, non peccat*: quod nisi accipiatur de peccato ad mor-

tem, à contradictione Apostolus liberari non poterit. Inferior seu remissior peccati regnantis gradus est, cum peccatur quidem gravissimè contra conscientiam, attamen non pleno voluntatis consensu, luctante gratiâ regenerationis cum naturâ depravatâ reliquâ, & succumbente, ita tamen ut non prorsus extinguatur, sed mox veluti è cineribus scintilla erumpat, & ad pœnitentiam feriam peccatorem stimulet: Exempla illustria sunt in Davide & Petro. Ita quoq; explicat Ursinus: *Sententia inquit Johannis hæc est: renatos peccare quidem, sed non ita ut indulgeant peccato, aut si aliquando cedant & assentiantur malis cupiditatibus, ut omnem pietatis effectum abjiciant, & non resipiscant. semper enim in renatis aliquid naturæ renatæ manet reliquum, quod aut luctam adversus peccatum, aut pœnitentiam veram efficit, hoc est, ad mortem sive exitium æternum peccare, seu à Deo in universum deficere, non sinit.* Instant. I. Si regenerati peccare non possunt peccato regnante, inanis erit Apostoli dehortatio. Resp. Ictum hunc sæpe jam avertimus, ut enim peccare non possint vel nolint, in re alia quoq; dehortatio divina efficit, quæ in electis fructu suo non caret.

Instant 2. Si Apostolus dehortatur ab alijs quoq; peccatis, quæ hæc erit ratio? quia non potestis peccato regnante peccare, Ergo abstinete ab alijs peccatis non regnantibus. R. Tam ineptè nuspiam differit Apostolus, Ab omnis generis peccatis dehortatur Apostolus à regnantibus, & non regnantibus. Et si sola intelligit regnantia cū dicit, *eos, qui ex Deo sunt nati, non peccare, non posse peccare.* Nec verba Apostoli, *non potest peccare*, tanquam ratio dehortationis adferuntur: sed regenerationis & seminis Dei vim declarant. II. Phrasin, *non potest peccare*, absolutâ denotare impossibilitatem nos non asserimus, sed impossibilitatem tantum hypotheticam agnoscimus, quæ à constantissimâ Dei voluntate pendet, quæ renatorum mētes per media subordinatæ efficaciam ita regit, ut eventus infallibiliter respondeat. Glossa, quæ adferunt, si impossibilitatem omnem propriè sic dictam excludat, à nobis non admittitur. Fatemur quidem renatos in decorum existimare contrarium naturæ suæ regeneratæ facere, quæ ipsos in Domini vijs jubet & facit incedere, hoc verò solum Apostoli verbis indigitari, negamus. Si enim regenerationis gratia in homine id tantum efficeret, ut indecorum esse peccatum, de quo Johannes loquitur, suaderet & persuaderet, non verò ab hoc peccato voluntatem efficaciter retraheret, ita ut ni id, quod indecorum esse ratio renata judicat, voluntas & ipsa renata nunquam consentiret,

ret,

ret, major non esset regenerationis efficacia in electis, quàm virtutis alicujus moralis habitus in non renato. E.g. in Scipione, in Aristide, in Alexandro. Nam & hujus instinctu virtuosè gentiles indecorum judicarunt contrarium naturæ suæ facere, quæ ad laudabilia ipsos incitabat facta. Ac consequens absurdum. Deinde si renatis molestum est & grave peccare, ut ajunt Remonstrantes, utiq; nunquam pleno voluntatis consensu peccant, nec peccatum committunt in excellenti gradu regnans: quæ nostra & orthodoxa est sententia: Aut certò si & hoc in renatos peccatum cadit, falsum erit, renatis grave & molestum esse peccare, Nemo enim sponte & ultrò facit, quod grave & molestum & facere. Ad rationes, quas pro glossâ suâ stabilicndâ & expositione nostrâ evertendâ adferunt, sic ordine respondeamus. Ad 1. Allegata scripturæ loca, præter quàm quod phrasin præsentis similem non habeant, ut sententiæ & expositioni nostræ nil præjudicij adferunt, sic Remonstrantium glossam meliorem ac probabiliorem non reddunt, imò potiùs evertunt. Qui enim in vijs DEI ambulant, non tantum indecorum sibi putant iniquitatem operari, sed & iniquitatem non operantur: imò contradictorium non minus est, in vijs Dei ambulantes operari iniquitatem, quàm ex Deo natum facere peccatum. Sic & qui Christum ex animo diligunt, non possunt non præcepta ejus servare, quia contradicunt Christum ex animo diligere, & præcepta ejus negligere. Addo, si ambulantes in viâ DEI & diligentibus Christum grave & molestum est peccare, utiq; non peccant: coactus enim nemo peccat. Se ipsam igitur evertit glossa Remonstrantium. Ad 2. Multa possunt excogitari, quæ à scopo Apostoli aliena non sunt: anne verò protinus ex Apostoli mente erunt? Adhortatur Apostolus ad justitiæ studium, fatemur, idq; multis rationibus: At rationis vim & illa habere, *non potest peccare*, negamus. Sunt enim ut è textu apparet exegetica saltem rationis principalis, quæ est, *Quia ex DEO nati estis*: Cur autem hæc renatorum conditio, quod non possint peccare, exhortationis vim non enervet, aut irritam reddat, ad nauseam hæcenus à nobis est explicatum. Hæc verò & nobis cavillandi occasio non deesset. Si enim Apostoli verba, *non potest peccare*, vim propositionis exhortatoriæ confirmandæ habent, & sic genuinus eorum est sensus, grave ac molestum est renatis peccare, discursus Apostoli hic erit:

Vobis, dilecti mei, grave ac molestum est peccare.

Ergo non debetis peccare:

Gg 3

Nonne

Nonne verò Remonstrantes imitati jure heic possimus quærere, Quid at-
tineat eos, hortari ne peccent, quibus grave & molestum est peccare? Nec
enim dehortari quempiam solemus ab ijs, à quibus naturâ suâ abhorret:
Scrupulum hunc vix rectè exemerint, quin in sententiam nostram vel invi-
ti concedant. Ad 3. Absolutam & quovis respectu inevitabilem peccandi
impossibilitatem non agnoscimus. Interim quacunq; impossibilitate pro-
priè sic dictâ vim antegressæ exhortationis destrui negamus, & sæpe hacte-
nus negavimus, conciliato, quod Remonstrantes sibi imaginantur, para-
doxo. Discursum verò, ne peccate, quia non potestis peccare, nec Aposto-
lus agnoscit, nec nos agnoscimus: quem evidenti consequentiâ nobis im-
pingi posse jam ante negavimus. *Suum* verò hunc foetum haud gravatè a-
gnoscent Remonstrantes. *Ne peccate, quia grave vobis est ac molestum peccare.*
Ad 4. Scripturæ loca sententiæ nostræ adversa nulla habemus. *Posse fideles*
peccare & peccati regnantis gradum, aliquem in eos cadere cum scripturâ
affirmamus. Excellentem verò illum peccati regnantis gradum, quem su-
pra descripsimus, & peccatum ad mortem dici ostendimus, in renatos ca-
dere, contra scripturam affirmare non audemus. Interim ab hoc peccato
non sine fructu nos dehortatur scriptura: quia efficacissimæ sunt dehorta-
tiones divinæ, à quibus ex voluntate D E I immutabili, impossibilitas pec-
candi pendet. Nos enim si consideres, sine efficacissimo D E I præsidio,
proh dolor, possibilitas pereundi nimis est præceps. Ad 5. Nec exempla
nos urgunt contraria: Fratres enim sine reconciliatione & pœnitentiâ o-
disse non est renatorum sed reproborum. Ad 6. Absurdum hoc ex nostrâ
sententiâ minimè sequitur. Nec enim ab omni peccato renatos eximimus,
sed ab eo tantum, quod *peccatum ad mortem* à Johanne appellatur, quod
nulla pœnitentiâ, nulla remissio sequitur.

III. *Vim irresistibilem* sibi habeant Remonstrantes, nec enim nos delectat
hæc *καυεφωρία* & *κενοφωρία*: arridet nobis divina gratia, quæ sine suo
nunquam frustratur, & voluntates nostras eventu infallibili in obsequium
flectit, sine ullâ coactione, nec enim cogi potest voluntas. Ad rationes, qui-
bus argumenti nostri nervum, qui est in verbo *manere*, conantur incidere,
ordine sic respondemus. Ad I. Primùm si maximè daretur, verbum *manere*
in scripturâ sæpe poni proesse, nostri tamen argumenti nervus hinc mini-
mè incideretur: manere enim hoc loco in nativâ suâ significatione accipi,
patet I, ex collatione phrasium, *natus ex Deo, & semen Dei in eo manet*; Nam
si ma-

si manere idem significaret, quod esse, utiq; phrases, *natum esse ex Deo, & semen Dei in aliquo manere*, idem prorsus denotarent. Quid enim est ex Deo natum esse, nisi semen Dei in se habere? Et semen Dei in se habere, quid est, nisi natum esse ex DEO? Discursus igitur Apostolicus hic erit: qui natus est ex Deo, non committit peccatum: ratio, quia semen DEI in eo existit, seu quod prorsus idem est, quia natus est ex Deo: Atqui hoc colligendi genus tanquam absurdum rejiciunt Remonstrantes. Fateantur igitur verbis illis, *qui natus est ex Deo*, denotari ab Apostolo *actum*: istis, *semen Dei in eo manet*, continuationem actus, & sic verbum manere in significatione propriâ accipi. 2. ex fine dati hujus seminis, qui est continua seu perpetua ejus mansio: nec enim datur semen, ut ad momentum tantum in nobis existat, sed ut perpetuo nobiscum maneat, ut conservet nos ad finem usq; inculpato: Unde ait Paulus Phil. I. v. 6. *se persuasum habere, ut qui cepit in Philippensibus bonum opus, perficiat usq; ad diem Jesu Christi.* 3. ex adjunctâ mansionis hujus perpetuitate, quæ in alijs scripturæ locis promittitur & describitur, ut exempli gratiâ ad Eph. I. v. 13. & 14. *Postquam credidistis, obsignati estis spiritu illo promissionis sancto, qui est arrhabo hereditatis nostræ, dum in libertatem vindicemur.* Joh. 14. v. 16 *rogabo patrem & alium consolatorem dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* & v. 23. *ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.* & c. 16. v. 22. *gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Hæc prima responsio: addimus alteram. Ex ijs locis quæ adducuntur, *manere pro esse* usurpari ne utiquam probatur. Joh. 14. v. 17. verbum *manere* non occurrit; præcedenti vero versiculo 16. ex adjunctâ descriptione, non esse sed *continuationem existentie* denotari palam est: *ut maneat vobiscum in æternum.* 1. Joh. 2. v. 6. non habetur, *qui manet in eo*, sed *qui dicit se in eo manere*, ubi in propriâ significatione verbum, manere, accipi cur negemus, causa prorsus est nulla: nec intelligimus quo pacto superfluum dici queat, quod sequitur, *debet etiam sicut ille ambulare.* Sensus enim Apostoli est, non satis esse verbis tantum jactare mansionem hanc spirituales, sed reipsâ potius verborum veritatem esse demonstrandam. v. 24. non simplex tantum existentia, sed existentie continuatio, hoc est, mansio propriè sic dicta intelligitur. cap. 3. v. 14. verbis illis *qui non diligit fratrem*, odium fratris notatur continuum & irreconciliabile, quod infallibili eventu mors æterna excipit: à quâ omnes liberantur, qui verâ ducti pœnitentiâ præteritum deplorant odium, & quos oderunt sincerè amant, lethalisq; culpa

culpa

culpæ condonationem seriò flagitant: v. 15. similiter homicida perseve-
rans intelligitur, quem commissi homicidij verè nunquam poenitet: Is
vitam æternam in se manentem habere negatur, non quod amittat, quam
priù habuerat, sed quod à tanti boni possessione culpà suâ se excludat. An-
ne verò ad rei possessionē eum admitti sequitur, qui à possessione continua
excluditur? Nonne quos scriptura excludit ab æternâ vitâ, eosdem quoq; à
momentaneâ cælestis vitæ participatione excludit? Hactenus ad primam
Remonstrantium rationem responsum. Ad 2. Nō de temporali sed de per-
petuâ mansione Apostolum loqui, paulo ante ex fine ejus & similibus scri-
pturæ locis probavimus. Faciamus a. de temporali sermonem esse: discar-
sus igitur Apostolicus hic erit: *Vos dilecti mei, non potestis peccare, ratio,
quia semen DEI ad tempus tantum in vobis manet*, Contrarium potius debe-
bat inferre; quia ad tempus tantum semen Dei in vobis manet, utiq; potestis
peccare: à peccandi periculo non possunt esse immunes, qui seminis hujus
præsidio vel ad momentum destituuntur. Non dicam, quàm frigida hæc
fuerit consolatio, si intellexissent fideles, caducum esse regenerationis
bonum, & seminis DEI usum ad aliquod saltem tempus concedi. Apage
ergo tam frigidam & inauspicatam glossam. Ad 3. Vocis proprietati non
repugnat orationis Apostolicæ filium, imò amicissimè cum eo consen-
tit. Ad oppositas rationes facilima est responsio: Ad 1. Profanè & blasphemè
negant seminis mansionem nil conferre ad non peccandum, Quid enim
efficacius peccatis resistat eaq; reprimat & extinguat, quàm seminis hujus
præsentia, cujus unicus hic est finis, ut amissam DEI imaginem in peccato-
ribus instauret? Nec obstat, quod manere conjungatur cum priori *non
peccat, non enim posteriori, non potest peccare*. Si enim regeneratio in-
causâ est, ut non possint peccare, qui sunt renati, utiq; & regenerationis
continuatio, quæ per seminis mansionem denotatur, idem efficiet: Tri-
buitur autem regenerationi perpetuus hic effectus, quia in præcedenti-
bus affirmata ejus perpetuitas, verbis istis: *quia semen Dei in eo manet*. Ad 2.
Renatum esse & in peccatis sine poenitentiâ persistere, contradicunt, In re-
natis verò contra conscientiam quandoq; peccantibus semen DEI mane-
re, non sine sacrarum literarum autoritate asserimus, ex hoc ipso quoque
præsenti loco: quod qui negant, apertè Apostolo contradicunt, quascun-
que tandem glossas comminiscantur, Hinc David post commissum adul-
terium & homicidium semen hoc à se ne auferatur, efflictim petit Psal. 51.
v. 13. Non

v. 13. Non utiq; spiritu penitus se orbatum senserat, (qui enim aliàs peccatorum suorum pœnitundine (qui spiritus est fructus) duci poterat: sed *letitiam Spiritus* penè expulsam animadverterat, unde *salutis letitiam sibi reddi & benignitatis spiritu se sustentari petit* vers. 14. Fidem & fiduciam remissionis peccatorum quod attinet, certum quidem est, in ipso peccatorum fervore eam frigere, & veluti gravissimâ syncope afflictam vitali motu extrinsecus sese non prodere: penitus verò propterea extinctam non minus rectè collegeris, quàm si exanime corpus esse concluderis, quod vitæ indicium ad tempus aliquod nullum facit.

IV. Quo minus rectè sententiam nostram ex Apostolo adstruamus, non obstant duæ ratiunculæ Remonstrantium. Respondemus igitur ad I. Quid spiritui regenerationis, qui per semen intelligi potest, inhonestum sit, nostrum non est temere definire: adoranda potius Spiritus Sancti misericordia, quod miseros nos peccatores gratiosâ suâ præsentia dignetur, quod ob peccata nostra nos penitus non deserat, quod errantes reducat, quod vacillantes sustentet, quod lapsos erigat. Attamen negamus Spiritum in renatis quandoq; omni prorsus opere vel fructu destitutum esse. Etiam si n. in gravissima peccata electos Dei filios, in quibus templum sibi extruxit, nonnunquam patitur ruere, & penitus videtur quiescere, in ipso tamen illo gratiæ & depravatæ naturæ conflictu sese exerit, haud equidem peccantis libidinem reprimendo & coercendo (in actum enim proh dolor sæpe erumpit) sed conscientiam vellicando, peccatum improbando, & solenniter quasi in renati hominis pectore contra *αταξίαν* appetitus & affectuum protestando: quo efficit tandem, ne pleno voluntatis consensu homo peccet, & adhuc maturè conversus peccati veniam contrito corde poscat. Testantur id omnium sanctorum exempla: descriptisq; egregiè luctam hanc in personâ suâ Paulus Rom. 7. à v. 14. ad 24. Et si verò *fidem efficacem & charitatem laboriosam* à suis DEUS exigit, *quassatum* tamen *calamum* non confringit, nec *linum fumigans* extinguit, quodq; uno à nobis mandato exigit, per gradus paulatim in nobis efficit, & curriculo quamvis non nihil interdum interrupto ad metam tandem nos perducit. Nec contrarium ex Johanne probant Remonstrantes: Osorem enim & homicidam fratris dum negat in se habere manentem vitam æternam, usuram ejus temporatam ipsi minimè tribuit, sed adimit potius: in quo enim vita æterna non manet, in eo non est. in quo est, in eo manet:

h h

quia

quia ἀμετέμηλητα sunt Dei dona. Ad 2. Cum dilectio & peccati fuga effectum sit seminis hujus in nobis manentis, teste Apostolo, præposterè causa ejus à Remonstrantibus statuitur. Requirit autem à nobis scriptura hanc conditionem, non ut præstari nostris viribus posse indigitet, sed ut semen hoc sine dilectione Dei esse non posse significet. Dum igitur à nobis hoc Dei semen est, ab officio charitatis in DEUM prorsus deficere non possumus. At inquirunt, quod si abjiciatur semen hoc? R. Si abjiceretur, utiq; ex Remonstrantium mente per neglectum dilectionis abjiceretur: sequeretur igitur: 1. dilectionem, quâ DEUM diligimus, esse causam hujus seminis, quod falsum, semen enim est causa dilectionis, nec infunditur diligentibus sed non diligentibus, in quibus dilectionem excitat, 2. neglectum dilectionis semine hoc non præcaveri, & sic frustra à Deo multis dari, quod & ipsum impium & absurdum est dictu.

V. Ratio nostra ut ex Johanne à nobis est informata, idem per idem, non probat. Nec enim idem prorsus sunt *ex Deo natum esse & fidelem esse*, alias regeneratio & fides idem quoq; essent. Interim certum est verba illa, quia ex Deo natus est, in textu apostolico vim rationis habere. Quod si ergo propositionis probandæ antecedens sit, *natus ex Deo*, consequens non potest peccare, spiritum sanctum ἀσυνλογισίας arguent Remonstrantes. Nos litem hanc nostram non facimus: etsi difficultatis tollendæ ratio nobis non deesset.

Excipit Bertius 1. Sicut ποιεῖν δικαιοσύνην est quodvis justitiæ opus exercere: ita ποιεῖν ἀμαρτίαν esse quovis modo peccare, non ergo certum aliquod peccati genus excipi: Cum igitur ex nostrâ sententiâ David in se semen DEI habuerit, secuturum eum nec peccasse nec potuisse peccare: cui reclamant experientia, scriptura & proprium Davidis testimonium, II. peccata non differre subjectis, sed quælibet posse in quoslibet cadere, nisi vitentur cautè principia & progressus. III. facere aliquid eum vulgo dici, qui ex more & consuetudine aliquid agit, & non vitat ejus generis actiones: non facere, quæ vitat illud & consu'to abstinet. Hac igitur dicendi formulâ *facere peccatum*, esse non vitare peccatum sed quotiescunq; occasio se offert, ex more & consuetudine illud sine offensâ patrare. Contra non facere peccatum, esse à peccato abstinere, fugere peccatum, vitare illud. Describi ergo ab Apostolo ingenium piorum, quod debeant facere, quid possint facere,

cere,

ere, quid soleant facere. IV. Non posse peccare in quo semen DEI manet. Quid si verò quis semen Dei ejiciat? Unde colligit hanc esse Apostoli sententiam: sancti habent in se semen gratiæ, quod tantisper in ipsis manet, quantisper ipsi illud fovent. Quantisper verò illud fovent, non peccant, imò vitant peccatum. Verba igitur, non potest peccare, cum conditione esse accipienda, si agat secundum genituram suam. Reliqua capituli Analysis, quam subjicit, sententiam nostram non infirmit sed confirmat. Sic enim præsens Apostoli argumentum informat:

Qui natus est ex DEO, non facit peccatum. Sancti nati sunt ex DEO, Ergo non faciunt peccatum. Probat major: In quo manet semen Dei, is non facit peccatum. Qui natus est ex Deo, in eo manet semen DEI. Ergo.

Eadem posterioris membri est ratio: Qui natus est ex Deo non potest peccare. Sancti nati sunt ex Deo. Ergo.

R. I. *ἡ δικαιοσύνη* est justitiæ operam dare, quod renati faciunt in hac vitâ, haud equidem perfectam legi obedientiam præstando, & omnes justitiæ numeros explendo (sic enim in hac vitâ nemo exercet justitiam) sed justitiam inchoando & in eâ proficiendo. *ἡ ἀμαρτία* igitur contrarium est, nempe justitiæ operam non dare, nec inchoando eam, nec proficiendo in eâ, sed ex more & consuetudine peccare. Falsum ut sit *ἡ ἀμαρτία* esse quovis modo peccare, vel ipsius Bertij judicio, quod in exceptione tertiâ protulimus. Unde & *ἡ δικαιοσύνη*, si de renatis prædicatur, in summo rigore non accipitur. Quare Davidem peccasse eo sensu, quo Bertius *ἡ ἀμαρτία* interpretatur, negamus; negante experientiâ & scripturâ poenitentiae ipsius & sanctitatis peccatum adulterij & homicidij antegressæ & secutæ teste: negante ipso Davide: qui semen DEI à se non ablatum testatur, dum spiritus Domini à se ne auferatur, petit. II. Peccata subjectis differre eo saltem respectu dici possunt, quod peccati quædam species, *in peccatum in Spiritum sanctum; & peccatum in summo gradu regnans* in electos renatos nunquam cadant: ratio est, quod Spiritus Sancti assistentis virtute perpetuo ea caveant, & poenitentiam veram in viam, à qua exorbitarunt, maturè redeant, Non adversa est igitur nobis illa Bertij conditio, *nisi vitentur*: III. In Bertianâ interpretatione phraseos Apostolicæ *peccatum facere, & non facere* prorsus acquiescimus. Describi

Hh a

verò

verò ab Apostolo dicimus, non tantum quid renati debeant, possint & soleant facere, sed & quid non possint non facere: *Non potest*, inquit Apostolus *peccare, qui ex DEO natus est*, hoc est, non potest ex more & consuetudine peccare, omnesq; peccandi occasiones captare. Non potest inquam quia non vult per regenerationis gratiam perpetuò efficacem & assistentem, quàm de re supra pluribus. IV. Quid verò illa sibi volunt, *quid si vero quis semen Deo ejiciat?* Nonne Apostolus ait, *in renato semen DEI manere?* Apostolico igitur effato firmiter credamus, & Bertianam, *ἐπιχρῆν* seu *ἀπορῆαν* mittamus. Mansio verò seminis divini in nobis non pendet primariò à nostro fovendi studio, etsi & hoc requiritur, sed à constantissimo DEI erga nos amore in Christo fundato, cujus impulsu in officio nos retinet, & extra limites evagatos revocat per veram pœnitentiam. Qui igitur, semen hoc cordibus nostris inserit, idem quoq; in nobis fovet & conservat, nostris ad obsequium præparatis cordibus. Unde renati non peccant, sed ne possunt quidem peccare, nempe ex more & consuetudine sine subsequenti pœnitentiâ, quod est ad mortem peccare. At, inquit Bertius, cum conditione verba sunt accipienda, nempe non potest peccare, si agat secundum genituram suam. R. Conditionem hanc non rejicimus. Sed nostram propterea sententiam & scripturam eludi non patimur. Si enim in quo semen DEI manet, non peccat, utiq; secundum genituram suam agat. At verum illud, teste Apostolo. Ergo & hoc. Apostolus igitur dum in renatis semen Dei manere ait, eadem quoq; secundum genituram suam agere subindicat, ita nempe ut peccandi occasiones non captent, sed vitent potius, nec ex more & consuetudine peccent sine offensâ, sed à carne quandoq; reclamante spiritu, abrepti seriâ pœnitentiâ ad opera spiritus revertantur. In Analyfi Bertianâ acquiescimus, eamq; ex Apostoli mente institutam judicamus. Hactenus Bertius.

Bellarminus locum hunc omnium esse difficilimum fatetur. Itaq; quatuor primum expositiones Patrum proponit, quas ab hoc loco alienas esse ostendit, Inprimis autem observanda expositio Bernardi, qui per semen Dei intelligit gratiam prædestinationis, ac dicit. *prædestinatos non posse peccare, non quod reverâ quandoq; non peccent, sed quod perinde sit, ac si nunquam peccare. ut, cû certum sit ejus peccata remittenda esse, imò ipsa etiam peccata eis cooperentur in bonum.* Hęc quoq; expositio, inquit *Bellarminus*, verâ doctrinam continet: sed non explicat propriè sensum Apostoli. Fatetur igitur *Bellarminus*.

larmi.

larminus electos vereq; sanctificatos nunquam DEI excidere gratiã, quæ pia & orthodoxa est sententia, cujus patrocinium suscepimus. Quatuor expositionibus, quas alienas judicat, quintam subjicit, quam approbat, & Augustino ac Hieronymo tribuit. Sententia, inquit, docet S. Johan. loqui de peccatis lethalibus non de venialibus. Nam distinguit filios Dei à filiis Diaboli per hoc, quod est peccare & non peccare, &c. Sententia igitur Apostoli hæc est, qui natus est ex Deo, non peccat, nec potest peccare lethaliter, dum perseverat filius DEI, quoniam semen illius, id est charitas, quæ omnibus peccatis lethalibus contraria est, in ipso manet.

R. I. Si lethaliter peccare idem sit, quod sine subsequente pœnitentiã peccare, nempe ex more & consuetudine, sine offensã, expositionem hanc minimè rejicimus, & inde filiorum Dei perseverantiam, quam impugnat Bellarminus, firmiter demonstramus. Nam si filij Dei, dum filij Dei sunt, non possunt lethaliter peccare, utiq; semen Dei, non possunt abjicere, verum illud ex Bellarmini sententiã. Ergo & hoc. Connexi ratio est, quia semen Dei abjicere est lethaliter peccare: Putidè igitur sibi contradicit Bellarminus, negans filios Dei, dum sunt filij DEI posse lethaliter peccare, & affirmans eosdem posse semen DEI abjicere. Cum enim semen DEI non possit abjicere, nisi qui habet semen DEI, utiq; non nisi filius DEI id abjiciet. Nam Satanæ filius cum non habeat, non potest abjicere. Si filius DEI semen DEI abjicit, sequitur & filium DEI lethaliter peccare.

II. Glosã illã, *dum perseverat DEI filius*, minimè opus est, nec ex Apostolice mente, quæstionis demonstrandæ subjecto, Qui natus est ex Deo, asuitur. Argumentum enim, quo quæstio demonstratur: *Quia semen DEI in ipso manet*, perseverantiam infert efficacissimè. In quo enim semen DEI manet, is & filius DEI manet.

III. Per semen DEI charitatem habitualement intelligi Bellarmino non concedimus: de fonte charitatis, sive Spiritu sancto, sive fide rectius Apostolice verba accipimus. Nec mover nos ratio, quam adducit. Fidem enim, quam cum quibuslibet peccatis posse consistere sibi fingit sophista, non agnoscimus, Peccatis non minus adversatur fides, quam charitas: imò peccati odium & fuga suam fidei debet originem, unã cum charitate, quæ perpetuus fidei effectus est.

Quod si verò, uti Bellarminus ait, nullo modo fieri potest, ut sit prævaricator, qui charitatẽ habet, quanta quidẽ in hac vitã haberi potest, sequitur.

aut neminem renatum esse prævaricatorem, aut charitate præditum esse neminem. Utrumq; certè falsum, scripturæ & experientiæ contrarium. Sed ex hac Bellarmini assertionem validum pro sententiâ nostrâ argumentum necitimus; si fieri nullo modo potest, ut sit prævaricator, qui charitatem habet, sequitur, charitatem nunquam posse admitti. Prius ex Bellarmini sententiâ verum. Ergo & posterius. Cui tamen Bellarminus contradicit. Connexi ratio est, Quia non potest amitti charitas, nisi per peccata continuata charitati repugnantia. Si ergo charitas hujusmodi peccata ab homine committi non patitur, utique ab ijs ex homine nunquam exturbabitur.

Excipit Meisnerus i. locum hunc à Calvinianis contra Lutheranos non posse allegari, eò quod Apostolus non negat excussionem gratiæ, sed omne peccatum. At renatos labi posse etiam Calviniani docent. ii. Optimam loci hujus interpretationem esse, si intelligatur reduplicativè. Natus ex DEO non peccat, scilicet qua talis, quatenus ex Deo natus est. iii. Invariabilem Spiritus sancti inhabitationem à Johanne non probari, ex vers. 15. ostendi posse; *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, & scitis, quod omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.* Quærit hæc, An renatus aliquis possit fieri homicida? Producit exemplum Davidis: Unde concludit, quærendam esse loci *διὰ νοίας*, quam attulit, nempe reduplicativam, quatenus ex DEO natus est, qui in eo manet. Subjicit hæc & approbat quorundam responsionem, qui dicunt Johannem per vocem peccandi non intelligere peccatum quodvis, sed potius peccatum malitiosum, contra conscientiam & deditâ operâ perpetratum. Reliqua, quæ subjicit, ex Bertio sunt depromta, de quibus supra.

R. I. Contra Lutheranos Apostasiæ patronos locum hunc omni jure producimur, cum evidentissimè sententiam nostram approbet, unde ipsius Arminij, qui omnium apostasiæ fautorum facilè princeps est, judicio argumentum ex hoc loco petitum omnium firmissimum est. Non autem à quovis peccato renatos eximi ipse fatetur Meisnerus, ut è verbis illius modo allegatis palam est. II. Reduplicatio nobis adversa non est, Nec enim non renati, sed renati dicuntur non peccare, non posse peccare. Sic igitur ex adversarij concessione & interpretatione colligimus. Si renati, dum sunt renati, seu, ut, in sequentibus loquitur, pij, quam diu sunt pij, non peccant nec possunt peccare, utiq; omnia peccata sedulo cavent, gratiam

COR -

concessam non excutiunt. At renati omnia peccata sedulo caveant. Ergo concessam gratiam non excutiunt. Non, inquit, excutiunt gratiam, dum sedulo caveant, Quid si verò sedulo non caveant? R. si renati, dum sunt renati, non caveant sedulo peccata, falsum utiq; est, renatos, dum sunt renati, non peccare, quod modo ajebas. Quid verò attinet illis dubitationum carnificinis conscientias excruciare; *renati quidem non peccant, & vite aeternae spem habent, quid si verò tu ex renato fiat non renatus? quid si concessam tibi gratiam excutias* Nonne expressa satis sunt Apostoli verba, *Semen Dei manet in ipso*. Deniq; nisi peccare convenienter explicetur, assertio: *p̄ quamdiu sunt p̄, non peccant*: simpliciter vera non erit, nisi dicas, regenerationem in hac vitâ perfectam esse, piosq; ab omni prorsus peccato exemptos, vel quamp̄imum quocunq; modo peccant, à regeneratione penitus degenerare: quæ longe sunt falsissima. III. Invariabilem igitur Spiritus Sancti inhabitationem, excusationi oppositam, loquuntur hæc Apostoli verba. Nec contrarium probat Meisnerus, ijs enim homicidis, qui vitam æternam in se manentem non habent, Davidem minimè accensimus, nec quemvis alium verè renatum: convenientem igitur *διὰ νοίαν* & ipsi quærimus: Aliorum responsio quam subjicit & approbat, si cum ijs, quæ ante dixerat de reduplicatione, conferatur, hanc paraphrasin nobis exhibebit, Renati, quæ sunt renati, peccant quidem, sed non quovis modo, quæ an satis sit idonea, ipse viderit. Ipsa responsio in se nobis non adversatur. Interim genuinam loci hujus interpretationem non est quod à Lutheranis petamus. Tam enim nobis scripturæ & veterum monumenta patent, quàm ipsis.

Excipit Eckardus in fasciculo I. particulam *ὅτι* (*ὅτι* *ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἐγενήθη*) Apostolo significare quatenus. II. verba hæc *ὅτι ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἐγενήθη* ad descriptionem subjecti propositionis apostolicæ (*qui natus est ex DEO*) pertinere: idq; probat ex versu antecedente 6: *Qui in eo manet, non peccat*. III. Ex Johanne conclusionem potiùs contrariam extrui, hunc in modum:

In quocunq; manet semen DEI, ille peccatum contra conscientiam non committit. David Adulter & homicida peccatum contra conscientiam commisit.

Ergo in Davide adultero & homicidâ semen DEI non mansit.

R. I. Audaciam hominis hujus in pervertendâ scripturâ, & in sententiam suam

suam

suam quasi obtorto collo trahendâ satis mirari nequeo: Idq; tanto magis, quod non scripturæ tantum sed & grammaticæ bellum, indicat. Quis unquam mortalium apud grammaticos vel lexiographos legit ὅτι significare *quatenus*. Ne tamen hominis hujus phantasma quicquam detrimenti caperet, etiam græcæ voculæ proprietati vis erat inferenda, sed Dictatorem hunc iniquum non audimus, nisi græcæ literaturæ diplomate munitus fidem nobis faciat. II. Ex uno paradoxo in aliud incidit, Nullus, quod equidem sciam, (nec contrario exemplo, nisi ex Lutherano forsan glossam, hanc paradoxam depromserit Eckardus, me refutari posse crediderim) Nullus inquam, interpretum fuit, qui verba illa ὅτι σπέρμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ μένει, rationis seu argumenti vim habere non agnoverit. Solus Eckardus ad Apostolicæ propositionis subjectum tanquam descriptionem pertinere ait, nempe ex unico illo fundamento, quod ὅτι significet quatenus, hac enim suppositâ & concessâ significatione glossam suam ἀναντιρρήτως obtinet, Illa verò, quam allegat, ratio, nullius prorsus est sequelæ. In versu 6. verba, *qui in eo manet*, ad subjectum propositionis pertinent. Ergo in versu 9. verba ὅτι σπέρμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ μένει itidem ad subjectum propositionis pertinent. Egregiam verò colligendi & relolvendi rationem! in versu 6. ὁ ἐν αὐτῷ μένων subjecti loco poni nemo ambigit: Est enim axioma simplex negatum, sine negationis ratione: *Qui in ipso manet, non peccat*: In versu verò 9. verba ὅτι σπέρμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ μένει à præcedenti axioma negato, ὁ γεγεννημένον ἐκ τοῦ θεοῦ ἁμαρτάνει & ποιεῖ tanquam approbationem distinguere, omnes hæctenus scripturæ interpretes judicaverunt & judicant, qui verba saltem intelligunt, & rationis lumine destituti non sunt. Poterat quoq; Eckhardus judicare (& si non credo hominem hæc ex scientia loqui) si ad versiculi 8. & 9. oppositionem attendisset; versiculi 8. propositio affirmata est: *Qui facit peccatum ex Diabolo est*; Approbatio hujus propositionis statim subijcitur, ὅτι ἀπὸ ἀρχῆς ὁ διάβολος ἁμαρτάνει, *quia ab initio Diabolus peccat*, Versiculi 9. propositio negata est, *Qui natus est ex DEO peccatum non facit*, approbatio propositionis subijcitur, ὅτι σπέρμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ μένει *quia semen ejus in ipso manet*. Quid attinet quælo in re tam manifestâ perplexari? Aut forsan & verba posteriora versiculi 8. ὅτι ἀπὸ ἀρχῆς διάβολος ἁμαρτάνει pertinent ad descriptionem prædicati propositionis Apostolicæ! Glossa igitur hæc erit: *Qui facit peccatum ex Diabolo*

Diabolo

Diabolo est, quatenus Diabolus ab initio peccat. Hæc enarrasse est refutasse. III. Propositi syllogismi propositio universaliter vera non est, Nisi fortè peccatum contra conscientiam id Adversarius intelligat, quod perpetratur non à tantumsciente, sed & pleno consensu volente: spiritu carnis cupiditati & violentiæ non reclamante: quomodo adulterium & homicidium à Davide commissum negamus. Nunquam enim regenerationis spiritus in renato tam est otiosus, ut carnis libidini non repugnet, etiamsi haud raro libidinem suam caro implet, & imperium spiritus detrectat.

XXXIV. I. Joh. 5. v. 4. *Quicquid natum est ex DEO, vincit mundum.*

Unde sic arguo:

Qui mundum vincunt, sanctitatis totalem & finalem jacturam non faciunt. Atqui fideles, nati ex Deo, mundum vincunt, Ergo sanctitatis totalem ac finalem jacturam non faciunt.

Propositio manifesta est: contradicunt n. mundum vincere, & finale ac totalem sanctitatis jacturam facere, h. e. vinci à mundo. Assumptio Apostoli est.

Excipiunt Remonstrantes i. locum hunc ita à Johanne explicari, ut manifestè faciat ad confirmandam sententiam suam: quando subjungit: *& hæc est victoria, que vincit mundum, fides scilicet nostra.* Fide igitur conservatâ vincunt filij DEI, At quæstio est, an fidei scutum per crucem & infirmitatem non possint abjicere, aut per negligentiam amittere, adeoq; superari qui alioqui per fidem victoriâ erant potituri? II. Posse eos, qui semel mundum superarunt cum Demade iterum ad amorem præsentis seculi relabi. R. I. Locus hic sententiæ Remonstrantium è diametro repugnat. Apostolus enim ait, *nos fide nostrâ mundum vincere.* Remonstrantes ajunt fidem nostram à mundo vinci. At, inquirunt, fide conservatâ nati ex Deo vincunt mundum? Quid ni inquam conservatâ? Nam si mundum vincunt renati, utiq; fidem conservant; si fidem non conservant à mundo vincuntur. At non vinci renatos à mundo, sed mundum vincere Apostolus ait, præsupponit igitur perseverantiam in fide, sine quâ victoria de mûdo reportari nequit. Fluctuatio igitur, *Quid si fidei scutum per crucem abijciatur aut per negligentiam amittatur?* ab Apostolo eliditur. Nam si nati ex Deo fide suâ mundum vincunt, utiq; scutum non abijciunt vel amittunt, alias non vinceret mundum sed à mundo vincerentur contra assertionem Apostoli. II. Quid possint per se fideles, non disputamus, sed quid per Dei gratiam ijs obtingat, quid virtute Dei faciant, quid fieri de ijs Deus velit aut nolit. Unde respectu gratiæ ipsis

concessæ, quæ voluntates efficaciter movet, & ab æterno ac immutabili electionis decreto pendet, eos totaliter ac finaliter ad præsentis seculi amorem relabi, deficere, aut posse deficere negamus: idq; cum ex alijs tum ex hoc quoq; Apostoli loco probamus. Nam si spiritualis nativitatis bono mundum vincunt, & quidem volentes vincunt, utiq; ad præsentis seculi amorem non relabuntur nec possunt relabi, quia nolunt relabi. Observandum autem cum fidelibus victoribus promittantur *vestimenta alba*, Apoc. 3. v. 5. victorem à scripturâ cum non nominari vel haberi, qui in conflictu cum mundo finaliter tandem succumbit, & vincitur: unde & hoc loco nati ex DEO mundum intelliguntur finaliter vincere. Victorum enim nomine indigni sunt, qui tandem vincuntur: cum victoria hæc non æstimetur, nisi ex fine. In viâ enim dum adhuc sumus non tam vincimus, quàm cum spe finalis victoriæ dimicamus. Nec obstat nobis Demas: fuit enim is verè fidelis aut hypocrita: Si hypocrita, exemplum alienum est. Si verè fidelis ita Paulum reliquit, ut fidem propterea penitus non dereliquerit: ita præsens seculum est amplexus, ut tamen se totum ei non consecravit, Deiq; amorem totaliter & finaliter pectore suo excusserit.

XXXV. 1. Joh. 5. v. 18. *Qui genitus est ex Deo, conservat se ipsum, & malus ille non tangit eum.* Unde sic arguo:

Qui seipsum conservat & à malo non tangitur, is nec totaliter nec finaliter deficit. At qui fidelis seu genitus ex Deo conservat seipsum, & à malo non tangitur. Ergo.

Excipiunt Remonstrantes, non proponi hîc aliud, quam qui illi sint, qui jure titulo filiorum DEI insigniri possunt: nimirum ij qui naturam filiorum Dei vel divinæ regenerationis ipsis operibus exprimunt, quæ cum ea congruunt & faciunt ad conservandos homines ad æternam vitam: quod quàm diu is, qui ex Deo genitus, observat, conservat se ipsum, & improbus ille non tangit eum, imò quæ ex Deo natus est, movet ipsum virtus divina, ut illud observet. Esset enim, inquiunt, monstruosum quid, si quis suum ipsius interitum moliretur.

R. Apostoli verba expressè docent filios DEI conservare seipsos, & filios DEI non tangi à malo. De modo conservandi cum Remonstrantibus non litigabimus. Certum tamen est, nec negant id ipsum Remonstrantes, filios DEI conservare semetipsos per semen Dei, quod in ipsis manet. Non est igitur apostasiæ locus. At, inquiunt, Conservant se ipsos,

se ipsos, si operibus naturam filiorum DEI exprimant. R. Se ipsos conservare aliud nihil est, quam in operum, quæ naturæ filiorum DEI congruunt, studio perseverare virtute seminis DEI inhabitantis. Quod si verò ab operibus hisce penitus desistunt filij Dei, falsum est Apostoli pronunciatum, qui natus est ex Deo, conservat se ipsum. At consequens blasphemum. Falsum igitur antecedens. Si qui natus est ex Deo, in Diaboli calles incidere, ijsq; æternum implicatus hæreret, quæ vera esse possent Apostoli verba, *Malus ille non tangit eum?* Ajunt Remonstrantes, virtute divinâ moveri filios DEI, ut observent, quod est proprium filiorum DEI: motio hæc si efficax est, falsitatis arguitur sententia Remonstrantium: obtemperabunt enim ei filij Dei, & observabunt, quæ conveniunt naturæ filiorum Dei. Si inefficax, frustranea erit, quod absurdum. Deniq; si monstruosum est, suum ipsius interitum moliri, utiq; non est verisimile in DEI filios monstrum hoc cadere.

Hactenus sententia orthodoxa de sanctorum perseverantiâ approbata & scripturæ dicta à falsis glossis vindicata.

CAPUT XXVIII.

RECENSENTUR ARGUMENTA XIV. QUIBUS DOCTRINA orthodoxa de sanctorum perseverantiâ impugnatur.

SENTENTIAM hactenus propugnatam totis viribus impugnant Pontificij Lutherani, Remonstrantes: omnium instar nobis erit *Petrus Bertius Belga*, cujus libellum *de apostasiâ sanctorum aureum* non nemo ex Lutheranorum Theologorum proceribus appellat. Nec fuisse credo qui tanto conatu infamem hanc de sanctorum apostasiâ causam egerit, quam Bertius, qui mathematicæ accuratationis laudem videtur ambijsse, collectis omnibus sodalium suorum copijs, & in certos ordines redactis. Ita autem in conflictu hoc versabimur, ut simul subsidiarias aliorum copias non simus neglecturi: Primum igitur argumenta ipsius ordine recensebimus, hoc quidem capite 14. in sequenti peculiariter decimum quintum & ultimum, quo plurib. absurdis sententiam orthodoxam nititur exosam reddere. Deinde solutionem subjiciemus. Deniq; consecutaria sententiæ Bertianæ

trianæ nostræ sententiæ applicabimus. Argumenta 14. sic ordine habent :
 I. Qui potest *excidere, avertere se à justitiâ, à gratia excidere; deficere à DEO vivente; reddi sal insulsum: deficere à fide: excidere à propriâ stabilitate: aver- sari eum, qui est in cælis: extinguere spiritum: naufragium fidei facere: abijce- re fiduciam: abnegare Dominum: degenerare in vitem alienam*, is potest ju- stitiam suam priorem deserere. Atqui justus potest *se avertere à justitiâ, Ezech. 33. v. 18. excidere gratiâ Gal. 5. v. 4. deficere à Deo vivente: Hebr. 3. v. 12. reddi sal insulsum Marc. 9. v. 50. deficere à fide 1. Tim. 4. v. 1. excidere à propriâ stabilitate. 2. Pet. 3. v. 17. Aversari eum qui est in cælis, Heb. 12. v. 25. extinguer e spiritum 1. Thes. 5. vers. 19. naufragium fidei facere 1. Timoth. 1. vers. 19. Abjicere fiduciam Hebr. 10. vers. 35. Annegare Dominum, 2. Petr. 2. vers. 1. degenerare in vitem alienam Jer. 2. vers. 21.* Ergo justus potest justitiam suam deserere.

II. Quod *angelis beatis, quod Adamo & Eve* verè sanctis accidit, quod factum in alijs plurimis scriptura deplorat, id omnibus sanctis fieri potest. Atqui *Angeli plurimi, Adam & Eva à justitiâ & sanctitate suâ defecerunt, ait idem scriptura de Saule 1. Sam. 15. v. 11. de Hymeneo & Phileto 2 Tim. 2. v. 17. de Salomone 1 Reg. 11. Demâ 2 Tim. 4. v. 10. de Nicolao Diacono, de populo Dei Jes. 1. v. 21. Jes. 30. v. 1. futurum etiam prædicat Petrus 2 Pet. 2. v. 1. & Paulus 1. Tim. 4. v. 1.* Ergo & sancti alij possunt totaliter & finaliter deficere.

III. Si justus non posset justitiam suam deserere, finis ipsi propositus es- set, non *conditionalis sed necessarius*: neq; unquam contingeret, ut DEUS posthabitâ justitiâ priore eum mortis æternæ reum pronunciaret. Atqui *finis est propositus conditionalis. Ezech. 17. v. 15. 1 Cor. 15. v. 2. Rom. 11. v. 7. Heb. 3. v. 7. Deus nullâ habitâ prioris justitiæ ratione quandoq; electum re- um mortis æternæ pronunciat. Ezech. 33. v. 13. & 18. Heb. 10. v. 38.* Ergo fal- tum est justum non posse justitiam suam deserere.

IV. Qui metu rejectionis in officio continentur, ij possunt de statu exci- dere. Atqui sancti metu rejectionis in officio continentur. 1 Cor. 9. v. 27. Marc. 9. v. 50. Joh 15. v. 5. Philip. 2. v. 14. &c. Ergo.

V. Qui possunt *peccare contra conscientiam: occasiones oblatas contemne- re: horrere persecutiones: illecebris voluptatum transverso cursu rapi: studio divitiarum suffocare sermonem: deceptionibus fidem adhibere, contemptu fra- trum laborare: negligere pœnitentiam: cor indurare: obniti spiritui: extingue- re spiritum: tristitiâ afficere: ij non possunt justitiam priorem deserere.* Atqui

just

justi & sancti possunt peccare contra conscientiam Rom. 1. v. 21. occasiones oblatas contemnere 2 Cor. 6. v. 2. Heb. 3. v. 12. Joh. 12. v. 35. horrere persecutiones Matt. 13. v. 20. illecebris voluptatum transverso cursu rapi 2. Pet. 2. v. 18 divitiarum studio sermonem suffocare. Matt. 13. v. 22. 1. Tim. 6. v. 20. deceptionibus fidem adhibere Matt. 24. Surgent pseudoprophetae &c. 2. Cor. 11. v. 3. contemptu fratrum laborare, negligere poenitentiam Apoc. 2. v. 15. cor indurare. Psal. 95. Heb. 3. v. 13. obniti spiritui Act. 7. v. 51. extinguere spiritum 1 Thes. 5. v. 19. tristitia afficere. Eph. 4. v. 30. Ergo.

VI. Qui studio integræ conscientia, curâ precibus, vigilijs, sancto timore & fide, apostasiam potest vitare, is istorum omissione potest à justitiâ deficere. At quilibet sanctus hisce medijs apostasiam potest vitare, Ergo.

VII. Cui remissa sunt omnia peccata, is est verè justificatus. At talis potest finaliter relabi & damnari. Ergo. Assumptio prob. ex parabolâ Matt. 18. v. 27. in quâ Rex servo deprecanti debitum 10000 talentorum remisisse legitur, eumque in integrum restituisse, quem postmodum tradidit tormentibus.

VIII. E quo ejectus est Dæmon, is verè justificatus est, Atqui talis potest securitate & neglectu relabi in statum priorem: Ergo qui semel est verè justificatus, relabi potest in conditionem peiorem.

IX. Quod augeri & minui potest, id etiam potest annihilari. Atqui fides augeri & minui potest. Ergo.

X. Si nec justitia, nec fides, nec sanctitas deseritur, nulli erunt apostatae. Atqui sunt. Ergo.

XI. Si justitia non deseritur, nemo potest deleri ex libro vitæ: Atqui fieri potest, ut aliquis deleatur. Exod. 32. v. 32. *dele me de libro*: Dixit Jehova, *eum qui peccaverit, delebo de libro*. Psalm 69. v. 29. *Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur*.

XII. Justi possunt agere secundum principium mali h. e. carnem, Ergo principio hoc ejusq; actione possunt extinguere operationes spiritus.

XIII. Si justitia non posset deseri, sed necessarium esset justos perseverare, irritæ essent exhortationes de eâ non deserendâ, inania essent ad perseverantiam consilia: inanis esset metus, qui incutitur; Atqui hæc non sunt inania. Ergo.

XIV. Si possunt etiam per carnis cupiditates inescari ij, qui ὄντως (verè) effugerunt eos, qui in errore versantur, sequitur sanctos non posse deficere totaliter & finaliter. Atqui verum prius 2. Pet. 2. v. 18.

CAPUT XXIX.

RECENSETUR ARGUMENTUM XV; QVOD ABSURDA CONTINET, QUÆ SENTENTIÆ ORTHODOXÆ DE IMMUTABILITATE SANCTORUM PERSEVERANTIÆ IMPINGUNTUR.

ARGUMENTUM TALE EST:

QVAM SENTENTIAM PLURIMA SEQUUNTUR ABSURDA, EA EST IMPIA. ATQUI SENTENTIAM NOSTRAM DE IMMUTABILITATE ELECTIONIS PLURIMA SEQUUNTUR ABSURDA. Ergo.

Assumptio probatur.

Sequitur enim

I. Non esse veras virtutes ullas, nisi in ijs, quos vocamus electos, & proinde quicquid alij faciunt, licet verum, honestum & bonum videatur, peccatum esse.

II. Affectionem dari sine subiecto. Apostasia enim non est electorum, si nunquam deficiunt: nec reproborum, quia hi gratiam nunquam habuerunt non igitur eam possunt deserere & amittere, Nullorum igitur est, sine subiecto igitur est.

III. Eandem actionem in electo posse esse honestam & DEO gratam, in reprobo autem peccatum esse, electis item remitti maxima peccata: reprobis ne minima quidem, Nihil esse facilius quam perseverare, quia non possunt non perseverare.

IV. Defectionis piorum temporaneam causam esse subductionem gratia temporaneam, quam idcirco procurat DEUS, ut ostendat ipsis alijsq; quam nihil per se possint: atq; ita ducantur ad notitiam sui vel invocationem DEI. Hinc verò sequi Deum esse causam immediatam lapsus Davidis. Nam si id, quo primum posito res ponitur, & quo primum sublato res tollitur, est causa immediata cuiusq; rei, certè sicut positio ejus rei causa erit, cur aliquid sit, ita sublatio rei erit causa, cur non sit. At positio gratia est causa cur David stet: Ergo subductio gratia est causa, cur David cadat, & quidem immediata per se & non ex accidente. Item, Deus per lapsum vult Davidem deducere ad agnitionem DEI, quæna finem David non intendit. Ergo

go Deus lapsum Davidis per se causat. Ratio consequentiæ Quia in practicis is causa per se, qui agit propter finem, & ad illum finem cætera disponit & ordinat.

V. *Esse quædam peccata, quæ Christi merito condonari non possunt; non quidem propter delicti quantitatem, sed propter delinquentis statum.*

VI. *Facilius esse ad apostasiam devolvi aliquam Ecclesiam particularem, quam unum verè credentem.* Ecclesia enim aliqua particularis & gens tota potest deficere, ut scribit de gente Judaicâ Apostolus Gal. 4, v. 25. Unus aliquis electus non potest.

VII. *Baptismum non obsignare certò in omnibus liberis fidelium gratiam DEI;* cum antecedente decreto ab æterno nonnulli absolutè sint reprobati.

VIII. *Apostasia extrema causam non esse præelectioni spontaneæ adscribendam, sed necessitati externa ordinationis.*

IX. *Licere fidelibus esse sine timore & solitudine, quia sunt sine periculo.*

X. *Non esse in renatis, quantisper hic militant, potentiam ad utrumq; extremorum oppositorum: aut si sit nunquam potentiam illam exire in actum, unde consequens, eos esse in statu gloriæ.*

XI. *Perseverantiam, fidem, justitiam, charitatem non esse bona moralia, sed naturalia.*

XII. *Electos non posse in peccato mortali extinguere, & proinde, si semper peccent mortaliter, nunquam morituros.*

XIII. *Credientes ne peccatis quidem suis posse separari à dilectione.*

XIV. *Peccata non tantum non obesse, sed etiam proficere ad salutem fidelium.*

XV. *Perseverantiam aliq; bona animi, esse necessaria quidem sanctis, non tamen morali necessitate.*

CAPUT XXX.

PRÆMITTUNTUR FUNDAMENTA QUÆDAM
generalia solutionum.

NE eandem responsionem sæpius cogamur iterare, generalia quædam solutionum fundamenta præmittemus, ad quæ deinde in solutione speciali provocabimus: sit igitur.

I.

Verè sancti, hoc est, electi sanctificati in se considerati & nature nondum perfe-

perfectè renata viribus estimari, possunt totaliter & finaliter justitiam ac fidem deserere. Respectu vero gratiosissime DEI voluntatis, quæ sanctorum imbecillitas enim per petuò vult sustentari, & mediis efficacissimis sustentat, non possunt.

Naturæ nostræ imbecillitatem ac inconstantiam loquuntur gravissimè etiam sanctissimorum hominum lapsus: è quibus eluctari non potuissent, nisi omnipotente Dei manu extracti fuissent, Itaq; si è nostris æstimemur viribus, tanta hostium nostrorum est potentia, ut vix ad momentum frontem ipsorum obvertere & tueri nos possimus, nedum toto viræ nostræ curriculo perseverare & Marte nostro victoriam obtinere: Aliunde igitur perseverantiæ immutabilitatem oportet derivemus, ejusq; immotam spem in pectora nostra corrivemus: Nempe ex potentissimâ & gravissimâ Dei erga nos voluntate, & præsentissimo in extremis periculis auxilio. *Væ credenti*, exclamat Aug. Ps. 121, *nisi fidem ipsius Dominus prorogat!* Non habitâ igitur imbecillitatis virium nostrarum ratione, ore confitemur & corde credimus, nihil esse quod nos possit separare penitus à dilectione Dei, quæ est in Christo Jesu Rom. 8. Et quidem non posse nos Dei gratiâ penitus excidere docemus, non quod DEUS simpliciter nos non possit reijcere, sed quod nolit reijcere, non quod natura nostra in se ad utrumq; oppositum non sit indifferens, sed quod ab altero oppositorum per infallibilia media, salvâ libertate nostrâ, clementissimus DEUS nos abstrahat. Hoc igitur scutum nostrum est, quod Satanæ, mundo & carni nostræ peccatrici objicimus: ab immobili hac inchorâ perseverantiæ & salutis nostræ pendet certitudo: Robori suo qui multa vendicant, ex electorum numero se excludunt. *Quæ enim infirma in mundo sunt, elegit Deus, ut pudefaciat robusta.* 1. Cor. 1. v. 28. Hinc potentiam suam per infirmitatem perfici ipse Deus ait 2. Cor. 12. v. 9. Hoc igitur probandum Adversarijs incumbit, velle DEUM permittere, ut justitiam ac fidem penitus deseramus, & ad damnatorum castra transeamus.

Excipit Bertius responsione hac nos petere τὸ ἐν ἄρχῆ: postulatum enim suum fuisse. *Nullam esse electionem aut reprobationem absolutam.* R. Decretum ita absolutum, quod ad finem ordinet sine ullo respectu ad media, nullum agnoscimus. Sed non acquiescit Bertius, & nescio quod sententiæ nostræ monstrum affingat. *Decretum*, inquit *illud si quod esset hujusmodi, pugnaret adversa fronte cum verbo. Verbi enim vox est, si justus deseruerit justitiam suam priorcm, morietur: si sal fuerit infatuatum, abijcietur foras, si palmes*

palmas in Christo fructum non tulerit, excindetur. Decretum verò est tale. Electus iste etiamsi deserat justitiam suam, tamen non morietur: licet sal infatuetur, non abicietur foras: etsi palmes fructum non ferat, non excindetur: Redibit enim ad se, imò vero retrahetur ad Deum, & pristina justitiæ restaurabitur. R. Anne verò ita nos docemus? Nonne contradictoria esse docemus, electum sanctificatum esse & justitiam fidei deserere? Quid enim aliàs attineret, sanctorum immutabilem perseverantiam propugnare, si proprijs eandem hypothesebus everteremus. Absit ergo, absit, Bertius, ut tuum tibi concedamus postulatù, eo sensu quo postulas: absit ut pugnantes in Deo voluntates ponamus. Ita verò respectibus eventus distinguimus, ut propterea voluntatem & præelectionem non excludamus. Nec enim in executione decreti Deus agit cum hominibus tanquam cum brutis aut stipitibus; sed ut cum creaturis rationalibus, quas ad præfixum scopum deducit, per media naturæ ipsorum convenientia. Pergit Bertius: *Apertè, inquit, dicunt, ego quidem peccare possum, sed DEUS me rejicere propter peccatum non potest?* R. Non de potentiâ, sed de voluntate Dei loquimur. Peccare possumus & proh dolor! peccamus, Deus tamen propter peccata nos rejicere non vult. Unde apparet confectarijs suis, quæ è conceptâ suâ phantasiâ deducit, sententiam nostram minimè lædi: etsi non omnia æquè sunt absurda. Absurdissima sunt I. *Deum facere imbecillum in exequendo eo, quod verbo suo revelavit.* II. *majorem homini adscribere potentiâ ad peccandum, quàm Deo ad justè judicandum.* III. *Scripturas ipsas & naturam Dei oppugnare & evertere.* Hæc ne Satan quidem contra DEUM ausit eructare: tantum abest, ut nostra ea agnoscamus, aut ex hypothese nostrâ deduci posse concedamus. Hypothesis à Bertio concepta si monstralia parturit, ad parentem ea suum remittimus Peccata verò quædam, licet gravissima, non habere vim ad quosdam condemnandos, si dextrè accipiatur, absurdum non est. Etiam si enim omnia peccata in se considerata damnationem merentur, & lethalia sunt, ἀλεξιφάρμακον tamen in Christo habemus longè certissimum, quo vis illa peccati enervatur, & in vitam mortui in peccatis asserimur: Unde non habitâ ratione reliquiarum peccati, quibus ij, qui sunt in Christo Jesu, adhuc obnoxij sunt, Paulus scribit Roman. 8. vers. 2. *nullam esse condemnationem in is, qui sunt in Christo Jesu.* Deinde peccata subjectis aliquâ ex parte distinguere absurdum non est. Nam & in politicâ vitâ personæ consideratio peccatum ingreditur,

Kk

& pro-

& propter eam exaggeratur, Sic & verè fidelibus omnia remittuntur peccata, propter Christum, quæ nisi fidelibus non remittuntur:

II.

Ex hypothetica non rectè inferitur categorica, omiſſa conditione.

Exempli gratia, cum dicit Deus: *Si justus deseruerit justitiam suam, morietur.* Adversarius colligit, *Ergo justus potest mori.* Conditionem, quæ est justitiæ desertio, planè omittit. Pergit. *At tamen in banc categoricam rectè hypothetica mutatur,* justus deserens justitiam suam morietur. Rectè inquam. Conditio enim in subjecti descriptione, *deserens justitiam,* latet. Sed quid inde? Non negamus hoc. Nec quæstio est, *an justus deserens justitiam moriatur, sed an justus deserat justitiam?* At omnis hypothetica, ait adversarius, *quæ promissionem aut comminationem habet, cum conditione rei alicujus præstanda, licet nihil determinatè statuatur de singulari aliquâ personâ inesse: tamen semper ponit potentiam.* R. i. nego hypotheticam, qualem describit Adversarius, potentiam semper ponere: Exempli gratiâ, DEUS Jes. 41. gloriam suam contra idola asserens, si sensum & scopum imò verba Dei attendas, talem hypotheticam proponit: *Si idola vestra futuras res prædixerint, veri erunt Dij.* En hypotheticam, *Si idola &c.* En promissionem, *veri erunt Dy,* En conditionem rei præstandæ, *Si res futuras prædixerint.* Anne verò hîc potentiam agnoscit Adversarius? Dicit igitur fieri posse, ut idola sint veri Dij: blasphemia hæc est, & DEI scopo expressè contraria. Hoc enim ipsum demonstrat Deus, non posse idola esse veros Deos. Exemplum extra scripturam sumamus, cui tamen sua constet veritas, *Si Judas in inferno constitutus, credat in Dei filium, habebit vitam æternam.* Vera est hypothetica: *quicumq; enim credit in DEI filium, habebit vitam æternam.* Joh. 3. En promissionem, *Judas habebit vitam æternam:* En annexam conditionem: *Si crediderit in Dei filium.* Anne verò heîc potentia? nulla: nec enim Judas ex inferno ad æternam vitam potest emergere, ut constat ex responso Abrahami ad Epulonem: nec idem potest in Dei filium credere, quia in inferno jam constitutus. Hoc si forte displiceat, en aliud ex ipso veritatis ore depromptum: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata:* Matth. 19. v. 17. Item, *Fac hoc & vives.* Lucæ: 10. v. 28. En hypotheticam ex mente CHRISTI: *Si exactam legi obedientiam præstiteris, vives, seu ad vitam ingredieris.* Promissionem agnoscis: *ad vitam ingredieris:* Conditio quoq; est expressa: *si exactam legi obedientiam præstiteris.* Tunc credideris in Pharisæo fuisse po-
tentiam

sentiam ad præstandam conditionem exactæ obedientiæ? Errorem igitur tuum agnosce & emenda. Respond. 2. Si maximè hypothetica, Si justus deseruerit justitiam suam, morietur, aliquam in homine ponat potentiam, ita ut is dicatur, in se & sibi relictus posse deserere justitiam, posse mori, in Deo tamen non ponit. Quod ita intellectum volumus, justus, quia apostasiæ periculum Deus avertit, non potest deserere justitiam, non potest mori: vel Deus nunquam vult, ut justus deserat justitiam suam, ut moriatur: & sic limitatè non posse dicitur, cum nolit: dicitur enim Deus id non posse facere, quod non vult facere.

III.

Etamsi justus justitiam suam nunquam nec potest nec vult deserere: quia voluntas conservandi justum & apostasiæ periculum avertendi in Deo est constantissima & planè immutabilis: tamen adhortationes ad perseverantiam, & dehortationes à peccatis fidem extinguentibus & Spiritum S. excutientibus non sunt inanes.

I. Quia DEUS in fide nos decrevit conservare, sed non sine nobis: non enim agit nobiscum, ut cum stipitibus aut lapidibus, sed ut cum creaturis rationalibus, voluntate & eligendi potestate præditis. Itaq; exhortationes ad perseverantiam & dehortationes ab apostasiâ sunt media, quibus DEUS in nobis perseverantiam efficacissimè operatur; accedente nimirum internâ Spiritui S. operatione, voluntatem nostram ad obedientiam flectente.

II. Quia nostræ nos imbecillitatis admonent, ut de viribus nostris quasi desperantes, ad solam DEI misericordiam fugiamus, ejus auxilium imploremus, & salutis nostræ certitudinem à solo DEO pendere agnoscamus: conservat enim DEUS, à quibus invocatur: ut invocemus, propositis præmijs & pœnis exhortatur, & efficaciter movet.

III. Quia hæc ipsa adhortamenta sunt fidei alimenta: à peccatis avocant, in quæ electi possunt prolabi, fidem labefactare & DEUM gravissimè offendere.

IV.

Vera fides est non tantum salvifica sed & historica, & temporaria. Salvifica tamen solorum est electorum, per quam justificantur imputatâ ipsis Christi justitiâ, qua justus dicuntur & coram DEO reputantur. Historica in Diabolo quoq; cadit: Temporaria quoq; in reprobos.

Apostatae igitur à salvificâ & justificante fide dantur nulli: nec enim deserunt fidei justitiam, qui semel eâ sunt præditi. & temperariâ fide deficiunt, quicumque à fide dicuntur deficere aut defecisse. Sunt autem fidei huic quædam communia cum fide justificante, quæ bonorum verorum nomine indigitari possunt; ut sunt *agnitio veritatis, professio non simulata*, cui conscientia reclamet, *assensus mentis, affectus aliquis cordis, quem Zelus* interdum sequitur non prorsus hypocriticus, *externæ sanctitatis studium*. Hæc bona simul deserunt, qui à fide temporariâ deficiunt. Propria verò fidei justificantis bona, quæ nunquam deseruntur, & à fide temporaneâ aliena sunt, hæc à nobis agnoscuntur, I. *ἀνετακλίυητος specialis misericordie fiducia*, quæ conjuncta est cum applicatione meriti Christi. II. *Letitia spiritalis sincera* à nullis externis orta causis, sed ex solo divinæ misericordie sensu. III. *Dilectio Christi omnes superans adversitates*, quæ conjuncta est cum pio offensæ metu. IV. *Intimus futurae felicitatis & immortalitatis sensus in ipsis etiam calamitatibus*. V. *Spes gloriae quæ non pudefacit*. Apostatas *ωρεγοναίεγους*, de quibus ante diximus, nostri plerumq; hypocritas nominant, non quod vera penes ipsos bona nulla sint, sed quod radicata non sint, qualia in electis sunt fide justificante præditi, quod è legitimis omnia causis orta non sint, quod hypocrisi plerumq; inquinentur, quod externæ sanctitatis studio, ejus quæ à fide salvificâ est, justitiæ opinionem sibi concilient, adeoq; & se & alios decipiant, eventu recte.

Multus est *Perrus Bertius* in de prædicandâ fide temporali, nostrisq; exagitantibus quod veram eam esse fidem negent: Unde aut videri sibi nostros perinde sentire, ac si quis dicat Bucephalum non fuisse verum equum, quia mortuus est: præposterè, quia ad essentialis veritatem non facit duratio: Sed non advertit Bertius nostros veram fidem *κατ' ἐξοχήν* appellare justificantem, non ut quocunq; respectu temporariam fallam esse significant, sed ut justificantem non esse indigent: interim vera quoq; in se eidem adesse bona, & suo in genere eam esse veram non negant. At tamen nec hoc diffitemur, pleraq; fidei temporariæ bona si conferantur cum bonis fidei justificantis, non nisi umbræ seu imaginis rationem habere, in ijs etiam *ωρεγοναίεγους*, qui alijs antecellunt, hoc est, qui meræ hypocrisis fucis in crustati non sunt. Cur autem fides temporalis, & qualiacunq; ejus bona tandem abijciantur, non utiq; in causâ est Deus, sed propria reproborum malitia, quæ nec illas
spiritus

Spiritus primitias ferre potest, quâ & damnationem ultro sibi accersunt.

At, inquit, Bertius, *nullus actus potest excedere potentiam agentis, proinde quisquis potentiam circumscribit est causa inter se sibi actus omnis consequentis & eventus, qui inde manat.* R. Per potentiam intelligit aut potentiam activam naturalem quæ est in intellectu ac voluntate hominis utentis habitu fidei pro arbitrio, aut ipsam fidei temporaneam habitum: Neutro sensu obtinet quod vult, potentia enim activa naturalis intellectus & voluntatis culpâ hominis lapsi est circumscripta: Unde fortunæ suæ faber ipse est homo. Habitus fidei temporaneæ ejusdem quoque naturæ vitiatae propriâ culpâ circumscribitur, & evanescit. Ex habitu enim in se bono cur non agat homo, sibi imputet non Deo. Nec enim ad perennem homini gratiam conferendam vel conservandam DEUS est obligatus, postquam à primavâ suâ integritate excidit homo.

Reliqua, quæ addit Bertius amplius nos non ledunt. Deniq; agrè fert Bertius, quod fidei τὸν θεογοναίεον fiduciam dicamus deesse. Imò verò Berti non fiduciam tantum illi negamus, sed & alia bona salvificæ fidei γνήσια, quæ jam ante recensuimus. Sed fiduciam nihilominus ei tribuendam contendit: idq; probat è nostrorum suffragio. *Faten- tur* inquit, *ipsi fidem temporalem ita adfectam esse, ut qui illâ praditi sunt, credant DEUM sibi esse propitium, & sensu divinæ gratiæ adficientur, quod quid aliud est, quam eos habere fiduciam?* R. Si phrales hæ nostrorum Theologorum sunt, commoda earum ex scriptis ipsorum petenda est declaratio. Qui verè credunt DEUM sibi esse propitium, de electione suâ ad vitam æternam sunt certi, & interno Spiritus sancti testimonio infallibiliter edocentur, se filios esse DEI Rom. 8. v. 16. non è conjecturis fallibilibus. Quis hoc ulli θεογοναίεον reprobo tribuat? Dum credere igitur dicuntur θεογοναίεον, DEUM sibi esse propitium, opinari id, seu è conjecturis, quibus se ipsos decipiunt, colligere intelliguntur. Sensu divinæ gratiæ non possunt dici officii, nisi quod temporaneâ quadam illuminationis seu notiæ lætitiâ afficientur, & misericordiam Dei in illâ quoque impertienda agnoscant: At longè alius est gratiæ & misericordiæ divinæ sensus in electis, quorum corda fide justificante sunt purgata. *In-* *stat Bertius: Quæro si quis sit illuminatus, gustetq; donum illud Dei cælestis, & particeps sit Spiritus sancti, sentiatq; quam suave sit bonum illud DEI verbum, & quæ virtutes futuri seculi, si quis inquam, hæc omnia habeat, inq; illis perseve-*

ret usq; ad finem, neq; à tali vel proposito vel beneficio deflectat, quæro inquam, an talis salvetur. Respondet Bertius, certè id negari non potest; Unde absurdum infert; poterit igitur ex istorum sententia salvari is, qui fidem veram non habet, quia talis secundum istos tantum habuit fidem falsam.

R. Bona ista diverso modo cadunt in electos & reprobos: Reprobi enim, etsi fide justificante nunquam donantur: nonnulli tamen per verbum quoque illuminantur, aliqua Spiritus Sancti dona accipiunt, gustant bonum DEI cæleste, hoc est, ex ipsis donis præstantiam bonorum cælestium colligunt, sentiunt quam suave sit illud bonum DEI verbum, nempe ex promissionibus longè præstantissimis. Unde cum lætitiâ illud dicuntur accipere Luc. 8. v. 13. Sentiunt deniq; virtutes futuri seculi, quas Chrysostomus interpretatur de virtutibus miraculorum, quæ tum etiam hypocritis contingebant. Sed nil obstat, quo minus per virtutes hæc cælestem beatitudinem intelligamus, cujus gustum etiam reprobi nonnulli dicuntur habere, non quod vera ejus in se initia sentiant, eâq; quasi frui incipiant. Sed quod è lætitiâ, quam concipiunt in excipiendo verbo, tanquam ex imagine ipsam cælestis beatitudinis substantiam aliquo modo æstiment: hætenus reprobi ἀπαξ φωτισθέντες γευσάμενοί τε τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπιφανείας, καὶ μέτοχοι γενήσονται πνεύματος ἁγίου καὶ γευσάμενοι καλὸν θεῶν ῥῆμα, οὓς τῶν μέλλοντων αἰῶνος. Quærenti jam Bertio, an qui in hisce talibus ad fidem usq; perseveret, neq; à tali beneficio deflectat, salvetur? Respondemus, si ad ea, quæ modo enarravimus & explicavimus, aliud nil accedat, non salvatum iri, si maximè ad finem usq; perseveret (quod tamen fieri haud arbitramur, imò expressè contradicere judicamus πρὸς καιρὸν esse & in fide perseverare.) Non equidem quod omnia hæc bona sint falsa, sed quod ejusmodi sint, quæ damnandis cum salvandis communia esse possint. Veritatem hujus responsi ex ipso textu colligimus: Qui enim hisce sunt præditi bonis, si aliud nihil ijs adjiciant, etiam si imbrem sæpius venientem conbiberint, (imbrem, intelligimus DEI verbum & communia illa, quæ in reprobis sunt bona, quibus ad majora debebant allici) *terre comparantur reprobe, quæ maledictiæ affinis est; cujus exitus tendit ad exustionem. v. 8.* In Evangelicâ historiâ assimilantur *terre petrosæ*, quæ fructus illos, qui è terrâ nascuntur bonâ, per quam electos verè renatos intelligimus, non ferunt: expressè enim petrosæ terra contradistinguitur bonæ, ferili: Unde mirum

nemi-

nemini debet videri, quod eos damnatum iri dicamus, quos non habitâ ratione quorundam Spiritus Sancti donorum, Scriptura appellat *terrâ sterilem, petrosam, maledictam, & exustioni vicinam*: quibus in extremo iudicio Christus dicet, *nunquam vos novi*. Matth. 7. v. 23.

Deniq; de Theoremate posteriori Bertiano: *justitia quam justus deserit, est vera justitia*, ita judicamus.

Justitiam aliquam veram Deo placentem & acceptam fuisse desertam à justis aliquibus non negamus: Testis lapsus primorum parentum & Angelorum: sed de hujusmodi justitiâ impræsentiarum quæstio nobis non est: verum de justitiâ, quæ per fidem justificantem nobis imputatur, quæq; ex fide eâdem per sanctificationem in nobis à spirituali morte suscitatis instauratur, Hæc illa nobis est justitia, quam à nemine deseri contendimus: quæ si ab ullo desereretur, justitiam veram deseri, ultrò contenderemus. Nec urgent nos contrariæ Bertij approbationes, quas in specie hæc examinare instituti nostri non est; imò nec necessarium, quia fundamenta earum in solutione speciali deinceps convellemus. Interim præcipua earum errata annotare pretium operæ fuerit. I. *Non quodvis bonum in se verum illicò justitia vera est*: malè igitur confundit Bertius in approbationibus suis, quas è demonstrationibus deducit, justitiam veram cum quovis alio vero bono. II. *A justitiâ primorum parentum & Angelorum ad fidei justitiam malè Bertius argumentatur*. III. *A bonis quæ communia sunt hypocritis & regniæ regis cum justificatis & propriè sanctificatis ad bona quæ propria sunt electorum justificatorum & sanctificatorum, nulla est consequentia*. IV. *Ex adhortationibus ad veram fidei justitiam, è periculis, quæ incurrerent, qui veram justitiam desererent, non sequitur veram deseri justitiam, ut pluribus deinceps demonstrabitur*. V.

Apostasia est partialis vel totalis; illa est cum de uno vel altero fidei capite, quo salutis fundamentum penitus non evertitur, secus sentire quis incipit: vel aliquorum Spiritus donorum jacturam facit: Ista est cum salutis fundamentum penitus evertitur: fidesq; & quæ cum fide indissolubili nexu sunt conjuncta, penitus amittuntur vel abijciuntur. Prior Apostasia in electos quoq; cadit, unde vera quoq; dona deseri posse concedimus: posterior minimè.

VI.

Electio est ad vitam æternam vel ad officium temporale. Illa est planè immutabilis hæc mutabilis. Deus enim Reges creat & solio iterum deijcit.

CAP.

CAPUT XXXI.

SOLVUNTUR RATIONES XIV. CAP. XXVIII.
propositæ.

PRæmissis generalibus quibusdam solutionum fundamentis ad speciale rationum examen jam accedamus.

Prima demonstratio contra nos nihil concludit: jam enim concessimus responsione nostrâ generali primâ Electos fideles respectu sui posse excidere. Quod si verò contendat Adversarius etiam respectu DEI electos fideles posse excidere, hoc est velle DEUM permittere, ut electi fideles ac sanctificati totaliter ac finaliter deficient, non concludet Adversarius, quod intendit. Misso igitur Propositionis examine ad Assumptionem accedimus, singula scripturæ testimonia seorsim ponderaturi. Dicitur Ezechielis 33. v. 18. multi accipiunt de justitiâ hypocriticâ, & sic ἀπεσδιόνυσον judicant hoc testimonium, quib. quo minus assentiamur in causâ est, quod. I. Justitia à Prophetâ opponatur iniquitati vel improbitati, justus improbo. At justitia hypocritica parum differt ab iniquitate. II. In justitiâ illâ justus dicitur vivere, si perseveret in illâ. Atqui in hypocriticâ justitiâ nemo vivit, si maximè perseveret in illâ. Itaq; de justitiâ verâ Prophetam loqui concedimus, sed ex loco illo propterea contra nos nihil concludi dicimus, quia hypotheticus est, videatur responsio generalis secunda. Dicitur Gal. 5. v. 4. & ipsum hypotheticum est, Observandum autem per gratiam in dicto Paulino non intelligi æternam DEI eligentis gratiam in Christo fundatam, sed Evangelium seu doctrinam gratiæ, ut sensus sit. Si ex lege salutem quæritis Evangelium abjicietis: seu, si operibus vultis justificari, gratia non justificabitur. Dicitur ad Heb. 3. v. 12. continet adhortationem, non definitionem. Deinde ad hypocritas potissimum est referendum. Dicitur Marc 9. v. 50. est hypotheticum & dehortationis vim habet. Dicitur 1. Tim. 4. v. 1. loquitur de hypocritis & ἀπεσδιόνυσον, qui à professione fidei & veræ religionis desciscunt, nō à salvificâ fide, quam nunquam habuerunt. Dicitur 2. Pet. 3. v. 17. continet dehortationem. Deinde à stabilitate excidere non est penitus concidere. Nam etiam qui nutat & labat à stabilitate dicitur excidere: nutare verò quandoq; electos non negamus. Dicitur Heb. 12. v. 25. hypotheticum est. Deinde Deum aversari dicuntur, non tantum qui penitus à Deo se avertunt, sed & qui peccatis Deum offendunt. Neq;

verò

vero omnes, qui à DEO puniuntur, æterno statim supplicio adjudican-
tur. Quis enim dixerit omnes Israelitas esse damnatos, quos propter
peccata olim in deserto è medio DEUS sustulit? Dictum 1 Thel. 5. v. 9.
dehortationem continet. Dictum 1. Tim. 1. vers. 19. de hypocritis & *περοσ
καιεγισ* loquitur, qui à doctrinâ fidei defecerunt. Dicuntur autem ij ex-
pulisse bonam conscientiam, quia aliqualem mentis tranquillitatem à
fidei doctrinâ excitatam defectione suâ perdiderunt. Posse vero aliquam
etiam mentis tranquillitatem in eos cadere, quos petrosam terram
scriptura appellat, & fructus bonæ terræ proprios ferre negat, testatur
historia Evangelica, Luc. 8. v. 13. ubi *περοσκαιεγισ* (qui terræ petrosæ
sterili comparantur) leguntur *verbum excipere cum lætitiâ*: quæ certè
lætitia omni prorsus mentis tranquillitate non destituitur. Dictum,
Hebr. 10. v. 35. dehortationem continet: sequens versiculus 38. hypothe-
ticus est, Dictum 2 Petr. 2. vers. 1. de hypocritis & *περοσκαιεγισ* loquitur,
quos quomodo DEUS mercatus dicatur, supra docuimus. Dictum Je-
rem. 2. vers. 21. videtur non nihil favere Bertio, sic enim habet; *Ego planta-
vi te optimam vitem, totum semen fidele, quomodo ergo mutata es mihi in de-
genere, palmites vitis alienæ?* Duo hic quærentur. I. *quo sensu dicatur Eccle-
sia Israelitica fuisse vitis optima, tota semen fidele?* II. *quo sensu mutata dica-
tur in palmites degeneres?*

R. Non displicet nobis interpretatio Doctorum quorundam, qui per vitem
optimam, è quâ plantata dicitur vinea, hoc est, Ecclesia, intelligunt *pios pa-
tres, Abrahamum, Isaacum, Iacobum*, qui certè fuere vitis longe optima, se-
men totum fidele. Ex hac verò optimâ vite palmites deinde enati sunt de-
generes, posterî nempe, qui abjectâ seu contemptâ Patrum fide, ad idolo-
rum cultum sunt prolapsi. Defecerunt igitur Judæi à fide, non quam
ipsi habuere, sed quam pij ipsorum patres habuerunt. In hac interpretati-
one, quæ nec à textu nec à reliquâ scripturâ aliena est, Bertiana heterodo-
xia nihil invenit præsidij. Ecclesiam verò totam hîc alloquitur, quia maxi-
ma populi pars idololatriâ se inquinarat. Observandum deniq; salvâ sen-
sentiz nostræ veritate, & electos posse dici in vitem alienam degenerare,
non quod penitè à Deo deficient, abjecto prorsus fidei semine, sed quod u-
varum loco labruscas sæpenumero proferant, hoc est, à sanctitatis studio
ad peccata devolvantur gravia, quæ & fidem convellunt, & Deum gravif-

simè offendunt, imò ad temporale excidium haud rarò provocant: ita tamen ut per veram pœnitentiam ad se reducat prius suos, quam ex hoc mundo migrent. Reprobi quoq; hypocritæ & *ωϋωνοι*, qui externæ sanctitatis studium præ se ferunt: imò vitam externæ disciplinæ congruam haud simulatè quandoq; agunt, in vitæ alienam tandem degenerant, dum externæ sanctitatis studio valedicunt, & amaris labruscis ferendis immoriuntur. Eiusdem sensus est dictum Jesaiæ 5. v. 1. Consulto in hac demonstratione testimonia quædam præterijmus, quæ ex iis, quæ dicta sunt modò, facile expediri possunt, ut 2. Joh. 9. *Quisquis transgreditur, nec manet in doctrinâ Christi, DEUM non habet.* Nihil hic de sanctorum apostasiâ, nisi probetur sanctos in Christi doctrinâ non manere. Apocal. 2. v. 5. *memor esto unde excideris:* loquitur de apostasiâ seu defectione partiali, vel potius pristini fervoris remissione. Matth. 24. *refrigescet charitas multorum:* At propterea in electis penitus non extinguetur. Gal. 3. v. 3. *Usq; adeo ne dementes estis, ut cum spiritu ceperitis, uunc in carne desinatis.* Dehortatio est, ne in carne desinant, monet maturè revertantur. *ωϋωνοι* hæc autem potissimum perstringit, qui in spiritu quoq; incipiunt, dum ad tempus credunt. Hactenus prima Bertij demonstratio.

Altera demonstratio farraginem continet diversorum exemplorum, ad quæ in specie respondebimus. Sunt autem pleraq; exempla aliena; Primum igitur examinabimus ea, quæ à Bertio proferuntur: Deinde alia quoq; subijciemus, quæ alij apostasiæ patroni adijciunt.

De Angelis lapsis.

Angelorum lapsorum exemplum pleriq; apostasiæ patroni nobis obijciunt. Sed operam perdunt: de perseverantiâ electorum & renatorum nobis sermo est. Angeli verò lapsi nec electi fuere nec renati. Angelis lapsis non dedit Deus propter Christum gratiam, quâ vellent perseverare, sed in eâ naturæ integritate condidit, ut possent perseverare, si vellent. Electis verò ea conceditur gratia, quâ & possint & velint perseverare. *Deus est qui dat nobis velle & perficere.* Renatos lapsos Deus erigere decrevit & erigit. Angelos lapsos ut non decrevit erigere, sic nec erexit, nec unquam erecturus est: *reservavit enim eos vinculis aternis sub caligine* Jud. 6.

Nec est quod obijciant, Angelos in statu innocentie longè sublimioribus donis fuisse ornatos, quàm homines in statu regenerationis. Nil enim

nim

nim obstat, quo minus uno perseverantiæ dono excellant renati homines, quos in pluribus alijs longo post se intervallo olim Angeli adhuc boni reliquerant, sic abjecta sæpe plantula mirâ aliquâ alijs plantis antecellit virtute, quæ à pluribus alijs eandem virtutibus quàm longissimè abest.

Frustra ut Hieronymi verbis exclamet Bertius: *Si altissima illa sublimitas cecidit, quis nostrum cadere non potest?* Naturam equidem si cum naturâ conferas, rationem hanc firmissimam esse arbitramur: Quod si verò naturam Angelorum integram conferas cum regenerationis & perseverantiæ gratiâ, quâ peccatores nos conservamur, quidni huic plus, quam illi tribuas?

De Adamo & Evâ.

Et horum exemplum alienum est: Cum enim adhuc in innocentia statu essent constituti, gratiâ quidem pollebant, quâ possent in integritate perseverare, sed non quâ vellent, ut Augustinus loquitur de corrept. & grat. cap. II. & 12. Post lapsum verò renatis concessa gratia, quâ & possint & vellent in regenerationis bono perseverare. Pulchra sunt Augustini verba. *Est in nobis per Dei gratiam in bono recipiendo & perseveranter tenendo, non solum posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus, quod non fuit in homine primo, unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit. Nam ut reciperet bonum gratiâ non egebat, quia nondum perdiderat. Ut autem in eo permaneret, egebat adiutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset: & acceperat posse, si vellet, sed non habuit velle quod posset. Nam si habuisset, perseverasset: Et sequenti capite: Primo homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adiutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò sanctis in regnum DEI per DEI gratiam prædestinatis, non tantum tale adiutorium perseverantiæ datur, sed tale ut eis perseverantiæ ipsa donetur, non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint. Manifestum hinc est, quid de sanctorum perseverantiâ lenserit Augustinus.*

Deinde primos nostros parentes totaliter à DEO & quidem ex destinato consilio defecisse, gratiâq; DEI proflus excidisse equidem non concedendum esse arbitror: Etsi propter peccatum æternæ mortis reos unâ

cum posteris omnibus factos ultro concedo. Nam & nos per gratiam regeneriti ea sæpenumero patramus, quæ morte æternâ sunt digna. Hinc Philip. in c. 10 prioris ad Corinth. Adami peccatum refert inter peccata eorum, qui ab humanâ tentatione tentantur, & qui retinent exercitia pœnitentiæ & invocationis. Quicquid sit, piè credimus constantem Dei voluntatem mansisse de erigendis & servandis propter Christum nostris parentibus, qui à naturæ integritate jam exciderant, & non nisi per Christi gratiam servari poterant.

Excipit Bertius in hyperaspiste ad D. Crocium. Tibi ergo multo firmitus stant in gratiâ homines peccatores, quam integri?

R. Sanè, Berti, ab Augustino id affirmari audis. Sed cur contra sentias, Apostolum ais facere. Verba ejus 2 Cor. II. v. 3. hæc sunt: *Timeo, ne sicut serpens, decepit Evam calliditate suâ, ita corrumpantur sensus vestri à simplicitate, quæ est in Christo.* Si fieri nullo modo potuit, ut credentes & per Christum in gratiam restituti, quos Apostolus adfatur, ut vel corrumparentur vel exciderent, quid timuit Apostolus? Poterat enim eodem jure timere ne vel viri abirent in fœminas, vel fœminæ in viros, vel utriq; in cucurbitas.

R. Timere ne vel viri abeant in fœminas, vel fœminæ in viros, vel utriq; in cucurbitas, non Apostoli est. Sed hominis τὸν ἐγκέφαλον ἐν ταῖς πᾶσι νόσας περιπατημένον gestantis. Longè igitur ponderosior metus Apostolici causa erat. De Corinthiis suis benè quidem sperabat Apostolus: attamen de omnium constantiâ & perseverantiâ certus non erat, quia & Dei consilium de singulis ipsum fugiebat, & καρδιογνώσις non erat. Non igitur metuebat sine causa, ne ex ijs, qui veritatem erant amplexi, per falsos Doctores nonnulli corrumparentur, adeo ut à veritatis agnitione apertè resilirent, quod multis non posse tantum contingere, sed & actu contingere, proh dolor! experientia sæpe nimis comprobat. Quis ergo vitio vertat Paulo, vel cuivis alii ministro, quod de auditorum suorum salute sollicitus vereatur, ne pseudoprophetarum mendacijs seducti veritatem agnitam deserant? Meritò ut pudere debeat Bertium absurdæ istius comparationis, quam ingeminat. Nec est quod præsidii quicquam quærat in comparatione Apostolicâ, quam ultra mentem Apostoli extendit: dum hanc Paulinæ sententiæ paraphrasin exhibet. *Sicut serpens decepit Evam integram, utiq; & verâ justitiâ ac sanctitate præditam, ut caderet, ita fieri potest, ut falsi Doctores, vos, ô Corinthi, circumveniant, qui, etiamsi credatis in Christum, ta-*
men

men non desistitis esse peccatores. Quasi verò in ijs, quæ comparantur, omnia in comparationem veniant. Eos, qui verâ præditi erant justitiâ, quam fides apprehendit, quæq; fidem justificantem sequitur, ne pseudoprophetæ seducerent, non metuebat Paulus. Attamen qui illi essent, ignorabat cumq; vel omnes vel plerosq; doctrinam à se traditam amplexos nosset, non sine causa metuebat, ne aliqui ex ijs vel hypocritæ vel *μερόμενοι* veritatem agnitam desererent, & ab eâ exciderent, veluti ab originali suâ justitiâ excidit Eva serpentinis fallacijs circumventa. Non igitur à Paulo comparatur justitia originalis cum justitia fidei respectu apostasias ab utraq; , sed fraudes serpentis cum fraudibus pseudoprophetarum. Ut enim serpens Evam insidijs suis circumvenerat, & innocentiaë clavam, quâ tuta esse poterat contra vim Satanicam, consentienti tandem ademerat, ita ut Dei mandatum violaret. Sic & Pseudoprophetæ Corinthios nonnullos ab agnitiâ veritate poterant abducere; à justitiâ autem fidei non poterant, quia hæc semel possessa nunquam amittitur. Non igitur obtinet quicquam Bertius, si vel maximè circa electos & verè sanctificatos Apostoli sollicitudinem fuisse occupatam concedamus. Aliud enim est, timere, ne ex electo fiat reprobus, aliud timere, ne mentes aliquo modo corruptæ à simplicitate doctrinæ degenerent. Sæpe numero enim usu venit, ut & pij homines Sophistarum circumventi fraudibus turbentur, & à veritate non nihil deflectant, quos tamen in viam veritatis divina clementia reducit. Excipit II. dogma de impossibilitate defectionis à gratia, ipsissima est antiqui serpentis deceptio, vel etiam serpentina illâ deterior & periculosior. Probat id I. Serpens dixit olim Evæ, *etiamsi transgressa fueris mandatum Dei, tamen non morieris.* Quid nos credentibus? *Non, si peccaveritis, moriemini.* II. Serpens, ut Primasius ait, *Evam mentiendo à Deo seduxit, dicens, solo terrore Deum comminatum esse, mortem tamen non esse ipsi allaturum, si peccasset.* III. Primi serpentis fallaciam excedit, quod, cum ille tantum dixerit, eritis sicut Dij scientes bonum & malum; nos dicamus: Eritis in hac vitâ sicut Deus immutabiles, nec poteritis de statu gratiæ deturbari.

R. Si dogma de impossibilitate defectionis à gratiâ, uti quidem à nobis explicatur & propugnatur, est ipsissima antiqui serpentis deceptio, conspirabunt, absit dicto blasphemia, Serpens antiquus, & is, qui antiqui serpentis caput contrivit, cujus expressa sunt verba, quæ & supra produximus, Matth. 24, v. 24, *Surgunt Pseudo Christi & pseudoprophetæ, & edent*

signa magna ac miracula, ὧν πλανῆσαι, εἰ δυνατὸν, καὶ τὰς ἐκλεκτὰς. i. e. πρὸς
seducant, si fieri posset, etiam electos. Testimonium hoc etiam inauditis glossis
 laboras corrumpere, frustra tamen laboras: perspicua nimis sunt verba
 Servatoris, quæ glossarum tuarum tenebras facilimè discutunt, ut suo lo-
 co ostendimus. Abi igitur Berti, cum Christo exostula, & cum Spiritu
 Sancto, qui horrendum tuum dogma in scripturâ damnat, ut prolixè ha-
 ctenus ostendimus. Sed approbationes videamus, & ordine respon-
 deamus. Ad I. Alia est ratio sanctorum in primo innocentia: statu,
 alia sanctorum in statu reparationis: illos ex edicto DEI unicum
 peccatum æternæ mortis reos faciebat: his propter CHRISTUM
 peccata Deus non imputat. De illis expressa sunt scripturæ verba Gen.
 2. v. 17. *quo die comederis de eo, utiq; moriturus &c.* De istis 2. Cor. 5. v. 19. *DE-*
US erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputando eis peccata ipso-
rum. Mandatum igitur Dei dum invertit olim serpens, mentitus est,
 DEUMq; mendacij arguit: Promissionem gratiæ de peccatis propter
 Christum nobis remittendis dum applicamus nobis, eaq; & nos & alios
 solamur, veritati ad stipulamur, & misericordiam Dei ex osculamur. Tu ve-
 rò, Berti, si simpliciter fallum arbitraris pronunciatum, *Non si peccaveritis,*
moriemini, non poteris non desperare de tuâ tuorumq; salute. Sin verò pec-
 care tibi est ex more & consuetudine peccare, spiritusq; ac fidei fructus
 nullos proferre, nec unquam peccata deplorare, sed securè ea ad exti-
 mum usq; halitum patrare, alium quære, cui monstrum hoc sententiæ affin-
 gas: animitus enim nos id detestamur.

Ad II. Mendacia serpentis non moramur: quo respectu cælo possimus
 excludi & perire supra explicavimus: & non inviti concedimus, ipsos et-
 jam sanctos perituros, si sanctitate suâ prorsus desertâ ad mundum ita re-
 volvantur, ut ab eo nunquam revertantur. Quis finis & fructus sit exhor-
 tationum præcedenti capite exposuimus. Tibi vero, Berti, probandum in-
 cumbit, exhortationes divinas eo spectare, ut persuadeant nobis posse nos
 penitus perire, respectu decreti & voluntatis divinæ, seu constantem &
 immutabilem Dei voluntatem non esse, de nobis conservandis & apostas-
 iæ malo quacunq; ratione à nobis avertendo. Comminationis divinæ pri-
 mis nostris parentibus factæ longè alius erat finis, alia ratio. Inserviunt
 igitur adhortationes tam ijs, quos labi DEUS permittit, quàm quos labi
 non permittit, illos inobedienciæ convincunt, hos intra obedientiæ limi-
 tes continent.

Ad

Ad III. Si eandem immutabilitatem Deo & electis tribui à nobis. *Berti*, affirmas, non agrè feres hanc *διαβολὴν* tibi à nobis remitti. Deum absolute immutabilem esse quis ignorat, nisi fortè quidam Vorstius? Sanctos verò immutabiles dicimus non absolute, quasi naturæ ipsorum repugnet mutatio, sed ex hypothese voluntatis divinæ, quæ ita eos mutari, ut penitus transmutentur, & de statu gratiæ deturbari non patitur. Quod si inter creatorem & creaturas Dei electas nulla prorsus est vel esse potest similitudo, eccur ad DEI imitationem toties scriptura nos adhortatur? Facessat igitur, *Berti*, iniquissima tuâ comparatio: quâ inter promissiones divinas & diabolicas non distinguis. Mendaci spiritui similitudinem Dei contra mandatum promittenti quia parentes nostri crediderunt, se & posterum æternæ mortis reos constituerunt, perditâ similitudine, hoc est, imagine Dei; Spiritui Dei amissæ felicitatis restitutionem & perseverantiam in statu gratiæ propter Christum promittenti, quia credimus, ex æternæ mortis reatu eluctamur, recuperatâ similitudine, h. e. imagine Dei.

De Saule.

Et Saulis exemplum est *ἀπεργασθέντων*: De electione enim Saulis ad vitam æternam & verâ ejus sanctitate alium in scriptura silentium; videtur tamen sibi probare posse *Berti*, Saulem e numero electorum & vere sanctificatorum fuisse, I. appellatur n. Sam. 9. v. 2. *בְּיָמָיו* *electus & bonus*, imò e filijs Israel negatur fuisse melior illo. Unde colligit Bellarminus, nullum fuisse in universo populo DEI verè justum, si Saul non erat verè justus: Melior enim Saule non erat. II. ait DEUS I Sam. 15. vers. 11. *Pœnitet quod constituerim Saul Regem, quia aversus est à sequendo me*. Ergo Dominum ante erat secutus, & proinde verè fuit justus. III. Recessit à Saule Spiritus. Habuit igitur Spiritum sanctificationis. IV. addunt alij, quod mutatus dicatur in alium virum.

R. Saulem ad vitam æternam electum & verè sanctificatum ac justificatum minimè evincunt rationes, ad quas ordine respondemus. Ad I. *בְּיָמָיו* hebræis non tantum adjectivè sed & substantivè usurpatur, & significat virum juvenem, testibus sacris & concordantijs & lexicis. Vnde Junius in allegato loco reddit *juvenem*: Lutherus *einen jungen Mann*. Et si maxime contendas adjectivè usurpari, quod tamen probari nequit, concedi certè potest, Saulem fuisse electum, haud equidem ad vitam æternam, sed

sed

sed ad dignitatem regiam. Deinde *אֲדָמָה* hebræis sapissimè significat pulchrum, elegantem, uti & hoc loco verterunt Junius & Münsterus; quam interpretationem sequentia quoq; firman: *ab humero suo sursum versus altior erat toto populo.* Non igitur tam ad animi, quam ad corporis dotes heic respicitur, notaturq; in Saule majestas quædam corporis Rege digna: ad quam forsitan & aliæ accesserunt animi dotes, quibus ad regnum haud ineptus videri poterat: in quibus electos sæpè à reprobis superari palam est: Unde apparet, Bellarmini rationem prorsus nullam esse. Saule etsi sanctiores & morali bonitate meliores in populo proculdubio erant plurimi, nemo tamen ipso elegantior & corporis majestate magis erat decorus. Ad 2. Avertit se Saul ab obsequio non interno & spirituali, in quo vera consistit sanctitas, sed ab externo tantùm, adeo ut intra externæ obedientiæ limites amplius se non contineret, sed præfractè mandata Dei contemserit, quod initio non fecerat: patet ergo rationis hujus consequentiam prorsus nullam esse. Ad 3. Recessit à Saule spiritus non *sanctificationis & fidei, sed fortitudinis & prophetiæ aliorumq; donorum* ad regiam administrationem necessariorum. Ad 4. Mutat9 dicitur in alium virum, quia ex rudi, stupido & asinario abjecto factus est propheta, doctus & excelsi animi Rex.

De Hymenæo, Philetō & Alexandro.

De duobus hisce ita loquitur Paulus 2. Tim. 2. v. 17. & 18. *Sermo eorum depascet ut gangrena, ex quibus est Hymenæus & Philetus: qui circa veritatem aberrarunt à scopo, dicentes, resurrectionem jam esse factam: subverterunt quorundam fidem.*

R. Duos hosce ex numero electorum & verè sanctificatorum fuisse nunquam nobis persuadebit Bertius, vel quisquam alius apostasiæ patronus. At dicuntur *circa veritatem aberrasse & scopo.* R. Ut veritatis agnitio non in electos tantum & sanctificatos, sed & reprobos non sanctificatos, imò & in Diabolos cadit, sic in eisdem cadit quoq; aberratio ab agnitione veritatis. Dicuntur autem quorundam subvertisse fidem, dubio procul, quod in articulo de resurrectione mortuorum eos turbarint: verè autem sanctificatos & electos nunquam perire, aut penitus à Deo deficere testatur versiculus sequens 19. *qui solidum ait stare fundamentum Dei, habens sigillum hoc: Novit Dominus, qui sint sui &c.* Sed paulò speciosiora sunt, quæ
de Hy-

de Hymenæo & Alexandro leguntur. 1. Tim. 1. v. 19. *Retinens fidem & bonam conscientiam, quâ repulsâ nonnulli fidei naufragium fecerunt: ex quibus Hymenæus & Alexander, quos tradidit Satana, ut discerent non blasphemare.*

Locus hic omnibus Lutheranis in ore est, ter eum allegat Bertius, allegat & Bellarminus: Unde sic colligunt:

Hymenæus & Alexander fidei naufragium fecerunt, & bonam conscientiam expulerunt.

Hymenæus & Alexander fuerunt verè renati. Ergo

Quidam verè renati possunt fidei naufragium facere, & bonam conscientiam expellere.

R. Assumptionem nego. Probant illi hoc modo:

Qui præditi fuerunt fide, & bonam habuerunt conscientiam, ij verè fuerunt renati.

At Hymenæus & Alexander præditi fuerunt fide & bonam habuerunt conscientiam. Ergo

Hymenæus & Alexander verè fuerunt renati.

R. Propositionem distinguo. Qui præditi fuerunt fide justificante, & conscientiam habuerunt bonam, ita ut omnia sua peccata sibi propter CHRISTUM esse remissa, seq; DEO per CHRISTUM reconciliatos firmiter crediderint, & in animis senserint, certiq; fuerint, se DEI esse filios, attestante spiritibus ipsorum sancto Spiritu, ij verè fuerunt renati. Assumptionem hoc modo intellectam negamus. Cujus ergo, inquis, fidei naufragium fecerunt? Quam bonam conscientiam repulerunt?

R. Fides cujus naufragium fecerunt Hymenæus & Alexander, aliud nihil est, nisi agnitio veritatis, seu sana & pura doctrina, quam ab Apostolis acceperant, agnoverant, & ad tempus professi erant. Hujus naufragium fecerunt, quia ab eâ discessionem fecerunt. Bona verò conscientia, quam repulerunt, non est sensus reconciliationis cum Deo, sed studium vitæ extrinsecus irreprehensibilis & honestæ, quod in *προσκαίρους* quoq; cadere supra diximus. Imò & gentiles de bonâ hac conscientia gloriari verè potuerunt, Nec obscure eam sibi vendicat Paulus etiam ante conversionem: per totam enim vitam suam extendit eam Actor. 23. v. 1. Ita Patres locum hunc interpretantur. Oecumenij in græcis scholijs hæc sunt verba: *πίστιν φησὶ τὴν πρὸς τὰ δόγματα συνείδησιν δὲ τὴν πρὸς τῆς πολιτείας καὶ πρὸς τὸ ὄρθως βίβην* hoc est, *Fidem ait, quæ est circa dogmata* (quæ notitia est vero-

rum dogmatum) conscientiam verò qua est in conversatione circa vitam re-
ctam ac honestam. Theophylactus locum ita *De Reges*: Haudquaquam
existimes sat tibi fore, quod per spiritum fueris & propbetiam ad sacerdotate
id munus provectus, nisi & fides per te indubitata praestetur, ut verba promere
rectè queas, & conscientiam bonam, hoc est, vitam irreprehensibilem habeas. Hiero-
nymus conscientiam bonam habere interpretatur implere, quod doces:
quod ab hypocritis quoq; quoad externam obedientiam praestatur. Similis
est interpretatio Benedicti Justiniani Jesuitæ: Fidem, inquit, habet, qui fi-
dei dogmatibus imbuitur, & bonam habet conscientiam, qui mores suos ita
componit, ut nullius sceleris sibi conscius sit.

Contra adversarios igitur ex Pauli loco ita disputamus:

Qui bonam conscientiam prorsus expulerunt & fidei naufragi-
um fecerunt, non sunt è numero electorum, & verè renatorum.
At Hymenæus & Alexander conscientiam bonam prorsus expu-
lerunt, & fidei naufragium fecerunt. Ergo.

Ex numero electorum & verè renatorum non fuerunt.

Propositionis ratio est, quia electi & verè renati conscientiam bonam
prorsus non expellunt, nec fidei naufragium faciunt: ita nempe, ut à fun-
damento penitus discedant, & inimici Dei fiant.

Unica heic Adversariorum est instantia, quam hunc in modum in-
formant.

Quam fidem Timotheo suo Paulus commendat, ejus naufragi-
um fecisse Hymenæum & Alexandrum testatur. At fidem sal-
vificam, quæ bonam gignit conscientiam, Timotheo suo Paulus
commendat. Ergo ejus naufragium fecisse Hymenæum & Ale-
xandrum testatur.

R. Assumptionem negamus. Etiam si enim ultro concedimus Timothe-
um fide salvificâ fuisse præditum, & conscientia quoq; bonâ, qualem in so-
lutione argumenti principalis descripsimus: Item fidei hujus retinendæ
studium alias Timotheo commendatum à Paulo esse. Non tamen conce-
dimus, in hoc ipso præsentis loco Paulum loqui de fide justificante, sed de
puritate doctrinae retinendâ, quam fidem appellare, scripturæ est familiare.
Nec refert, quod bonam cum eâ conscientiam jungat, Per bonam e-
nim conscientiam intelligit vitæ sanctæ studium, quod respondeat doctri-
næ, quod ab hypocritis quoq; & *regni regis* saltem quoad externam obe-
dientiam

dientiam, alienum non est. Duo igitur sunt, quæ Timotheo suo Paulus hîc commendat, ubi ministro apprimè necessaria, *constantiam in retinendâ puritate doctrine, & studium vite honestæ*. Nam qui benè docet & malè vivit, plus destruit quàm ædificat. Sunt autem *τεκμήρια* hæc quidem boni ministri, sed infallibilia electi & verè regenerati *κενθήρια* non sunt.

Videtur quidem Hieronymus per fidem intelligere salvificam: etsi expressis id verbis non asserit: attamen adversarijs non adstipulatur: verba enim Pauli: *quam quidam repellentes circa fidem naufragium fecerunt, ita interpretatur, Male vivendo ipsam quoq; fidem perdidderunt, quam habere videbantur*. Ex mente igitur Hieronymi Paulus Timotheam adhortatur ad fidem, non quam Hymenæus & Alexander habebant, sed quam habere ad tempus videbantur: quia hypocritæ vel *ωρεϊστικαί* erant, sed à nostrâ interpretatione cur discedamus, causa nulla est.

De Salomone.

Gravissima fuisse Salomonis peccata extra omne dubium est: adeò ut de salute ejus inter Doctos multi dubitent: proluxa videatur disputatio Pinedæ, circa finem operis, quod conscripsit de vitâ & rebus gestis Salomonis, nempe lib 8. Idololatram fuisse ex scripturâ patet, quæ resipiscentiæ ejus expressam mentionem non facit 1. Reg. II. v. 2. 3. 4. 5. Unde dicitur fecisse malum in oculis Domini v. 6. & ne Deo quidem expressè interdicente abstinuisse v. 10. Unde Augustinus lib. 22. contra Faustum c. 38. *De Salomone quid dicam? Quem vehementer arguit sancta scriptura atq; condemnat: nihilq; de pœnitentiâ ejus vel in eum indulgentiâ Dei omnino commemorat?* De salute ejus dubitarunt quoq; alij patres, vel certe quid sentirent in alterutram partem non explicarunt, ut Tertullianus, Basilus, Cyrillus, Nyssenus, Bernardus, Isidorus, quibus quoq; suffragari videtur Chrysostomus. Bertius electum & verè sanctificatum fuisse contendit. I. quia Deo charus fuit, quod argumentum quoq; urget Bellarminus. II. quia plenus fuit spiritu Domini. III. quia librorum canonicorum autor fuit. IV. quia Templi dedicator fuit, V. quia typus Christi fuit, VI. quæ Bellarmini est ratio, quia filius fuit Davidis hominis sancti: Ergo, inquit, secundum doctrinam Calvinii & Petri Martyris & ipse sanctus erat: (perverle hîc sophista ad sanctitatem regenerationis refert, quæ de sanctitate fœderis dicuntur) Etsi verò rationes hæ Salomonis electionem & veram sanctifica-

M in 2

tionem

tionem apodicticè non concludunt: probabiles enim sunt, non necessaria: tamen de electione, regeneratione, salute Salomonis nos non dubitamus. Rationes sententiæ hujus mitioris hæ sunt, I. Luculentissima est DEI promissio de constantissima DEI erga Salomonem benevolentia nunquam immutanda 2. Sam. 7. vers. 14. 15. *Ego ero illi pater & ipse erit mihi filius: qui cum perversè egerit, corripiam eum virgâ hominum & plagis humanis. At benignitas mea non amovebitur ab eo, quemadmodum amovi à Saule, quem amovi à facie tuâ.* Duo hic observantur argumenta, maximi ponderis. I. si DEUS Salomonem perversè agentem corripuit tantum virgâ hominum & plagis humanis, utiq; idololatriam ejus flammis infernalibus non corripuit. At verum prius. Ergo & posterius. Connexi ratio est; quia flammæ infernales non hominum sed DEI sunt virga, non plagæ humanæ sed divinæ, conjunctæ cum perpetuâ rejectione, quæ promissioni divinæ è diametro contraria est. Assumptio è textu allegato manifesta est: *Si perversè egerit, inquit DEUS, corripiam eum virgâ hominum & plagis humanis*, quas cum amoris & benevolentia divinæ constantiâ conjunctas esse sequens docet versiculus, è quo depromimus alterum argumentum. 2. A quo Deus benignitatem suam non amovit, eum certè non damnavit. Atqui à Salomone secundum promissionem, DEUS benignitatem suam non amovit. Ergo eum non damnavit. Certum est ad commercia mulierum alienigenarum & idololatriam respexisse Deum, cum diceret, *cum perversè egerit*: fuit enim in reliquâ vita Salomon irreprehensibilis. Huic ergo perversitati humanas plagas DEUS minatur simulq; benignitatis suæ perpetuitatem promittit. Absit ergo ut de salute Salomonis dubitemus. Unica hæc demonstratio omnibus pijs satisfacit. Qui promissionem illam Davidi factam ad solum Christum referri contendunt, quos inter videntur esse Augustinus, Tertullianus, Isidorus & alij, è textu solidissime refutantur. Qui n. illud, *cum perversè egerit*, ad Christum ullo modo referri possit? At de eodem & sequentia, *benignitas mea non amovebitur ab eo*, dicuntur, II. Ipse Deus idololatriæ pœnam aliam nullam Salomoni minatur, quàm *lacerationem regni & translationem ejus ad servum. v. 11.* Et tamen pœnam hanc ita moderatur, ut non ipsi Salomoni sed filio Salomonis inflicturum dicat v. 12. III. Plerorumq; interpretum consensu receptum est, Ecclesiasten in pœnitentiæ testimonium à Salomone scriptum esse, cujus sententiæ haud vulgaria argumenta ex ipso illo

illo libro petuntur. Nos brevitati studentes lectorem remittimus ad commentarios Pinedæ in Ecclesiasten præfat. cap. 1. num. 3. Inter rationes Bertij maximè probabilis est tertia. Quintam nonnulli quoq; magnificiunt, quæ tamen non usq; adeo nobis videtur firma, cum typorum Christi rationem olim sustinuerint & res inanimatæ, ut arca fæderis, serpens æneus, & animatæ brutæ, ut agnus Paschalis, & alia sacrificia. Quidni igitur & reprobis aliquis typi rationem habere potuerit? Hactenus ergo rationes nostræ, quibus adducti statuimus Salomonem electum, verè sanctificatum & salvatum fuisse. Unde finaliter eum non defecisse sequitur. Sententiæ hinc nostræ suffragantur è Patribus Hieronymus, cujus super cap. 43. Ezechielis, hæc sunt verba: *Non solum templi cultores & editui, sed & ipse Fabricator ejus Salomon peccaverit & offenderit Deum, licet postea egerit pœnitentiam; scribens proverbialia, in quibus ait: novissimè ego egi pœnitentiam.* Ambrosius apolog. 2. pro Davide cap. 3. Hilarius in Psal. 52. Epiphanius hæresi 42. Cyrillus Hierosolymit. Catech. 2. In eandem sententiam concedunt è recentioribus Doctissimi quiq; , non inter orthodoxos tantum, sed & ipsos Pontificios. Non contemnendum existimo testimonium Granatensium librorum Arabicorum, è plumbeis laminis seu foliis confectorum, quos Præsul Granatensis Petrus de Castro in monte Granatensi reperit longe vetustissimos; qui Salomoni præclarum actæ post peccata sua pœnitentiæ, testimonium perhibent: verba ex interpretatione hæc sunt. *Et flevit (Salomo) scelus suum fletu vehementi, & condonatum est illi & obijt fidelis & securus.* Hebræorum de solempni pœnitentiâ Solomonis hæc est traditio. Solomonem quinquies tractum per plateas Jerusalem pœnitentiæ causâ, & cum quinq; virgis venisse in templum, quibus ut verbaretur à legis peritis postularit sed illis renuentibus in unctum Domini manum mittere, à se ipso acriter flagellatum. Hæc etsi procul dubio fabulosa sunt, sententiam tamen Hebræorum de Solomonis salute & pœnitentiâ sat clarè indicant. Qui totaliter eum defecisse contendunt, unico idololatriæ argumento nituntur. Nos vero etsi Solomonis fidem vehementissimè labefactatam & pietatem enormiter læsam non inficiamur: omne tamen fidei semen penitus è pectore Salomonis excidisse, & ne minimam quidem pietatis scintillam reliquam mansisse haud concedimus. Existimamus enim externam potius fuisse Salomonis idololatriam, in gestibus, ritibus & factis externis idololatricis exercendis, quàm internam in totali aversione

animi à vero Deo, quem verum esse Deum noverat, à quo innumeris animi & corporis bonis se mactatum ignorare non poterat, & conversione ad idola gentium, quibus bona sua corporis & animi minimè ferebat accepta, quæ à vero Israelis Deo alienissima esse cognoverat. Interim tamen amore foeminarum alienigenarum & idololatricarum pellectus, ut tanto magis eas sibi conciliaret, in externam illam consensit idololatriam, & intolerabili protus hypocrisi videri voluit Deum Israelis animo penitus ejurasse, & foeminarum suarum idolis adhærere, reclamante, ut existimamus, conscientia ac veritatis scientia. Totâ igitur voluntate & pleno animi consensu malum hoc à Salomone patratum non arbitramur, idq; has ob causas. 1. quia ἀποστασία hæc in electos & sanctificatos Dei filios non cadit, ut prolixè hæctenus demonstravimus. 2. quia vehementissimo cæci amoris erga foeminas suas affectu abceptus, nequicquam reclamante Spiritu & affectu erga Deum reliquo (sic enim sæpe Spiritus à carne vincitur in regeneratis) ad idololatriæ societatem se petrahi passus est, in quam sponte sua non consensisset, si absq; cæco ac violento amoris impetu fuisset. Non enim est affectus, qui rectæ rationi magis obluëtatur, quàm cæcus amor. 3. 1. Reg. II. v. 6. dicitur *non planè* secutus Jehovam, sicut David pater ejus. Non igitur penitus à Jehovah defecit, aliàs comparatio inter ipsum & patrem institui nulla posset. Eo ipso autem, quo dicitur Jehovam *non planè secutus*, à Jehovah non penitus defecisse innuitur.

De Demâ.

De Demâ ait Paulus 2. Tim. 4. v. 10. *Demas me dereliquit amplexus presentis seculum.* Nec hoc exemplum quicquam sententiæ nostræ præjudicij adfert. Aut enim Demas ex ijs fuit fidelibus, de quibus nobis est sermo: aut non fuit: Si hoc, exemplum alienum est. Si illud, argumenti vis nulla est. Nec enim sequitur, DEUM penitus deseruisse, qui seculi commoditates apostolatus molestijs & laboribus præferendo Paulum dereliquit. Non omnis error totalis à Deo est discessio. Fideles quandoq; mundus abripit, quos tamen penitus è Dei manibus non eripit.

De Nicolao Diacono.

Nicolaum ex Diacono hæreticum esse factum ait Bertius: non negamus nos, sed quid inde? Anne ideo sequitur electum aliquem & sanctificatum penitus defecisse? Id verò non probaveris Betti prius, quàm demonstraveris

ris

ris omnem Diaconum & verbi ministrum esse electum & verè sanctificatum: quod certè evidenti ratione nunquam demonstrabis. Nec verò de electione & regeneratione hujus Nicolai ex scriptura quicquam habetur. Interim cum eligeretur, virum fuisse spectatæ probitatis, bonæ famæ, & egregijs Spiritus S. donis ornatum non negamus. Attamen sufficientia electionis & regenerationis indicia hæc non sunt: cū in hypocritis & *παραδεισίου* hæc talia quoq; deprehendantur, quia plurima Spiritus dona sæpe communia sunt reprobis & *παραδεισίου* cū electis & verè sanctificatis, regeneratis.

De populo Dei.

Exemplum populi Dei ex Jes. I. v. 21. & Jer. I. v. 13. & 30. v. 1. quod adducit Bertius, & ipsum ad rem nihil facit. In populo n. Dei multi fuere hypocritæ, qui etiam communi nomine populus Dei appellantur, quia quantisper ore tenus fidem profitentur, & pietatem præ se ferunt, à genuinis Ecclesiæ membris discerni nequeunt. Quid? quod & verè sancti quandoq; à Jehovah declinent, & gravissimis se peccatis polluant, quorum respectu Deum relinquere, & datam spiritualis matrimonij fidem violare dicuntur. Attamen penitus propterea à Jehovah non discedunt, nec à Jehovah penitus abijciuntur. Manet in ijs fidei semen & pietatis scintilla, quæ tandem remotis peccatorum cineribus per seriam pœnitentiam rursus emicat.

De Apostatis quorum mentionem faciunt Petrus

& Paulus.

Petri Epistola posteriori cap. 2. v. 1. 2. hæc sunt verba: *Fuerunt autem & Pseudoprophetae in populo, & etiam inter vos erunt falsi Doctores, qui subintroducunt hereses exitiales, etiam Dominum, qui illos mercatus est, abnegantes, accersentes sibi ipsis velox exitium, & multi sequentur eorum exitia, per quos via veritatis blasphemabitur.*

R. Apostasiam hæc prædici verè sanctificatorum & regeneratorum nunquam probabit Bertius. Pseudoprophetae & falsi Doctores ij sunt, *quorum damnato jam olim non oriatur, & quorum exitium non dormitat.* v. 3. h. e. qui ab æterno destinati sunt damnationi. Quo sensu hosce mercatus dicatur Dominus, aliàs ostendimus: nec auget id præsentem difficultatem ex hypothesis Adversariorum, qui pro omnibus promiscuè tam reprobis quam electis Christum esse mortuum docent: quæ de quæstione supra nobis actum. Horum Doctorum exitia, qui sequuntur, ad eundem cum Doctoribus censuram pertinent.

Pauli i Timoth. 4. v. 1. hæc sunt verba: *Spiritus autem disertè dicit fore, ut posterioribus temporibus desciscant quidam à fide, spiritibus deceptoribus attendentes ac doctrinis Daemoniorum.*

R. Fides à quâ desciscant, de quibus vaticinatur Spiritus, non est salvifica, sed historica veritatis notitia, quæ in reprobos quoq; cadit, & tandem deseritur, bonum in severum, sed reprobis non salutare. Ii igitur, qui desciscant, non sunt electi & regenerati, sed hypocritæ & *ὑποκριται*. Idem est sensus loci Act. 20. v. 30.

Vidimus hæctenus exempla Apostatarum à Bertio allegata, ijsq; sententiam nostram non lædi ostendimus. Subijciemus porro exempla ab aliis producta.

De Aarone.

Aaronem tanquam exemplum totalis apostasiæ producit Eckhardus in fasciculo: *Consensit is in idololatriam Exod. 32. v. 3. 5. 21. 25.*

R. Aaron quidem in idololatriam consensit, sed ex formidine populi, Itaq; consensus hic planè voluntarius non fuit, Vnde à verò Deo penitus Aaronem defecisse nefas est asserere. Et si forte externos quoq; idololatriæ actus ipse quoq; exercuit: idololatra videri furibundo populo quam esse dubio procul maluit. Interim gravissime Aaronem peccasse non negamus.

De Davide.

In Davidis exemplo pleriq; Apostasiæ Patroni exultant, Remonstrantes, Lutherani, Pontificij.

Peccata Davidis fuere duo longè gravissima, *adulterium & homicidium*, quibus cum peccatis fidem & Spiritum sanctum posse subsistere uno omnes ore negant: Excludit enim scriptura hisce peccatis inquinatos ab hæreditate regni Dei, 1 Cor. 6. v. 10. Gal. 5. v. 21. Ephel. 5. v. 5. Deinde & hoc urgent, quod in iudicio Dei censeatur filius mortis. Deniq; ex precatone quoq; ipsius Davidis sic arguunt: David conversus jam orat Ps. 51. v. 11. *Spiritum sanctum tuum ne auferas à me*: Antea igitur amiserat & deinceps amittere poterat. Simile quid colligunt ex illis verbis: *Cor mundum crea in me*. Ergo, inquiunt, Spiritum sanctum penitus excusserat. Has ferè machinas fidei Davidis admovent hostes perseverantiæ sanctorum.

Nos verò Davidem electum & verè regeneratum ante lapsum fuisse fatemur: eundem post regenerationem gravissimè peccasse, fidem tuam la-
befa-

befactasse, Spiritum Sanctum contristasse non negamus. At fidem penitus
 extinxisse, Spiritum prorsus excussisse, absit, absit ut ulli concedamus.
 Contrarium prolixè hactenus demonstravimus. Nec obscurè probatur ve-
 ritas ex ipsâ historiâ & pœnitentiâ Davidis, quæ describitur Psalm. 51. I.
 Post commissa enim enormia peccata toto pectore ad DEUM redit, invo-
 cat Domini nomen, peccata confitetur, mundari se ab ijs petit: certè fru-
 ctus hi sunt fidei & Spiritus post peccata sese recolligentis, & peccatorum
 deformitatem & enormitatem Davidi repræsentantis. Sine Spiritu enim
 & fide nulla est vera pœnitentia. Sic Augustinus in hunc locum; *quia
 non potest esse confessio peccati & punitio peccati in homine à seipso, cum
 quisquam sibi irascitur & sibi displicet, sine dono Spiritus sancti non est.*
 II. Precatur David ne Spiritum sanctum, à se DEUS auferat, non reddi
 eum sibi petit. Spiritum igitur prorsus non excusserat, nec fidem penitus
 extinxerat. Hæc quoq; precantis verba observat Augustinus: *Non ait Spi-
 ritum sanctum tuum da mihi, sed ne auferas à me. Et si laudè obscure fatetur,
 privationem Spiritus sancti se pro meritum esse:* Nec moramur cavillationem
 Meisneri: Precatio, inquit, facta est post pœnitentiam, postquam Spiritu-
 tum excussum recuperavit. R. Falsum est quod ait Meisnerus: precatio est
 Davidis in ipso pœnitentiæ actu jam constituti, ad quem se accingere non
 potuisset, si spiritu planè ^{re-}atus fuisset. III. Precatur David in pœniten-
 tiâ suâ, ne abijciatur à facie Domini. Non igitur à facie propter peccata
 prorsus fuit abjectus. IV. Petit David restitui sibi non ipsam salutem, sed
 lætitiâ tantum salutis: *redde mihi inquit, lætitiâ salutis tue.* Non sensit
 igitur ablatam sibi salutem (etsi morte se dignum judicavit) sed salutis
 tantum lætitiâ. V. Si benignitatem suam Deus secundum promissionem
 suam non avertit à Salomone, etiamsi perversè egit Salomon, idque
 propter Davidem, qui tanto se scelere non polluit, quanto Salomon: utiq;
 multò minus eam à Davide avertit penitus eum reiiciendo. At verum prius
 1. Reg. II. Ergo & posterius. VI. Non peccavit David ex toto animo & ple-
 no voluntatis consensu, quomodo qui natus ex Deo est, non peccat, quia
 semen Dei in eo manet, sed spiritu reclamante à carnis cupiditate abre-
 ptus, quod etiam renatis usu venire in personâ suâ ostendit Paulus Rom. 7.
 Duellum hoc carnis & Spiritus quod in Davide erat, egregiè describit Bu-
 cerus commentario in cap. 7. ad Rom. & in libro de Ecclesiâ verâ fol. 132.
 Nec contrarium nobis suadent Adversariorum rationes. Primum enim

peccata, quæ in Davide concurrunt, Spiritum sanctum prorsus non excutunt, nec fidem penitus extinguunt, (etsi illum contristant, hanc gravissimè lædunt) nisi perpetrentur cum pleno voluntatis consensu, & ex destinata malitiâ, quomodo vel renatos peccare vel Davidem peccasse constanter negamus. Nec obstat quod scriptura homicidas & adulteros à regno DEI excludat: de impœnitentibus enim loquitur, qui peccata hæc non ex imbecillitate, sed ex destinata malitiâ committunt, ijsq; sese oblectant, quæ peccandi libido in renatos non cadit. Efficax enim in ijs est Spiritus, etiamsi quandoq; succumbit. Deinde omnes peccatores in iudicio Dei sunt filij mortis, hoc est, morte sunt digni, si facta eorum ad rigidam justitiæ normam exigantur: Uade David alibi iudicium hoc deprecatur: *Domine ne ingredere cum servo tuo in iudicium*. Non tamen propterea sequitur omnes Dei gratiâ totaliter vel finaliter excidere: rigorem enim justitiæ mitigat misericordia, quæ propter CHRISTUM peccata non imputat. Deniq; ex prece Davidis contrarium ostendimus ratione nostrâ. 2. Attamen ajunt, amittere Spiritum poterat, quia petit ne DEUS auferat. R. Amittere poterat quoad se; non poterat quoad benignam Dei voluntatem, quæ spiritum in eo conservare immutabiliter decreverat, haud equidem sine medijs sed intervenientibus precibus, quas per Spiritum ei suggessit. Nec petitio de mundo corde creando ^{consuetudinem} Spiritus amissionem arguit: Petit enim David mundari se à peccatis, quibus impurum se reddiderat: fidei incrementum petit, ut reliquas cordis immunditias posset superare, Spiritus conservationem petit. Sic ipse Lutherus hæc verba interpretatur tom. 3. edit. Witteb. fol. 527.

De PETRO.

Et Petrus videtur evidens totalis Apostasiæ exemplum & argumentum: in quo amplificando mirè sibi placent pleriq; Lutherani: argumenta apostasiæ hæc colligunt I. Petrus ter abnegavit CHRISTUM, & abnegationem perjurio confirmavit. Ergo gratiâ Dei prorsus excidit, & fidem penitus amisit. Ratio consequentiæ est: quia qui abnegat CHRISTUM coram hominibus, eum quoq; abnegat CHRISTUS coram Patre suo. Matt. 10. v. 33. II. Qui negat CHRISTUM, Spiritum CHRISTI non habet. Rom. 8. v. 9. At Petrus negavit CHRISTUM. Tum igitur cum negaret, Spiritum CHRISTI non habuit nec retinuit. III. *Quisquis voluerit animam suam salvam facere, perdet eam.* Matt. 16. v. 25. At Petrus abnegando CHRISTUM voluit

voluit animam suam salvam facere. Ergo perdidit eam. IV. Qui opus habuit novâ conversione, is fuit à CHRISTO averfus. At Petrus opus habuit nova conversione. Ait enim ad ipsum CHRISTUS. Luc. 22. v. 32. *Tu conversus aliquando confirma fratres tuos.*

Nos verò etsi gravissimè peccasse Petrum non inficiamur, tamen à fide in CHRISTUM penitus defecisse constanter negamus, & militant pro sententiâ nostrâ omnia argumenta, quæ ex scripturâ supra produximus. Jam unicum & speciale pro fide Petri conservatâ argumentum produci-
mus ex historiâ Evangelicâ :

Pro quo CHRISTUS rogavit, ne fides ejus deficiat, ejus fides non defecit. Atqui CHRISTUS pro Petro rogavit, ne fides ejus deficiat. (*ὡς μὴ ἐκλείπῃ*) Ergo Petri fides non defecit.

Propositionis ratio est, quia CHRISTI intercessio electorum suorum salutem concernens est efficacissima, & semper exauditur: Sciebam, inquit, Joh. 11. v. 42. me semper à te audiri. Et sane ad fidei nostræ *πληροφωρίαν* indubitata hæc Redemptoris nostri exauditio inprimis est necessaria. Quid enim de exauditione nostri nobis poterimus polliceri, si & redemptoris nostri pro nobis preces irritas esse posse noverimus? Deinde si dabit Apostolis & omnibus fidelibus Pater cœlestis, quæcunq; in nomine CHRISTI petierint, utiq; multò magis id dabit, quod ipse CHRISTUS petierit. At verum illud. Joh. 16. v. 23. Ergo & hoc. Deniq; quidnî exaudiatur, qui ipse potestatem habet dandi id, quod in suorum gratiam petit? & quæ quæso meriti CHRISTI esset efficacia, si nixæ eo preces non exaudirentur? Assumptio CHRISTI est Luc. 22. v. 31. & 32. *Simon, Simon, ecce Satanas appetit vos, quas ventilaret sicut triticum, sed ego rogavi pro te ne deficiat fides tua.*

Excipit Polycarpus Lyserus ad propositionem syllogismi nostri: quia CHRISTUS pro Petro rogavit, ideo non fuit *ἀδύνατον*, Petrum posse deficere.

R Potuisset sanè Petrus deficere sibi permissus & divinâ gratiâ non suffultus: poterat collidi, nî lapso Altissimi manus supposita fuisset. At non potuit, quia Divinâ gratiâ fuit suffultus, quia lapso manum DEUS supposuit, quia apostasiam CHRISTUS efficacissimâ suâ intercessione ab ipso avertit.

Excipit Meisnerus ad eandem propositionem per distinctionem defectionis totalis & finalis: & applicatione factâ ait CHRISTUM quidem

rogasse pro Petro, ne fides ejus finaliter deficeret, sed non rogasse ne totaliter deficeret. Totaliter igitur Petrum defecisse, etsi non finaliter.

R. Glossa hæc est contraria I. sacro textui. I. *VOX ἐκλείπειν* qua CHRISTUS utitur significat totaliter deficere: non esse vel habere amplius quod fueris aut habueris. Unde *μη ἐκλείπειν* actum rei existentis notat continuum, ut similis prorsus locus docet ex Psalmo productus Heb. i. v. 12. *ἡ ἔτησιν ἐκλείψουσιν*, anni tui non deficient, ubi continuationem minimè interruptam notari ex oppositione manifestū est. 2. Christus nō ait, ne deficiat fides tua finaliter, sed simpliciter, ne deficiat fides tua: Sive ig. finaliter sive totaliter defecerit Petri fides, necessariò sequetur Christi precationem fuisse irritam. 3. Si ita fas est scripturam interpretari, nonne eodem modo cavillari licebit, in nuptijs Cananæis non defecisse vinum, quia finaliter non defecit? At textus ait defecisse, Defectus igitur seu defectio non ad tempus primariò sed ad rem refertur. 4. Promittit Christus Petro victoriam contra Satanam, At quæ hæc fuisset victoria, si fidei scutum Petro Satan prorsus excussisset, eumq; subegisset? 5. Christus rogavit pro illâ ipsâ fide, qua præditus erat Petrus Christo rogante. Si ergo illa penitus est extincta, & alia numero ipsi restituta, utiq; Christus non fuit exauditus: non enim obtinuit, quod voluit: 6. Nisi fidei semen in Petro reliquum mansisset, ad solum Christi intuitum (Luc. 22. v. 61.) veram ac salutarem pœnitentiam non potuisset agere v. 62. Pœnitentia enim, nisi ex fide proficiscatur, salutaris non est. Non magis, inquam, facti verè ac salutariter pœnituisset Petrum, quàm Judam, quem non intuitus tantum est Christus, sed & amice affatus v. 43. *Juda osculo filium hominis prodis?* 7. Qui verò posset eum hac apostasiâ conciliari illud Johannis, *Semen DEI manet in eo.*

II. Expositionibus Patrum, qui verba CHRISTI, ne deficiat fides tua, de perseverantiâ in fide interpretantur. Tertullianus in libro de fugâ in persecutione circa initium. *Rogavi pro te, ne deficeret fides tua, id est, ne tantum Diabolo permitteretur, ut fides periclitaretur.* Fides igitur ex sententiâ Tertulliani in corde Petri non est periclitata: etsi in ore defecit ad tempus. August. tom. 7. de corrept. & grat. cap. 6. *Quod ait Dominus Petro, rogavi pro te, ne deficiat fides tua, quid ei rogavit, nisi perseverantiam in fide?* Illustrior & proluxior locus est cap. 7. Chrysostomus in Matth. c. 26. hom. 88. *curâ ipsius atq; favore factum est, ne omnino Petri fides evanesceret.* Ibidem expressè distinguit inter negationem & apostasiâ à fide.

de.

de. *Quomodo, inquit, negavit? Non dixit, quippe non negabis, sed ut non deficiat fides tua.* Pulcherrima est Theophylacti paraphrasis in cap. Luc. 22. ἐδεήθη ἐν Φησιν, ἵνα μὴ ἐκλείπη ἡ πίστις σου: εἰ γὰρ καὶ πρὸς μικρὸν μέλλεις σαλευθῆναι ἀλλ' ἔχεις ἐναποκείμενα τὰ σπέρματα τῆς πίστεως καὶ τὰ φύλλα ἐρρίψε τὸ πνεῦμα τῶ ἐπιηράζοντος: ἀλλ' ἡ πίστις τῆ καὶ ἐκ ἐκλείψε ἡ πίστις σου. Accedit & testimonium Lutheri, quem majoris faciunt, quàm omnes Patres. Sic ille tom. 3. cap. 11. Joh. fol. 195. a. *Qui Christo adhaerescit, abundè habet gratia, nec perire potest, etiam si carnis imbecillitate adductus lapsus fuerit: sicut sancto Petro accidit.* En agnoscit hinc Lutherus I. Petrum peccasse ex imbecillitate: non igitur peccavit ex destinata malitiâ & plenâ voluntate. II. Possè eum, qui imbecillitate carnis adductus peccat & labitur, Christo nihilominus adherescere. Deniq; Bertij quoq; suffragium addimus, in eorum Lutheranorum gratiam, qui libellum ejus de sanctorum Apostasiâ maximè faciunt, & aureum prorsus appellant. Sic autem ille in explicatione diorismi primi: *Particulares apostasie affectiones sunt, I. nondum excuti eâ planè in regenitis Spiritum sanctum, sed in tantum duntaxat contristari, quantum est illud peccatum in se. Istiusmodi fuit defectio Davidis, qui vincendum se carni præbens, adulterio & homicidio polluit, & tamen potuit credere nasciturum ex suo semine Messiam. Talis quoq; abnegatio fuit B. Petri. II. dari ab eâ restitutionem ex gratiâ Dei in Christo per seriam penitentiam, & semina sive principia boni adhuc reliquâ. Exemplo sint David, Petrus, alij.* Sic & Bellarminus negat Petri fidem unquam defecisse, lib 4. de Pont. Rom. cap. 3. Etsi sibi contradicit lib. 3. de justificat. cap. 14 ubi eodem loco habet Judam, Petrum & Simonem Magum.

Sic igitur sententiæ nostræ veritate demonstratâ ad Adversariorum rationes ordine respondemus:

Ad I. Consequentiam negamus: ad probationem respondemus: Christum non de quavis abnegatione loqui, sed I. de deliberatâ, quâ Christum ac veritatem quis abnegat, nullo subito & inopinato periculi metu victus & adactus, sed sponte, habitâ secum deliberatione, vel vitæ conservandæ, vel dignitatis retinendæ, vel honoris obtinendi gratiâ; cum hac abnegatione expirant etiam plerumq; in corde fidei initia, ut de *πρὸς καί εἰς* Christus affirmat. II. de pertinaci, quam seriatim ac salutaris penitentia non consequitur. Hujusmodi v. non fuisse abnegationem Petri docet historia sacra. Primum n. subito & inopinato metu Petrum fuisse correptum & obrutum

è textu patet: hinc consecuta abnegatio priusquam sese recolligeret & peccati enormitatem perpenderet; abnegatio inquam externa tantum & oratis, quâ cum fides in corde non expiravit, uti probavimus. Deinde ut idem textus docet, poenitentia serua & salutaris statim est insecuta, quam produxerunt ἐναποκείμενα illa πίστεως ἀέριματῶα intuitu CHRISTI suscitata. Non autem de quavis abnegatione CHRISTUM loqui patet. I. ex collatione contrariorum, quæ in textu instituitur, confessionis nempe coram hominibus & abnegationis coram hominibus. Ut enim non quosvis CHRISTUS coram patre suo confitetur, qui coram hominibus ipsum confitentur (confessio enim externa verè fidelibus cum hypocritis est communis) sic nec omnes protinus CHRISTUS coram Patre suo abnegat, qui coram hominibus quacunq; ratione ipsum abnegant. 2. Si de quavis abnegatione CHRISTUS loqueretur, sequeretur utiq; Petrum fuisse damnatum. Quos enim coram Patre suo CHRISTUS abnegat, eos certissimum manet exitium, è quo nunquam emergunt, ut patet ex Matth. 7. v. 23. 3. Cum abnegatione quadam oris, consistit nihilominus fides cordis, quod exemplo Petri probavimus ex scripturâ, ex Patribus, ex ipso Luthero, ex Bertio apostasiæ fideli patrono, ex Bellarmino. Cum igitur coram Patre suo Christus neminem abneget, qui veram in corde fidem retinet, consequens est, non de quavis abnegatione Christum heic loqui. Interim tamen abnegationem in genere gravissimum esse peccatum ultro fatemur.

Ad 2. Antecedens primùm in textu non habetur: verba Apostoli sunt. *Quod si quis Spiritum Christi non habet, is non est ejus.* Hic nihil de negatione vel confessione Christi. Deinde citra limitationem acceptum fallum est, verum autem non nisi de abnegatione deliberatâ & pertinaci, ut ante docuimus. Mansit in Petro abnegante Christum fides, uti monstravimus. Mansit igitur & Spiritus Christi, sine quo fides non est: *Habitat enim Spiritus per fidem in cordibus nostris.*

Ad 3. Propositionem distinguimus. Quisquis voluerit animam suam ita servare, ut reprobè expensâ & deliberatâ periculo imminente, Christum abneget, & verâ ac salutari poenitudine facti sui nunquam ducatur, is certè animam suam perdet. Quod ut de Petro dicamus, absit: contrarium jam ante probavimus. Deinde qui semel animam suam totaliter perdidit, salutem ejus nunquam recuperat. Hocine vero de Petro dicent? Fidem in corde qui retinet, animam non perdit, etsi perditione dignum facinus committit, ore Christum negando.

Ad 4. Conclusio rectè intellecta nobis non adversatur. Fuit enim Petrus à Christo averfus, quoad oris confessionem & fidei professionem. Unde convertendus erat per seriam pœnitentiam quâ peccati enormitatem agnosceret, deploraret, & condonationem impetraret. Aversum verò à Christo fuisse quoad fidem in corde radicatam nunquam probabunt adversarij; contrarium nos ante probavimus. Non igitur convertendus fuit ad fidem, sed ad fidei professionem. Sic quoq;, norante Sebastiano Benfelido Anglo, Cardinalis Cajetanus conversionem hanc interpretatur. *Nisi, inquit, Petrus se averfurus esset, non ei diceretur, & tu aliquando conversus. Averfus siquidem est, etsi non à fide, tamen à confessione fidei, à caritate Dei, falsum juramentum incurrendo cum juravit, se non nosse Christum. Sed à caritate Dei penitus defecisse Petrum, Jesuitæ non damus. Fides enim salvifica sine caritate nequit esse.*

Nec fortè moveat quempiam autoritas Ambrosij, qui sermone 46. & 47. Petrum ait amisisse, perdidisse fidem: Per fidem enim intelligit confessionem fidei: vel ut Jesuitæ Salmeroni placet, fidelitatem Christo amico & Domino suo debitam.

De Judâ proditore.

De fide & apostasiâ Judæ proditoris supra in vindicatione demonstrationis nostræ 19. cum Bertio pluribus egimus: ubi refutatis septem ejus rationibus, quibus verè fidelem Judam fuisse nititur demonstrare, ex scripturâ, & patribus contrarium evicimus. Non solet autem ab omnibus Judas in verè fidelium catalogum transcribi. Bellarminus uno Judæ exemplo videtur sibi posse triumphare. *Judas inquit, proditor, etiamsi solus esset, exemplo suo omnia ora obstrueret: ratiunculas producit duas: I. quia datus fuit filio à Patre, II. quia ex grege perijt, antea igitur in Christi grege numerabatur. Iisdem usus est supra Bertius. Breviter respondemus ad priorem: Judas datus est Christo non ad æternam vitam obtinendam, sed ad apostolatium obeundum. Ad posteriorem: omnino in grege discipulorum Christi numerabatur; erat enim Apostolus duodecimus: anne verò propterea sanctus fuit & fidelis? Thomas ait in Judâ documentum esse datum, quod dignitas status non sanctificet hominem, & quod vix contingat, quin in magnâ congregatione malus aliquis sit bonis admistus. Ad superiora lectorem remitto.*

Lu-

Lutheranos, qui Judæ quoq; exemplum nobis obijciunt, ad Lutherum remittimus, tom. 5. in 17. Joh. fol. 203. ubi expressis verbis docet Judam nunquam animo adhaesisse Christo, nec verbum ejus serio amplexum, sed ideo sectatum Christum, quo sub nominis ejus prætectu divitias sibi cumularet, tantâ integritatis simulatione & fuce sanctitatis, ejus ut nequitiam nullus discipulorum persentisceret. Docet idem Brentius in exeg. cap. 13. Johannis: ubi ait Judam corpore tantum, non item fide Christi ministerium admisisse: Eos deniq; , qui Judam quoq; electum fuisse contendunt, ad Augustinum remittimus, cujus tom. 7. lib. de corrept. & grat. cap. 7. observatu digna sunt verba: *Illi electi qui secundum propositum vocati, qui etiam prædestinati atq; præsciti, horum si quisquam perit, fallitur DEUS, sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus: Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nullâ re vincitur Deus. Electi autem sunt ad regnandum cum Christo, non quomodo electus est Judas ad opus, quæ congruebat. Ab illo quippe electus est, qui novit bene uti etiam malis, ut & per ejus opus damnabile, illud propter quod ipse venerat opus venerabile compleretur. Cum igitur audivimus, nonne ego vos XII elegi, & unus ex vobis Diabolus est, illos debemus intelligere electos per misericordiam: illum per judicium: illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum: illum ad effundendum sanguinem suum.*

De Simone Mago.

Et Simonem Magum in scenam perducit Bellarminus: producunt & Lutherani, quem verè credidisse duplici argumento probant. I. quia Lucas expressè ait ipsum credidisse Act. 8. v. 13. II. quia baptizatus est, At omnes baptizati sunt renati, & verè fideles.

R. Simonem Magum fuisse renatum & salvificâ fide præditum, tam falsum esse arbitramur, quam quicquam. Eventus nobis testis locupletissimus. Etiam si igitur foris fidem simulavit & ad tempus Apostolos decipit, ut videretur credere qui se credere profitebatur, tandem tamen etiam Apostolis detecta est ejus hypocrisis, qui cor ejus in conspectu Dei rectum non esse deprehenderunt v. 21. *In felle amarissimo & nexu injustitia positum* agnoscebant v. 23. Rationes adductæ contrarium ut credamus, nobis non persuadent. Respondemus igitur ad I. fides est in ore vel in corde: De corde non possunt judicare ministri, quia καρδιογνωσται non sunt: Ex solâ igitur oris confessione & externo sanctitatis studio de fide cordis judicant.

CANT.

eant. At sæpissimè decipiuntur, quia & falla potest esse oris confessio, & si-
 mulata externa sanctitas. Sic igitur ait Lucas, Simonem Magum credidisse,
 quia credere se professus erat, quia sanctitatis studium præ se ferebat, &
 tantâ simulatione, tantoq; fuce, ut de Judâ loquitur Lutherus, ut Aposto-
 lus nequitiam ejus ad tempus non perlentilceret. Nec debebat Apostolus
 ex charitatis judicio aliter sentire, uti & quivis ministri de suis auditori-
 bus, quos fidem audiunt profiteri, & sanctitati vident studere. Deus est qui
 corda inspicit & falli nequit. Ad 2. Omnes baptizatos esse renatos & verè
 fideles ij tantum statuunt, qui per externum aquæ lavacrum fidem infun-
 di & regenerationem peragi, adeoq; externis sacramentorum symbolis
 res spirituales & signatas inclusas & alligatas docent, quibus nos mini-
 mè suffragamur. Quanto rectius docuit Augustinus de baptismo & Simo-
 ne Mago tractatu sexio in Johannem? *Quod foris accepisti baptismum, de
 eo noli gloriari, nonne multi ebriof, multi idololatra habent baptismum? Quod
 habes, habuit & Simon Magus, ut Actus Apostolorum testes sunt, Ille liber Ca-
 nonicus singulis annis in Ecclesiâ recitandus est, Simon ergo, qui non erat in Ec-
 clesiâ columba sed corvus, baptismum habebat, sed Christo non adharebat.* In eo-
 dem tractatu accuratè distinguit Sanctus Pater externum baptismum ab
 interno, illumq; ab hoc separari posse ostendit: *Ergo, inquit, habeo bap-
 tismum? Habes, sed baptismum illud sine caritate nihil tibi prodest: quia sine cari-
 tate tui nihil es. Item si baptismum habes esto in columbâ, ne non tibi prodest
 quod habes, veni ergo ad columbam, dicimus, non ut incipias habere, quod non
 habebas, sed ut prodesse tibi incipiat, quod habes: foris enim habebas bap-
 tismum ad perniciem, intus si habueris, incipit prodesse ad salutem.* Augustino
 expressis verbis adstipulatur Hieronymus: *Si quis, inquit, hoc corporeum,
 quod oculis carnis adspicitur, aquæ tantum accipit lavacrum, non est indutus
 Dominum Jesum Christum. Nam & Simon ille de Actibus Apostolorum (Si-
 mon Magus) acceperat lavacrum aquæ, verùm quia sanctum Spiritum non
 habebat, indutus non erat Christum. Et heretici vel hypocrite & hi, qui sordidè
 vitant, videntur quidem accipere baptismum, sed nescio an Christi habeant
 indumentum. Itaq; consideremus, ne forte & in nobis aliquis deprehenda-
 tur, qui ex eo, quod Christi non habet indumentum, arguatur non baptizatus
 in Christo.*

De Thomâ.

In Christum, inquit, Meisnerus, tanquam Messiam mundi ante passionem

o o

verè

verè credidit Thomas: post autem planè incredulus fuit, præsertim circa articulum de resurrectione Christi. Johaa. 20. v. 25. Fidem ergo tum temporis non habuit, sed excussit.

R. Fidem suam in Christum passum & mortuum abjecisse Thomam penitus, minimè concedimus: nec probari id ex sacro textu potest: veluti nec hoc demonstrari potest, circa articulum de resurrectione Christi planè fuisse incredulum. Etsi enim condiscipulis suis de resurrectione Christi testantibus illico non credidit, uti textus habet; de resurrectione tamen propterea simpliciter eum desperasse non sequitur. Interim concedimus fidem Thomæ graviter fuisse concussam, at prorsus excussam non concedimus: Incredulus verò dicitur, quod Apostolis de Resurrectione jam factâ testantibus fidem non habuerit. Si de resurrectione mortem brevi futurâ simpliciter eum dubitasse, imò absolutè eam negasse contendas, probandum fuerit de eâ ante passionem Christi eum fuisse certum. Id verò ex scripturâ probari nequit: In Apostolis sub initium non fuere nisi rudimenta fidei, quæ tamen sua indies acceperunt incrementa.

De servo livido & moroso.

Exemplum hujus servi, cujus fit mentio Matth. 18. v. 28. & seq. producit in fasciculo Eckhardus; servus iste acceptâ debitorum remissione, haud utiq; sine fide, sine fide enim in Christum nulla peccati est remissio, in æternum tandem carcerem est coniectus. Aliquis igitur verè fidelis fidem potest amittere, & tandem æternum perire.

R. Simile à Christo proponitur, quod ultra scopum extendi non debet. Scopus autem Christi est monstrare exemplo hujus servi & Domini debitorum primò remittentis, postmodum verò in vincula perpetua servum malignum conijcientis. I. Solis ijs a Deo peccata remitti, qui offensas proximo condonant. II. Eos, qui offensas proximo non condonant, certum manere exitium: Unde apparet servum illum malignum in conspectu Dei nunquam fuisse fidelem. Nec est quod excipias, remissa ei fuisse debita, fuisse igitur fidelem. Primùm cum debita, quæ servo isti parabolico leguntur condonata, non fuere peccata, sed pecuniæ. Deinde debita illa fuere condonata non à Deo, quem hypocrisi suâ & corde maligno ac truculento in proximum, non potuisset decipere, sed à Rege aliquo summo, quem parabolicè Christus adducit, Is servi sui maligni precibus flexus debitorum

bitum

bitum remisit, quia cordis malitiam inspicere non potuit, quã tandem patet factã sententiam mutat. Protus igitur alienum est hoc exemplum.

De Episcopo Ecclesie Ephesinæ

Exemplum hujus Episcopi adducunt tam Pontificij quã Lutherani, ex Apoc. 2. v. 4. 5. verba sunt: *Habeo aliquid adversum te, quod charitatem tuam primam amiseris. Memor esto itaq, unde excideris, & resipisce, & priora opera facito: sin minus, veniam adversum te cito, & movebo candelabrum tuum è loco tuo.* Totaliter igitur à fide Episcopus excidit.

R. Episcopum hunc à fide totaliter non excidisse è versiculis præcedentibus 2. & 3. liquidè demonstratur, *Novi inquit Christus opera tua & laborem, & tolerant vim tuam: & quod non passus ferre malos.* (nota: in præsentia loquitur) *onere pressus fuisti, & sustines* (iterum in præsentia loquitur) *& propter nomen meum laborasti & non es defatigatus* (laudat hinc patientiam & perseverantiam ejus) Quis talia encomia tribuat apostatæ, qui à fide totaliter defecerit? certè fidei hæc sunt opera, quæ Episcopo huic tanquam præsentia tribuuntur.

At inquis, dicitur nihilominus charitatem primam deseruisse, dicitur excidisse.

R. Non absolutè charitatem dicitur deseruisse (tribuuntur enim ei præsentia charitatis opera) sed charitatem primam, hoc est, fervorem charitatis, à quo exciderat, ad quem per pœnitentiam reverti jubetur, sub comminatione amotionis candelabri, hoc est, dignitatis episcopalis. Thomas in hunc locum ait, *Episcopum hunc & Ecclesiam defecisse à fervore charitatis, sed non à sustinentiã tribulationis.*

De Judæis.

Judæos allegat Eckhardus. *Dicuntur ex arbore vite excisi & defraçti.* Roman. 11. v. 20.

R. De hac excisione alibi diximus: breviter decisi & defraçti dicuntur, non qui actu per fidem jam erant infiri, sed qui ex Ecclesiã, cujus habebantur membra, propter infidelitatem sunt rejecti, nonnulli quidem ad tempus: qui nempe electi erant, & postmodum convertebantur: alij in perpetuum, qui reprobi erant, & in infidelitate perseverabant.

De Ninivitis.

Hos producit Meisnerus. Quos verè, inquit, & non hypocriticè conver-

ios fuisse ablatâ pœnâ & ipse Jonas testatur cap. 3. v. 11. Hi tamen vicissim fuerunt in impietatem relapsi, ut patet ex cap. 1. Nahum: ubi onus Ninivæ describit.

R. 1. Omnes Ninivitas verè fuisse conversos ex prophetâ nequit probari: nec verò id ullo modo probabile est, in urbe tam populosâ nullum fuisse hypocritam. Abstulit a. Deus pœnam ab omnibus, dubio procul, propter nonnullos, qui veram ac seriam egere pœnitentiam, non externo saltem corporis gestu, sed interno potissimum mentis affectu ad Deum conversi. In paucorum n. piorum gratiam etiam manifestè impijs Deus quandoq; parcit: sic Abrahamo promisit, se Sodomitis parsurum, si vel decem saltem inter eos justî reperirentur. Gen. 18. v. 32. II. An de iisdem numero Ninivitis loquatur propheta Nahum, de quibus loquitur Jonas, prorsus incertum est. Contrarium suadet temporis ratio, quæ planè diversa. Sed concedamus de iisdem utriq; Prophetæ sermonem esse. Quid tum? Qui ad manifestam impietatem relapsi sunt, & à Prophetâ arguuntur, in genere *αἰσχρονομήτοι* fuere, qui verò ad Deum nunquam fuere conversi: Et si ad tempus forte malitiam internam compresserunt, ne exundaret.

De Corinthijs.

Corinthij ajunt nonnulli erant justificati, sanctificati, verè fideles. 1. Cor. 6. v. 12. Et tamen commiserunt crimina conscientiam vastantia, ut dissidia, fornicationes & alia scelera, quæ in ijs reprehenduntur.

R. Omnes Corinthios fuisse justificatos & sanctificatos, nemo facile dixerit, nedum ex Paulo probaverit. Ait autem Paulus eos esse justificatos & sanctificatos, more reliquor. Apostolor. qui sanctos & electos vocant auditores, qui sanctitatem profitentur, & externa saltem electionis produnt judicia, quos charitate jubente, pro verè sanctificatis & electis habent, quamdiu contrarium ipso facto non demonstrant. Crimina igitur conscientiam vastantia, si fuere à Corinthijs commissa, certè ab omnibus non sunt commissa, & quidem ab ijs minimè, qui non in hominum tantum sed & Dei conspectu verè fuerunt sanctificati & justificati. Solent autem prophetæ & Apostoli, immò omnes ministri nonnullorum in cætu peccata, in genere cæti exprobrare, ut in specie sibi applicent, qui tangi se sentiunt. Est & hoc observandum: idem scelus in impio vastare conscientiam, quod in pio eam non vastat: ratio est, quia ab impio committitur ex animâ & plenâ voluntate; à pio ex imbecillitate, spiritu quidem aliquandiu carni resistente

resistente, at tandem succumbente: duellum hoc carnis in renatis describit Paulus ad Rom. 7.

De Galatis.

Galatas deniq; pleriq; producunt Lutherani: occasione loci, qui est c. 5. ad Gal. v. 4. *Facti estis inanes Christi, quicumq; per legem justificamini, & a gratiâ excidistis.* Et v. 7. *Currebatis pulchrè, quis vos interpellavit, ut non obsequeremini veritati.* Sic c. 1. v. 6 *Miror vos ita cito, deserto eo, qui vos vocarat in gratiam Christi, transferri in aliud Evangelium.* Et c. 3. v. 3. *Adeo amentes estis? cum spiritu inceperitis, nunc carne perficimini.*

R. Omnes Galatas à pseudopropheta turbatos in articulo de justificatione hominis coram Deo, vero minimè consentaneum est: de potiori tamen parte si id affirmetur, morosè non contradicimus: Ipsos verò illos, quorum per pseudoprophetas concussa fides, omnes pariter à Pauli doctrinâ fuisse averfos, nullo modo demonstrari potest. Itaq; sive de ijs, qui verè erant conversi, sive de ijs, qui inter prima conversionis adhuc hærebant initia, sive deniq; de hypocritis Paulum loqui contendas, sententiæ nostræ non metuimus. Et primum quidem nihil obstat, quo minus de ijs etiam Pauli verba accipiamus, qui inter prima conversionis initia hærebant, etsi verè nondum erant conversi. Nam & ij benè currunt, dum doctrinam Evangelij tanquam veram amplectuntur etiam cum lætitiâ, & sanctitati externè saltem student, priorem suam vitam improbant. His enim gradibus ad veram itur conversionem; etsi ab ijs plurimi relabuntur, priusquam ad metam veræ conversionis pervenerint, quos *δεσπονας* egus appellat CHRISTUS & terra bona contradistinguit. Sic & in spiritu hi dicuntur incipere, imò baptizati & CHRISTUM dicuntur induisse, quo ad professionem, dum nomina sua externè dant CHRISTO, de CHRISTO gloriantur, & ab ijs sese segregant, qui contrariam doctrinam profitentur. Sic August. lib. 5. contra Donatistas cap. 24. *Induunt homines CHRISTUM aliquando usq; ad sacramenti præceptionem: aliquando usq; ad vitæ sanctificationem; atq; illud primum bonis & malis potest esse commune; hoc autem alterum proprium est bonorum & piorum.* Imò & Spiritus sancti participes dici possunt, quoad dona aliqua communia reprobis nonnullis cum electis. Sic & fideles appellantur, qui à verè fidelibus discerni nequeunt: fallunt enim externâ fidei specie: unde ex charitatis iudicio pro verè fidelibus habentur, donec contrarium factum non demonstrant.

Eodem sensu & Augusto illo nomine filiorum Dei insigniuntur, quia tales haberi volunt, imò ex dictamine charitatis tales judicantur, quia fidem filiorum Dei profitentur, quia symbola filiorum Dei, hoc est, sacramenta sibi vendicant. Unde autor operis imperfecti in Matthæum, *multi videntur filij Dei facti propter aquam baptismatis, qui revera non sunt filij Dei, quia non sunt Spiritu baptizati.* Sic igitur omnes Galatæ à Paulo appellantur quoq; filij Dei per fidem, quia de ijs non poterat judicare, nisi ex professione fidei, quâ filij Dei per gratiam regenerationis constituuntur. Hoc autem titulo à falsâ doctrinâ erroneis nititur revocare: quasi dicat, vos profitemini vos esse Dei filios per fidem, ecurr igitur à fide ad legem relabimini? Deniq; ijdem à *gratiâ dicuntur excidere*, non quod antea in gratiâ verè fuerint constituti, sed quod omnem gratiæ spem sibi præciant, dum gratiæ doctrinam deserunt: Sic & *inanes Christi fiunt*, non quod beneficiorum, quæ filiorum Dei verorum sunt propria, antea fuerint participes, sed quod beneficia ejus in Evangelio oblata repulerint, dum in lege justitiam quæsi verunt. Quod si verò de verè conversis Paulus loquatur, negamus à doctrinâ Evangelij eos prorsus defecisse, sed turbatos tantum contendimus, adeò ut cæperint animis fluctuare. Maturè igitur ijs succurrit Paulus, & apostasiæ ab ijs periculum avertit. At, inquis, *dicuntur inanes Christi facti, gratiâ excidisse?*

R. Pauli verba non categoricæ sed hypotheticæ orationis vim habent, & continent efficacem dehortationis rationem. Si per legem vultis justificari, utiq; inanes Christi estis facti, & à gratiâ excidistis. Ita propositio contrariæ pseudoapostolorum doctrinæ, periculo, vacillantes confirmat, & ad sanæ mentis stabilitatem revocat. Non autem existimasse Paulum, à Galatis doctrinam de gratuitâ hominis justificatione prorsus esse rejectam, sed animos ipsorum saltem à pseudoprophetis turbatos, patet ex vers. 10. *Ego confido de vobis in Domino, vos nihil aliud sensuros: sed qui turbat vos, auferet condemnationem, quisquis fuerit.* Sic & turbatos dixerat cap. I. v. 7.

Haftenus excussa altera Bertij demonstratio.

Tertia demonstrationis connexum geminum est. Unum, si justus non posset justitiam suam deserere, finis ipsi propositus esset non conditionalis, sed necessarius: alterum: Si justus non posset justitiam suam deserere, nunquam Deus posthabita priori justitiâ aeternæ morti ipsum destinaret.

Prioris connexi consequentiam negamus: finis enim conditionalis pro-

pro-

propositus non arguit vel iustitiæ, vel finis vel ipsius electionis mutabilitatem, sed executionis & ad finem perductionis dependentiam à medijs. Cū enim immutabile electionis decretum Deus exequatur, non immediatè sed mediatè finem quoq; electionis, qui ex hominis parte est vita æterna, à certis suspendit medijs, quæ mutabilem electionem ejusq; finem non faciunt, sed consiliorum Dei rationem nobis ostendunt, ut sciamus, vitam quidem æternam à Deo nobis decretam, attamen per media conferendam. Interim ex parte Dei tam sunt certa & infallibilia media, quàm ipsa electio & finis: finem enim à Deo destinatum semper assequuntur, ut quæ ab omniscio & omnipotente Deo diriguntur. Unde patet malè opponi à Bertio finem conditionalem, & necessarium. Nam & conditionalis & necessarius est finis, conditionalis quidem, ratione mediolorum, necessarius verò ratione voluntatis divinæ, quæ ut finem immutabiliter vult, sic per media eum procurat infallibiliter.

Posterius connexum admittimus: sed assumtum ex eo negamus: Probatio, quia scripturæ dictis nititur hypotheticis, contra nos nihil probat. Similia dicta & reliqua sunt, quæ à Bertio adducuntur 2. Timoth. 2, v. 12. Luc. 9. vers. 26. Johan. 15. vers. 2. Rom. 8. v. 12. De loco ad Hebr. 9. v. 4. supra egimus.

Quartæ demonstrationis Conclusio rectè intellecta nobis non adversatur. Videatur fundamentū generale primum, sed in hac demonstratione probè observandum, quod fundamenti loco ponitur: *Nempe Electos & verè sanctificatos in officio contineri per rejectionis metū*: si enim effecti huius sit sensus: quasi electi & sancti vel metuant vel jubeantur metuere, ne benevolentiam erga ipsos voluntatem Deus mutet, & à facie suâ æternum rejiciat, quod de misericordiâ Dei est dubitare, absit ut hunc electis metum, qui profuse est servilis, præcipi concedamus. Imò verò quia charitas ijs præcipitur, dubitatio prohibetur: Est enim fidei contraria dubitatio Jacob. 1. v. 6: quiq; dubitando sui conservationem petit, non impetrat, Jacob. 1. v. 7. Metus igitur, qui fidelibus præcipitur, cum fiducia conjunctus intelligitur, à dubitationis & incredulitatis labe immunis. Quis verò, inquis, ille metus est, & cujus periculi?

R. Metus offendendi Deum & justas rejectionis causas ei præbendi: metus inquam, non fiducia sed securitati carnali oppositus: Hic metus efficacissimum est medium in officio nos continendi. Sic hypotheticæ

COM.

comminationes refectionis non metum refectionis incutiunt fidelibus, sed officij eos admonent, & in eo efficaciter continent, Dum enim edocentur fideles, de periculo, quod incurrunt, qui ab officio penitus discedunt (quod exemplis demonstrat Paulus Rom. II. v. 29. & I. Cor. 10. Hebr. 4. v. 1.) de benevolâ quidem Dei erga se voluntate non dubitant, attamen, quid faciendum sibi sit, ut periculum effugiant, intelligunt, & in officium faciendum sedulo incumbunt. Minimè igitur nos feriunt illa Berrij verba: *Jam olim, inquit, ista genus humanum obsedit vesania, plerisque beatitudinis coronam sine pulvere & sudore exoptantibus & securitatem ac certitudinem extremi finis quærentibus, sine ullâ obsequij & defatigationis molestiâ.* Hanc veram esse vesaniam verbo Dei contrariam ultrò fatemur: Nemo enim triumphat, nisi qui pugnaverit & vicerit.

Quinte demonstrationis propositio diversa continet membra, quorum pleraque inconsequentem eam reddunt. Sigillatim igitur ea inspiciamus.

I. *Non omnis qui peccat contra conscientiam, justitiam priorem deserit:* contra conscientiam enim duob. modis peccatur: I. cum quis totâ & plenâ voluntate peccatum vult, approbat, amat, & proinde nullâ ejus tanquam pessimæ rei pœnitentia ducitur. Hoc modo sancti non peccant. II. cum quis peccat voluntate non plenâ, id est, non planè quidem coactus, attamen ratione rectâ & renatâ contranitente, & tandem appetitui succumbente. Peccatum hoc contra conscientiam vocari potest, quia non quod Spiritus vult, facimus, sed quod non vult, facimus, ut de se conqueritur Paulus ad Romanos. Hoc quidem in electos Dei cadit, interim tamen gratiam non penitus excutit.

II. *Non qui vis occasionum oblatarum contemptus damnat,* aliter & Paulus, qui Evangelij doctrinam ante conversionem non contemnebat tantum, sed & hostiliter persequebatur, fuisset damnatus: sed contemptus is potissimum, qui conjunctus est cum notitiâ rei bonæ contemptæ, quiq; hostilis & finalis est.

III. *Non qui vis persecutionum horror damnat:* horrere enim persecutionem carni nostræ naturale est, quod in hac imbecillitate nunquam exuitur: ita verò horrere, ut Christum penitus malis abijcere, quàm pati, in electos non cadit.

IV. *Non omnis qui transverso cursu rapitur à viâ finaliter & totaliter aberrat:* exorbitant enim nonnulli, qui in viam postmodum revertuntur.

V. Non

V. *Non quod vis divitiarum studium, quo pietatis cursus inhibetur, cum finali disgratiâ est conjunctum.*

VI. *Non omnes qui decipiuntur, à veritatis tramite penitus abducuntur,*

VII. *Contemptus fratrum grave quidem peccatum est: interim fidem prorsus non excutit, nisi planè sit pertinax.*

VIII. *Nec omnes, qui Spiritui obnituntur, à Deo illicò deficiunt: Renati enim ex duobus agunt principiis, ijsq; contrarijs, Spiritu & carne: In ijs igitur caro, dum in statu imperfectionis sunt, Spiritui obnititur, ut docet Paulus Rom. 7. Nectamen à Deo propterea deficiunt: aliter & Paulus defecisset.*

IX. *Tristitiâ Spiritum quandoq; peccatis suis renati afficiunt, nec tamen propterea deficiunt: Aliud tristitiâ afficere, aliud penitus extinguere.*

Assumptionem jam videamus. Locus Rom. 1. v. 21. non loquitur de renatis & fidelibus, sed de infidelibus non renatis, qui longè aliâ ratione contra conscientiam peccant, quàm fideles & renati, ut ante docuimus. Locus 2. Cor. 6. v. 2. comminationem continet & dehortationem. Similia sunt loca ad Heb. 3. v. 22. & Johan. 12. v. 35. Locus Matth. 13. v. 10. non de verè renatis sed de temporarijs loquitur. Ad locum 2. Petr. 11. v. 18. suo deinceps loco respondebitur (similia quæ apud Bertium huic subijciuntur loca ut Hoseæ 4. v. 11. Syracid. 19. v. 2. Luc. 21. v. 34. dehortantur à gulæ & veneris voluptatibus, quibus etsi quandoq; spiritu reclamante abripiuntur fideles, per Dei tamen misericordiam fidei semen in ijs manet, è quo mox pœnitentiæ fructus pullulat, Locus Matth. 13. v. 22. de renatis non loquitur, uti nec locus 1. Timoth. 6. v. 10. Quod subijcit hîc Bertius pecuniam efficere, ut multi ex credentibus fiant hypocritæ, ex hypocritis hostes, blasphemi, persecutores, falsum esse pronunciamus, & scripturæ contrarium. Inde exemplum quod allegat, est *αὐτοῦ τοῦ δίουουου*. Judas enim nunquam fuit verè renatus, nunquam fide salvificâ præditus. Ad Bertij rationes supra respondimus. Locus Matth. 24. sententiæ huic planè est contrarius, & electionis ac regenerationis immutabilitatem evidentissimè demonstrat, ut suo loco monstravimus. Locus 2. Cor. 11. v. 3. si de electis & renatis loquitur, non nisi in errores induci posse evincit, quod & nos fatemur: in errore autem eos perseverare non affirmat. (Qui huic subijcitur locus 2. Thes. 2. v. 10. de electis & renatis non loquitur) Locus Rom. 11. v. 18. continet dehortationem. Locus Apoc. 2. v. 5. comminationem continet & adhortationem. Lo-

cus Psalm. 95. dehortatur ab induratione. Sic & locus ad Heb. 3. vers. 13. Locus Actor. 7. v. 51. expressè loquitur de non renatis, *Vos*, inquit Apostolus *incircumcisi corde & auribus*. Locus 1 Thessal. 5. v. 19. continet dehortationem. Omisimus heic quosdam Tertij titulos, qui minus habent difficultatis, & ex ijs, quæ modò diximus facile expediuntur.

Sexta demonstratio tota conceditur. Nec enim quæstio est, an sancti possint deficere, si omittant integræ conscientiæ studium, preces, vigalias, sanctum timorem, fidem, Sed quæstio est, an Deus velit permittere, ut omnia hæc amittant & proinde penitus à Deo deficient. Responsio generalis prima huc referatur, Possunt enim deficere abijciendo omnia hæc media, quoad se, potentiam verò hanc in actum non deducunt DEI sustententis gratiâ.

Septima demonstrationis Assumptionem negamus. Probatio adducit exemplum servi lividi, de quo in destructione demonstrationis secundæ.

Octava demonstrationis propositionem negamus. Nec enim Dæmonum è corporibus ejectionem necessario consequitur justificatio. Ejectionem tamq; Dæmonis misericordiæ opus est, quod in reprobis etiam Deus efficit, ut multa alia. Nec sufficiens justificationis causa est Dæmonis ejectio, cum non Dæmon solus ad infidelitatem & impietatem alliciat, sed vel in primis caro peccatrix & conversatio cum impio mundo. Quid? quod non inhabitando tantum ad peccata invitet Satan, sed & foris adstando, & leonis instat circumeundo. Adde ut justificationis defectus non necessario arguit corporalem Dæmonis inhabitationem, aliter enim omnes injusti à Dæmone corporaliter essent obsessi, quod nec sacra nos literæ docent, nec experientia confirmat: ita nec Dæmonis ejectio necessarium veræ justificationis est indicium. Et quid aliud ejectio miraculosa Dæmonis, quàm liberatio hominis à tyrannide Dæmonis, quæ ita constringebatur, ut & loqui & agere ad nutum ejus cogeretur. Hæcine verò liberatio vel ipsa est justificatio, vel causa ejus totalis & sufficiens? Interim & hoc observetur, Tertianæ demonstrationis structuram non esse Logicam: sic autem reformari potest.

Ex quo ejectus est Dæmon, is potest relabi in conditionem deteriores. Atqui ex quo ejectus est Dæmon, est verè justificatus. Ergo. Qui verè est justificatus potest relabi in conditionem deteriores.

Sic

Sic assumptio fuerit neganda, ob eas quas adduximus rationes.

Nonam demonstrationem totam concedimus, Potest enim fides nostra annihilari in se: attamen efficax Christi pro nobis apud Patrem intercessio periculum hoc avertit. Unde ad Petrum Redemptor: *Petre rogavi pro te, ne fides tua deficeret.*

Decima demonstratio rectè intellecta & explicata, tota potest concedi. Nec enim ejusmodi dantur apostatae, quales adversarius describit, qui à verà & justificante fide ac sanctitate deficiant: qui enim semel fide sunt justificati & Spiritu S. sanctificati, justitiam & sanctitatem Dei gratià, nunquam deserunt, ut supra prolixè ostendimus. Hactenus ergo nulli apostatae. Itaque cum de Apostatis loquimur, aliter necessariò fuerint describendi, nimirum *desertores & persecutores veritatis Evangelicae semel agnitae & professione publicè vulgate.* Hi enim sunt, qui Ecclesiae judicio pro verè fidelibus habiti, apostatae vocantur, non quod à fide salvificà & justitià defecerint, quam nunquam habuerunt, sed quod doctrinam fidei & justitiæ, quam veram esse noverant, & professi publicè erant, deseruerint, & à Christo alienos se esse ostenderint. Videatur resp. generalis 6. Deinde ut quinta responsio habet, apostasia partialis etiam in verè sanctos cadit, Unde tamen non tam defecisse, quam errasse dicuntur.

Undecima demonstrationis assumptionem negamus, si vitæ liber pro electionis aeternæ decreto sumatur. Approbatio ejus ex Mose & Davide non est efficax. Moylen quod attinet, variae citati loci à Doctoribus interpretationes adferuntur, quæ apud D. Zanchium videantur in opere Miscelaneo. Paucis verò nos respondemus: per vitæ liberum in exodo, non electionis decretum sed Dei foedus intelligi, quod cum solis Judæis tum Deus pepigerat. Deleri igitur ex vitæ libro hoc loco est, pro populo Dei non agnosci. Anne verò omnes, qui pro populo Dei aliquando non sunt habiti aeternum à Deo fuere rejecti? Absit. Gentiles enim olim, durante adhuc politiâ judaicâ, & verbi divini præconibus extra Judææ limites nondum dimissis, certè populus Dei non appellabantur, sed canes potius, ut historia mulieris Cananæ docet. Interim tamen ut eventus postmodum edocuit, non omnes fuere reprobi, sed plurimi electi, qui per Apostolos deinceps in orbem missos vocati, per fidem justificati & per Spiritum sanctum sanctificati sunt, tandemq; glorificabuntur. Sensus igitur Moylis est, si populo tuo non vis parcere, sed à foederis communitate rejicere, &

me è vitæ libro expungito, h. e. à fœderis communitate reijcito: cui Deus respondet, *eum se rejecturam, qui peccaverit*. Fuisse verò olim omnes peccatores Judæos, & sic à fœdere rejectos, æternum damnatos, & ad pœnitentiam nullos revocatos, quis audeat asserere? Quod si verò pertinaciter quispiam contendat, per vitæ librum intelligi à Mose electionis decretum: ne hoc quidem adversariorum causam juvabit. Non enim simpliciter aliquos deleri, ait Deus, sed cum conditione, *qui peccaverint*, id est, toto corde à Deo discesserint, nec per pœnitentiam unquam redierint. Ad Psalmi locum idem responsum damus. Augustinus hanc loci istius interpretationem adfert: *Videntur quidem per hypocrisin, quia in Ecclesiâ sunt & in fœdere continentur, videntur, inquam esse scripti in libro vitæ: tu autem declara eos non esse, scriptos in libro viventium h. e. retege ipsorum hypocrisi, in, & ita cum justis non scribantur, id est non appareant amplius esse scripti*. Quod si verò per vitæ librum non intelligatur æterna electio, sed Dei fœdus, demonstrationis connexum negabitur: etiam secundum Augustini interpretationem.

Duodecima consequens admitti potest, si de justis loquatur in & per se consideratis. Si verò quocunq; respectu actiones Spiritus extingui penitus posse contendat, ex antecedent id sequi negamus. Etiam si enim Spiritus carni quandoq; succumbit, & manifestâ actione se non exeret, non tamen propterea penitus extinguitur, & carni effræni habenas ita permittit, ut nunquam retrahat. Mox enim se recolligit Spiritus, & ad obsequium revocat carnem, paulatim eam enervando & mortificando. Hypotheticam Pauli, *si secundum carnem vixeritis, moriemini*, ultro admittimus: secundum carnem autem vivere interpretamur, carnis ductum sine Spiritus iustâ sequi, & in omnibus carni morem gerere, quod in renatos cadere negamus.

Excipit Bercius: Regeneratio præelectioni hominis non infert physicam necessitatem, sed libera manet voluntas ad utrumlibet oppositorum. Ergo homo potest, si velit, Spiritus actiones priorius negligere, Diaboli suggestionib. parere, assensum, fiduciam & notitiam potest excutere. R. Quis negat, renatum posse hæc omnia, si velit: sed an velit ullus, quaeritur? Nos negamus. Tibi Berti, contrarium fuerit probandum. Sed aqua hærebit.

At, inquis, potest velle.

R. Con.

R. Contrarium quia vult, non potest velle. Nec enim simul & semel mentis saltem compos contraria potest velle.

At, inquis, si non potest velle, non est indifferens ad utrumlibet oppositorum? & proinde liberam voluntatem non habet?

R. Indifferentia ad utrumq; oppositorum non est de essentiâ libertatis. Nec libertatem tollit immutabilis determinatio ad alterutrum oppositorum, modo non sit coacta. Aliâs enim sequeretur, nec beatos, qui in gloriâ sunt, perseverantiam in gloriâ liberè velle, nec Diabolos peccare liberè: quia in illis & in his immutabilis est voluntatis determinatio, ad alterum oppositorum. Nec tamen hîc necessitatem agnoscimus physicam, sed moralem, quâ voluntati libertas non adimitur, etsi in perseverantiâ bono appetendo per gratiam confirmatur.

Decima tertia demonstrationis connexum negamus. Ratio negationis videatur in fundamento generali. 3.

Decima quarta demonstrationis, quam singularem vocat Adversarius, primò connexum negamus, duabus de causis. I. quia per carnis cupiditates inescari & totaliter ac finaliter deficere, non sunt idem: prius enim morbum, posterius ipsam denotat mortem: atqui à morbo multi convalescunt. II. Quia ὄντως ἀποφυγόντες τὴν ἐν πλάνῃ ἀναστρεφόμενους, id est, *verè averſati eos, qui in errore & deceptione versantur*, alij esse possunt à verè justificatis & sanctificatis. Nam & ij, qui ab erroribus ad veram notitiam sunt conversi, effugerunt eos, qui in errore versantur: attamen cum conversione illâ cordis renovatio & regeneratio, propria electis sanctis, necessariò non est conjuncta. Non enim qui sciunt voluntatem Domini, sed qui faciunt eam, sancti appellandi. Sic igitur connexum duplici nomine laborat. Assumptio etiam omni dubio non caret. Ut enim Robertus Stephanus annotat, ὄντως, non in omnibus exemplaribus Græcis reperitur: in nonnullis enim pro ὄντως legitur ὀλίγως id est, parum, in alijs ἕτως id est, sic. Priorem lectionem secutus est vetus interpres, qui Paululum habet, uti & Hieronymus. Cadit igitur tota hæc demonstratio singularis

CAPUT XXXII.

RESPONDETUR AD ARGUMENTUM DECIMUM quintum, capite XXIX. propositum: diluuntur absurda, quæ ortho- doxa doctrina, de sanctorum perseverantiâ impinguntur.

Hactenus demonstrationes Bertij, quibus orthodoxam de sanctorum perseverantiâ doctrinam oppugnat, expugnata: Ad absurda tandem delabitur, quibus veritatem exosam reddere summopere nititur. Nos ad singula eo ordine respondebimus, quo capite 29 enumeravimus. Ad I. Gentilium eorumq; qui renati non sunt, actiones quantumvis in speciem honestissimas & optimas peccata appellare, minimè absurdum nobis videtur, nec nobis saltem, sed & scripturæ. Veritatem assertionis hoc syllogismo ostendimus:

Quicquid non est ex fide, peccatum est. Rom. 14. vers. 23. Atqui gentiliū & non renatorum actiones, quantumvis in speciem optimæ & honestissimæ, non sunt ex fide. Ergo actiones istæ peccata sunt.

Assumptio apud omnes est in confesso: fide enim justificante præditum non esse & renatum esse contradicunt.

Videat igitur Bertius, quâ ratione Spiritui sancto se purget, dum effatum ejus absurditatis & falsitatis accusat.

Observandum autem considerari virtutes Ethnicorum & non renatorum quorumvis in abstracto vel concreto formaliter vel subjectivè: priori modo non sunt peccata, quia legis sunt opera, Deumq; habent autorem: Posteriori modo peccata sunt per accidens, quia non ex fide, nec ad Dei gloriam fiunt. Et quanquam in se consideratæ Deo placent, propter personam tamen infidelem etiam displicent: *sine fide enim Deo placere est impossibile.* Heb. 11. v. 6.

Ad II. Huic absurdo supra occurrimus in solutione demonstrationis X. Breviter: Apostasia à gratiâ & fide salvificâ nulla datur: non igitur metuendum Bertio, ne affectio aliqua detur sine subjecto.

Ad III. i. malè opponuntur *formis propriis differre & subjectis differre*: Nam & formis proprijs & subjectis actiones possunt differre. Exempli gratiâ à peccatis per se, virtutes renatorum differunt formis proprijs, ut patet, differunt quoq; subjectis: Renati enim virtutem, exercent ex fide, & dirigunt eandem ad DEI gloriam; peccata per se nec ex fide nec ad DEI gloriam fiunt. ii. Subjectis distinguere actiones morales nec in theologiâ nec in vitâ communi absurdum est: Et in theologiâ quidem certum est actiones morales non tantum ex formis sed ex subjectis quoq; æstimari, eandemq; actionem externam exempli gratiâ in Petro placere

ccre

cere Deo, cum in se, tum respectu personæ, quæ ex fide & ad Dei gloriam agit. In Judâ vero placere quidem in se consideratam, quatenus divinæ legi ex parte est conformis, respectu verò personæ displicere: quia persona nec ex fide nec ad Dei gloriam agit. Quod si negat Bertius: neget i. peccata Deo displicere: neget ii. peccata esse, quæcunq; ex fide non sunt. Sic certum est, displicuisse olim Deo eleemosynas pharisæorum propter ipsos pharisæos infideles, & propriæ suæ gloriæ studiosos: etsi quoad formam non differebant ab aliorum fidelium eleemosynis, quæ Deo placebant. Confectatio arcæ fœderis facta à Levitis & Huzâ 2 Sam. 6 vers. 6. formâ non differebat: Et tamen in Levitis DEO placebat, in Huzâ summo opere displicebat, adeò ut morte piandum facinus judicaretur. In communi vitâ res non minus est manifesta, vel ex trito illo, *Duo cum faciunt idem, non est idem.* Apud Romanos olim idem specie & formâ fortitudinis actus in hostem exercitus, in hoc triumpho habebatur dignus, in illo qui manus forte, sine imperatoris jussu, cum hoste conseruerat, capitis supplicio. Manifestum igitur est, actiones morales non solis formis differre.

Huic tertio absurdo alia subnectit Bertius similia: i. *Eandem actionem in electo posse esse honestam ac Deo gratam, in reprobo non posse non esse peccatum.* R. Quo sensu hoc verum sit jam ante explicavimus. ii. *Non posse alios in fide & charitate persistere, quam qui reverâ perstant.* R. Hoc minime absurdum nobis videtur. Non n. possunt, nisi quibus datum est: quibus verò datum est, ij omnes & soli perstant. iii. *Eadem mala in electis esse sanabilia, in reprobis non esse.* R. Rectius dicetes, eadem mala in electis sanari, in reprobis non sanari: si tamen intelligas mala non sanabilia, quia medicina in Christo per fidei ijs non applicatur, nec ex parte reprobor. applicari potest non est, quod contradicamus. iv. *In electis debere remitti etiam maxima & turpissima peccata, in alijs ne minima quidem unquam posse.* R. Electis nihil debetur, sed ex gratiâ datur, quicquid datur: Reprobi verò gratiæ participes non sunt, cumq; extra CHRISTUM sint, peccatorum remissionem consequi nequeunt. v. *Nihil esse facilius electis, quam perseverare usque ad finem, quandoquidem fieri nullo modo potest, ut non perseverent.* R. Si immutabilem DEI voluntatem respicias, certè fieri non potest, quin perseverent, quia eos perseverare DEUS immutabiliter volt: Inde verò nullo modo sequitur, electis nihil esse facilius, quam ad finem

per-

perseverare, quia media, quæ ad perseverantiam Deus destinavit certè satis laboriosa sunt & difficilia electis, etsi talia, ut per Dei gratiam ea penitus non negligant, sed contra hostes potentissimos fortissimè dimicent.

VI. *Davidem si centuplo plura & graviora peccata commisisset, non potuisse gratiâ & salute excidere.* R. Renatum esse & centuplo plura ac graviora peccata committere, quam David commisit, contradicunt. Spiritus enim regenerationis eo usq; carni peccatrici habenas non laxat.

Ad IV. Defectionis piorum temporariæ & partialis causam esse subductionem gratiæ temporaneam ac partialem (totaliter enim electis subduci gratiam non concedimus) ex nostrâ sententiâ minimè sequitur. Causam enim defectionis partialis, quæ in electis quandoq; deprehenditur, proximam & per se esse peccatum adhuc in ipsis reliquum dicimus & docemus. Contra verò gratiam renatis concessam subtrahi prius, quàm peccatis Deum offendere cæperint, quicquid tandem de fine hujus subductionis dicatur, rotundè negamus. Bertius ergo hypothesein hanc quâ fronte Ecclesiis nostris affingat, ipse viderit. Si in privato fortean & singulari Doctore eam reperit, auctori isti non toti Ecclesiæ eam imputet: Nos Prosperi illam sententiam lubentibus animis admittimus. *Non deserit Deus quenquam antequam ipse deserat, & facit plerumq; ne deserat, aut etiamsi discesserit, ut redeat.* Interim non negamus gratiâ Dei propter peccata præcedentia renatis non nihil subductâ, gravioribus subinde eos implicari peccatis in pœnam præcedentium: Unde tamen non sequitur peccati Deum esse autorem, sed justum saltem judicem, qui peccato offensus citra ullam injustitiæ aut peccati labem, peccatori suam subducit gratiam, sibi eum in pœnam permittendo. Sic ergo subtractio gratiæ est pœna peccati antecedentis, subsequens verò non nisi causa per accidens, quam vocant sine quâ non: Per se verò proxima & positiva causa est ipsa naturæ depravatio, quæ nisi à gratiâ coërceatur, ad ingenium protinus redit. Hoc nisi Bertius admiserit, Deum omnis peccati autorem necessario faciet. Posset enim Deus omne peccatum impedire, si sufficienti gratiâ omnes instrueret, quâ & possent & vellent non peccare. Hoc verò cum non faciat, non possunt non peccare reprobis ex insitâ pravitate. Anne verò peccati autorem Deum, heic arguet Bertius? Utiq; ex consequenti necessariò arguet, si absurdum hoc dogma ex sententiâ à nobis explicatâ seriò deducit. Cur enim peccati autor potius sit, qui justis de causis gratiam bene agendi subducit alicui,

cui,

eui, & ex insito principio malo eum agere sinit: quàm qui bene agendi gratiam alicui non concedit, cum tamen possit concedere & peccatum impedire?

At, inquit, Bertius, *Quomodo quis magis potest causare actum contrarium, quàm causam subducendo?*

R. Ergone DEUS, qui propter inobedientiam Adamum privavit iustitiâ originali, causa fuit omnium subsequentium peccatorum? Nonne suum iustè poterat Dominus repetere, cujus repetendi iustam causam iniustus Adam dederat? Sic ergo habe Bertii: Contrarium actum causat, non qui causam tantum contrarij actus, nempe boni subducit, sed qui proximam & per se causam mali inducit, qui malitiæ habitum inserit. Absit verò ut de optimo Deo nefas hoc cogitemus, nedum dicamus & profiteamur. Age verò in medium jam producamus Achillem Bertij, quem ad principalis suæ propositionis defensionem adducit:

Si id, quo primum posito res ponitur, & quo primum sublato res tollitur, est causa immediata cujusq; rei, certè sicut positio ejus rei causa erit, cur aliquid sit, ita sublatio rei erit causa, cur non sit. At positio gratiæ, hoc est, assistentia est causa cur David stet: Ergo subductio gratiæ erit causa, cur David cadat, & quidem immediata per se & non ex accidente.

R. Ut rationis hujus vanitas tantò sit evidentior, in aliquot eam axiomata resolvemus, & ad singula seorsim respondebimus: Sit igitur

Primum, quod hypotheseos concessæ loco assumitur & fundamenti loco substruitur. *DEUS homini suam subducit gratiam prius quàm à DEO voluntatem homo ex parte avertat.*

R. Hypothesis hæc falsa est. At inquis, qui cadat homo, si DEUS prius gratiam non subducatur? R. Cadit, quia gratiæ, quam habet, usum negligit, & ex principio malo agit. Est enim in renatis dum in mundo sunt, geminum principium Spiritus & caro: ex utroq; homo liberè agit: in carnem verò dum nimis propendet, in pœnam præcedentium peccatorum nonnulla gratiæ dona subducuntur.

Secundum: Id quo primum posito res ponitur, & quo primum sublato res tollitur, est causa immediata cujusq; rei.

R. Axioma hoc universaliter enunciatum est falsum. I. quia etiam necessario antecedente vel proprio res ponitur & sublato tollitur: nec ta-

men sequitur necessarium antecedens vel propriam esse causam cujusque rei, nedum immediatam. II. quia etiam remota causâ sublatâ tollitur res & posita ponitur, nec tamen sequitur remotam causam esse cujusque rei immediatam causam: contradistinguuntur enim remota & immediata causa.

Tertium. Positio gratia est causa cur David stet.

R. Hoc axioma universaliter verum esse ipse Bertius inficiatur, cum posita & presente gratiâ Davidem cecidisse affirmat: ex illo principio. *Non deserit DEUS quenquam, antequam ipse deserat.* Cui nec nos repugnamus. Itaque necessariò limitandum fuerit axioma: *Gratia in usu posita est causa, cur David stet.* Quod si verò neglecto gratiæ usu carnis consilia sequatur, mirum certè non est, si cadat.

Quartum, Subductio gratia est causa cur David cadat immediata per se & non ex accidente.

R. Axioma hoc ex tertio deducit Bertius nullâ prorsus consequentiâ, quia longè alia est ratio positionis gratiæ actualis respectu perseverantiæ, & sublationis gratiæ respectu lapsus. Inter perseverantiâ enim & gratiæ actualis positionem nulla alia intercedit media causa, quæ per se hominem inflectat ad perseverantiâ. Itaque actualis hæc gratia seu usurpatio gratiæ est proxima & immediata perseverantiæ causa, per se & non ex accidente. Inter lapsum verò & subductionem gratiæ intercedit media causa, quæ per se hominem sollicitat ad lapsum seu defectiõnem, nempe peccatum seu insita pravitas in homine reliqua. Itaque subtractio gratiæ est causa sine quâ non & remota, quæ non culpæ, sed iudicij rationem habet; pravitas verò homini insita causa per se & proxima.

Sed nititur demonstrare Bertius, secundum nos lapsus Davidis causam per se esse Deum & non Davidem: hoc modo:

In practicis is est causa per se, qui agit propter finem, & ad illum finem cætera disponit. David autem in lapsu suo non intendit finem nec ad illum disposuit, sed Deus hoc fecit primò, qui Davidem voluit deducere ad agnitionem sui. Ergo non David fuit per se causa lapsus, sed DEUS.

R. I. Conclusio ex præmissis nullo modo sequitur. Hoc verò tantum sequitur, Deum in lapsu Davidis fuisse causam per se: non quidem ipsius lapsus, quâ lapsus, hic enim per se erat à pravitate Davidis, sed finis, ad quem lapsum DEUS direxit. II. Assumptio quoque falsa est. Etiam si enim

David

David in lapsu suo non intendit finem, quem Deus intendit, finem nihilominus suum intendit.

Prævidet hoc telum Bertius: Itaq; prævertendum id ratus, reponit i. Davidem secundum nostras hypotheses non appetiisse malum antequam defereretur.

R. Jam ante huic hypothesi contradiximus. ii. Davidem tantum fuisse instrumentum.

R. Davidem lapsus sui tantum fuisse instrumentum negamus. Fuit enim ejus causa per se & principalis. Si instrumentum fuisse dicas ad finem à Deo propositum obtinendum, contra nos nihil inferri poterit. iii. Davidem necessario egisse non liberè, quia boni principium ei prius est subductum.

R. I. Malè opponit Bertius necessarium in genere & liberum. Libertati enim non quævis repugnat necessitas, sed coactionis tantum. II. falsum repetit de subductione gratiæ ante peccatum. III. Subductio gratiæ necessitatem peccandi infert, non per se & immediate, sed mediatè ratione naturæ depravatae, quâ non potest non peccare, si à gratiâ non adjuvetur.

Ad V. Absurdi nihil heic nobis occurrit. Cum enim Deus peccata non nisi propter Christum fide apprehensum remittere decreverit, mirum utique non est, si infidelibus, quâ tales sunt, remitti non possint. Fieri enim non possunt, quæ fieri Deus non vult. At non vult remittere peccata sine fide in Christum. Frustra autem nobis obijcit Bertius Cajanam hæresin, à quâ nos ipse liberat; dum in absurdi allegatione dicit ablui quædam peccata non posse, non propter quantitatem delicti, sed propter delinquentis statum. At Cajana hæresis delicti quantitatem attendebat, quam majorem esse putabat, quam ut ablui Christi posset sanguine: quod allegata quoq; Hieronymi arguunt verba: *tam profundus scelerum pristinorum inherere corporibus atq; animis cicatrices, ut medicinâ sanguinis Christi attenuari non queant.* Arguit idem vox Patriarchæ ipsorum exclamantis: *Major est iniquitas mea, quam ut remitti mihi possit.* Cui piè olim acclamavit Augustinus: *Mentiris Cain, mentiris: major enim est Domini misericordia, quam omnium hominum miseria.* Summa igitur hucredit, peccata reprobis remitti non possunt, quia sine fide in CHRISTUM DEUS ea non vult remittere.

Ad VI. Sane facilius est Ecclesiam aliquam particularem ex *wegondægis* & hypocritis constantem ad Apostasiam devolvi, quàm unum verè credentem

dentem. Sed inquit Bertius, in totâ aliquâ Ecclesiâ seu gente nullos profus esse fideles, sed omnes hypocritas, verisimile non fit. Cum igitur tota aliqua Ecclesia vel gens ad apostasiam devolvitur, dubio procul communi illo fidei naufragio multi quoq; abripiuntur electi & fideles.

R. Nec nobis verisimile fit, universam aliquam Ecclesiam vel gentem præconio Evangelij aliquandiu eruditam & publicâ professione id amplexam ex meris constare hypocritis. Itaq; ejusmodi gentem vel Ecclesiam unquam in totum defecisse totam, nullo vel nullis prorsus exceptis, Bertio non concedimus. Cum igitur gens vel Ecclesia defecisse dicitur, toti tribuitur, quod maximæ est partis. Ita sæpe Deus de populi sui perversitate conqueritur, cum tamen certum sit, fuisse quoq; in populo haud paucos (etsi respectu perversorum fuere pauci) quibus fratrum suorum displicuerit perversitas, quiq; sincero corde Deum coluerint: **Accedit quod à Prophetis & Apostolis judicium de Ecclesiarum & gentium apostasiâ feratur ex indicijs externis, è quibus verè fidelem ac sincerum nullum agnoscunt.** Ex hoc humani sensus judicio profecta quondam illa Eliæ querela 1. Reg. 19. v. 10. & 14. *Planè Zelo affectus sum pro Jehovah Deo exercituum, eo quod dereliquerint Israelita fœdus tuum, altaria tua destruxerint, & prophetas tuos occiderint gladio: cumq; ego relictus sim solus, etiam querunt vitam meam, ut auferant eam.* Cui respondet Deus v. 18. *Reliquos feci ex Israele septies mille, quorum omnium genua non curvaverunt se Babali.*

Ad VII. Baptismus DEI gratiam non nisi fidelibus obsignat: confertur autem omnibus fidelium liberis, quia ex charitatis affectu pro fidelibus omnes habentur, nisi tandem reipsâ contrarium demonstrant. Minimè verò sequitur hinc dubitandum esse fidelibus de veritate fœderis divini, *Ego sum Deus tuus & semini tui post te.* Divinum enim fœdus ex parte hominum fidem requirere norunt omnes fideles, noruntq; liberos suos fideles gratiosi hujus fœderis participes esse, quia immota DEI est veritas. Quod si verò Bertius existimat vel aquâ baptismi omnibus infundi fidem, vel sine conditione fidei omnibus obsignari gratiam, toto cælo errat. Videantur quæ supra diximus de baptismo Simonis Magi. Notanda verò hîc rotunda ipsius Bertij assertio pag. 21. Hymenæi desertoris. *Non omnes, qui sunt in fœdere gratioso gentis ipsi protinus sunt in gratiâ, quia fit, ut quidam generi suo non respondeant;* probat id ex Matth. 3. v. 9. Rom. 9. v. 6. Ipse igitur sibi respondet.

Ad

Ad VIII. Malè opponit Bertius necessitatem externæ ordinationis præ-
electioni spontaneæ. Externæ enim ordinationis necessitas non est *coacti-*
onis sed immutabilitatis, quæ cum libertate non pugnat. Satan certè liberè
peccat, quia peccatis sese oblectat, omnesq; eorum patrandorum occasi-
ones captat, & tamen non potest non peccare: libere ergo peccat, qui non
coactè peccat. Sic & beati spiritus liberè Deum laudant, quia divinis
laudibus sese oblectant, omnesq; earum deprecandarum occasiones que-
runt. Et tamen non possunt non Deum laudare.

Sed audiâmus & paucis examinemus Bertij discursum, quem hic sub-
nectit. Pergit igitur: *Defecit Cain: Cur? non potuit secus. Cur non potuit?*
Quia gratiam illi DEUS non dedit, aut si dedit, non dedit nisi temporalem.

R. I. Non dedit gratiam perseverandi, fateor, sed negando eam non pec-
cavit, quia dare eam non fuit obligatus: II. Cur Cain defecerit, causa per
se & proxima non fuit negatio gratiæ, sed malitia Caini interna, quâ spon-
te à Deo se avertit, & de Dei misericordiâ desperavit.

Cur non dedit? *Quia noluit: cur noluit? Quia si dedisset, infregisset*
prius decretum potuissetq; jam ad salutem pervenire, qui erat exitio destinatus.

R. Voluntate divinâ causa superior nulla est quærenda: interim si ratio
adferatur, cur DEUS aliquid nolit, quia contraria simul non potest velle
utiq; non repugnamus: Interim legitimam cum creatore expoſtulandi
causam creatura non habet.

Pergit Bertius: *Quid si etiam ostendam non debuisse Cainum converti?*
(Quid ita Berti?) Certè non tenetur quisquam voluntati & decreto Dei resi-
stere: Atqui Cain circumscriptus fuit divino decreto.

R. Decrevit Deus ab æterno Caini desperationem non efficere sed per-
mittere, quod decretum ab obedientiæ & seriæ conversionis debito Cai-
num minimè liberavit. Nec enim ad id faciendum Cain erat obligatus,
quod fieri Deus erat permissurus, sed ad id, quod præcepto Dei ipsi erat
imperatum. Nec affinguntur hac ratione Deo voluntates dissidentes: per-
mittere enim ut aliquid fiat & expresso mandato prohibere, ne fiat, ne in
hominibus quidem repugnantia speciem præ se ferunt. Mandatum officij
debiti prævaricatorem admonet & ἀναπόλητον reddit. Promissio Deum
injustitiæ ne utiquam arguit, cum ad id, quod fieri prohibet, nullo modo
sit obligatus: quâ de re supra pluribus.

Q 9 3

Pergit

Pergit Bertius: Nego inquit, resipiscentiam vel imperari vel posse imperari homini absolutà voluntate Dei reprobato.

R. Quid audio? Ergone debiti repetendi jus expirat, si debitor carceri destinatus solvendo non sit? si non solvi id posse creditor norit, si solvendi facultatem non dare debitori decreverit? Certè si justè punitur, qui solvendo non est, iniquè debiti solutio eidem non imperatur. Voluntas reprobantis Dei quatenus absoluta sit & non sit, alibi explicavimus.

Sed pergit: Velim nosse, inquit, vel unum aliquod exemplum aut testimonium veteris vel novi Testamenti, in quo DEUS obsequium exigit à reprobo.

R. Lex Dei tam reprobos quàm electos concernit: Utriq; obsequium Deo debent, cujus præstandi facultatem à Deo in Adamo omnes acceperunt. At quod jure debetur, id justè quoq; exigitur. Bertius contrarium sentit, scripturæ oportet contradicat, quæ execratur omnes & singulos, qui non faciunt, quæ scripta sunt in libro legis. Quæro ex Bertio: anne Satanas obsequium Deo debeat? Si affirmat, etiam justè à Deo id exigi concedet, & sic consequenter à quovis reprobo: Si negat, injustè Satanam à Deo puniri affirmabit, blasphemè.

Sed videtur sibi Adversarius contrarium posse probare: Est enim, inquit, resipiscentia via ad salutem, quæ non exigitur à quoquam, nisi sub conditione salutis & veniæ consequenda spe.

R. Resipiscentia imperatur electis eum in finem, ut salutem consequantur, quandoquidem medium hoc est, necessarium peccatori ad obtinendam salutem. Eadem reprobis quoq; imperatur, non eum in finem, ut salutem consequantur. (sic enim frustra Deus imperaret) sed ut agnoscant, quid creatori debeant, ut justas damnationis suæ causas tandem intelligant, dum recordabuntur, se media ad salutem obtinendam per se destinata neglexisse culpâ suâ propriâ. Nec poterunt injustitiæ Deum ullius accusare, quia *δύναμις* in Adamo se accepisse, & *ἀδυναμίαν* in eodem contraxisse intelligent.

Pergit, Est igitur secundum hujus sententiæ assertores consequens, damnari quosdam, quia non faciunt id, quod ipsi facere non debent, & quia faciunt, ad quod divino decreto ordinati sunt.

R. Contrarium est verum: damnantur quidam, quia non faciunt id quod facere debent, quod facere jubentur, ut ante monstravimus. Nec verò excusat ipsos divina ordinatio: quia non decrevit Deus inobedien-

tiam

etiam in ijs efficere, sed in nativâ pravitate eos relinquere & propter eam justè punire.

Pergit, Damnantur quia non perseverant in fide, justitiâ & sanctitate: Atqui hæc bona ipsi nunquam habuerunt.

R. I. Justitiam & sanctitatem in Adamo omnes reprobi habuerunt, in quâ quia non perseverarunt, justè damnantur. II. Si loquaris de fide Christum actu apprehendente, & de justitiâ fidei, nec non de sanctitate, quæ regenerationem consequitur, negamus damnari reprobos, eò quod in hisce bonis non perseverarint, sed quod perversè ea repudiarint ac contemserint.

Pergit, sicut decretum est ipsos non credituros in Christum, ita etiam decretum est, ipsos hæc atq; illa flagitia admissuros.

R. Si loquaris de decreto permissionis & negationis gratiosi auxilij, non repugnamus.

Pergit, Damnantur igitur secundum ipsos I. quia non perseverant in bono, quod non habent.

R. falsum hoc: sed damnantur, quia non amplectuntur bonum, quod amplecti debent.

II. Quia non habent verum bonum, quod ne habeant aeterno & immutabili decreto impediuntur.

R. Cur verum bonum non habeant, proxima & positiva causa non est Dei decretum, sed propria ipsorum malitia. Impediri autem dicuntur Dei Decreto, non quod à viâ veri boni abstrahantur, aut in eâ constituti ulterius progredi prohibeantur, sed quod ab eâ per culpam primigeniam quam longissimè digressi, non reducantur.

III. Quia faciunt malum, quod evitare non possunt, & ad quod faciendum consilio Dei ordinati sunt.

R. *aidvapia* ipsos non excusat, quia propria culpa est attracta: Nec excusat ordinatio divina, quia aliud ea nihil est nisi decretum non conferendi gratiam, & permittendi ipsos nativæ pravitati, nec non pessimas ipsorum actiones ita moderandi, ut finem consequantur optimum, qui est Dei gloria.

Ad IX. Sunt quidem electi respectu Dei extra periculum: quia voluntas Dei erga ipsos est constantissima. Attamen timorem & sollicitudinem propterea non jubentur abjicere, quia hæc ipsa sunt media, quibus pericula à
causis

caulis secundis impendentia declinantur & avertuntur. Non sunt igitur simpliciter sine periculo, sed cum conditione sollicitudinis & studij pericula & insidias, quæ à Satanâ & mundo struuntur, vitandi. Unde & hoc palam est, reprehensionem, comminationes & infectiones non esse frustraneas, quia piam hanc sollicitudinem fovent & augent. Qualis verò electorum sit & debeat esse timor supra explicavimus. Videamus quæ subjungit Bertius. *Si decreta, inquit, Dei sunt absoluta, fieri non potest, quin salver. Quid mones, caveam ipse mihi? videam ne cadam? Fortius dicendum erat, confide, non potes cadere, non mutabit Deus decretum.*

R. Decretum conferendæ salutis non ita est absolutum, ut omnia excludat media ad salutem obtinendam necessaria: contrarium per calumniam nobis affingitur. Inter media igitur illa ad salutem obtinendam necessaria, cum sit pia sollicitudo & studium omnia externa evitandi pericula, profanæ & improbæ erunt voces: *Quid caveam ipse mihi, videam ne cadam?* Adde non esse consequens, ut qui excidere non potest, cadere non possit. Nec immutabilis decreti consideratio à sollicitudine quenquam avocare debet, quia ipsam quoq; sollicitudinem includit decretum, sollicitudinem inquam evitandi peccata, quibus ira Dei provocatur, & æternæ damnationis periculum incurritur. Multò verò minus certitudine positâ tollitur sollicitudo. Ita enim de salute electi sunt certi, ut tamen agnoscant non negligenda esse media, sine quibus salus nemini obtingit, in tramite sanctæ vitæ esse incedendum, peccata esse cavenda & fugienda, ad iram Deum non esse provocandum.

Ad X. In renatis in se consideratis omnino est potentia ad utrumq; extremorum oppositorum: illa tamen in actum ne abeat, divina cavet misericordia & benevolentia erga electos in Christo constantissima. *Ergo, inquit Bertius, sunt in statu gloria.*

R. Non sequitur hoc: ad gloriæ enim statum longè requiruntur plura, quàm inhibitiō potentia ad utrumq; oppositorum, ne in actum abeat. In statu enim gloriæ qui sunt, perfecti sunt, & ita in bono confirmati ut oppositum malum non possint velle. In statu gratiæ vel militiæ qui sunt, etsi Dei beneficio à damnationis periculo sunt immunes, & contra apostasiæ malum sat muniti, multis tamen modis sunt imperfecti & ad bonum malumq; proclives: imò gravissimè sepiissimè Deum offendunt, & multis propterea calamitatibus sunt obnoxij; quod à gloriæ statu esset alienissimum.

Instat

Instat Bertius Si quis dicat verè regenitos non posse excidere, id vel idcirco fiet, quod non peccent, quod quid est aliud, quàm eosex conditione: militiae transcribere in statum gloriae? Vel quod non peccent mortaliter quod reuera est extenuare peccati vim, cum stipendium peccati mors sit: vel idcirco non esse mortalia, quia ab electis proficiuntur, ac proinde ipsis remittuntur: quod est vitia subjectis distinguere & facere **DEUM** *περὸς πολλήν.*

R. Verè renatos dicimus non posse excidere non quod nullo prorsus modo peccent, peccare enim eos scriptura & experientia edocti ultero concedimus, nec quod mortaliter non peccent, scimus enim omne peccatum in se esse mortale, sed quod semen Dei in ijs maneat, cujus vi ad poenitentiam maturè revertuntur, quod peccata propter Christum ad mortem ijs non imputentur: Solis autem formis ut virtutes sic & vitia distingui, nullisque respectibus externis falsissimum est: idq; dum affirmat Bertius rationem nequit reddere, *cur adulterium & homicidium Davidi remittatur, alij verò Satanae mancipio non remittatur*, cum informis nulla sit differentia: Nec verò Deus ideo redditur *περὸς πολλήν*, quia non propter hominem sed propter se & CHRISTUM misericorditer peccatori parcat.

Ad XI. Quì quæso bona possunt esse naturalia, quæ non per naturam sed per gratiam in sunt, quorum contraria naturâ in sunt? sed arguit Bertius hunc in modum:

Quod citra præelectionem inditur, est naturale. Atqui fides, justitia, charitas, perseverantia secundum nos citra præelectionem induntur. Ergo bona hæc sunt naturalia.

Assumptio probatur hoc prosyllogismo. In quorum arbitrio non est bona ista abjicere vel non admittere, ijs citra præelectionem induntur. Atqui in Electorum arbitrio non est bona ista abjicere vel non admittere. Ergo citra præelectionem iis induntur.

R. I. Syllogismi principalis propositio universaliter vera non est. Multa enim gratiæ dona citra præelectionem in momento olim viris sanctis sunt indita, quæ certè propterea ipsis naturalia non fuere: cujusmodi erat donum prophetiæ & similia alia. Mortui olim citra præelectionem in vitam à prophetis, Christo & Apostolis sunt revocati, nec tamen resurrectio à mortuis ijs fuit naturalis: sic multi raptus quosdam in se sentiunt, quos citra præelectionem acceperunt, qui naturales nullo modo dici pos-

R r

sunt,

sunt. Ad minimum igitur ita limitanda fuerit propositio, quod citra prælectionem inditur, nec quoad exercitium prælectioni subjacet, id est naturale. Hinc verò II. Nec Assumptio universaliter vera erit, Etiam si enim principium fidei, justitiæ & perseverantiæ non pendet ex prælectione, ad conservationem tamen & continuationem bonorum horum concurrat arbitrij nostri libertas, quatenus volentes credimus, Christi meritum nobis applicamus ac perseveramus. Charitas verò cum fidei in nobis sit effectus, à prælectione non est separanda, etsi prælectioni tanquam causæ principi accepta non est ferenda III. Pro syllogismi igitur propositio nec ipsa simpliciter vera est, qui è falsâ extruitur hypothese, libertatem non esse, ubi non est differentia ad utrumq; oppositorum. Quanquam ergo in electorum arbitrio non est spiritualia bona ad vitam consequendam destinata & menti per spiritum efficaciter oblata abijcere, per efficacem tamen gratiam ita disponuntur, ut non coacti sed volentes admittant. Cæterum si accurate Bertij textum inspicias & consideres, in formâ quoq; argumentandi apparebit vitium committi. Hunc enim parasyllogismum contextus exhibet:

Naturalia rebus à Deo citra prælectionem induntur.

Fides, Justitia, charitas, perseverantia electis citra prælectionem induntur. Ergo fides, justitia &c. sunt bona naturalia.

Propositio in illis continetur verbis: *Natura enim rebus à DEO citra Assumptio illis: Fides, justitia, charitas, perseverantia &c. Complexio illis: Quæ si ita habent, prædestinatio hominibus erit &c.*

Ad XII. Si mortale peccatum intelligatur, quod per se morte dignum est, admittimus electos non posse in mortali peccato exingui quia exingui eos DEUS non vult, sed in viam per pœnitentiam seriam reducit. Quod verò exinde deducit, eos, si semper peccent mortaliter, nunquam morituros, sequi negamus. Contradicunt enim electum esse & semper, hoc est, sine intermissione, ex consuetudine & datâ operâ, per totam vitam peccare. *Qui enim spem hanc habet, sanctus sicut seipsum sicut & ipse sanctus est. 1. Joh. 3. v. 3.*

Ad XIII. Separatio à dilectione Dei gratiosâ duplex intelligi potest, absoluta & secundum quid: illa est, qua misericordiam suam gratiosam DEUS ab aliquo prorsus avertit, ita ut nec in se nec in alio consideratum unquam rursus diligat: ista est, quâ ab homine in se considerato respectu per-

per-

perperati peccati ad tempus se Deus avertit, sed propter Christum servare eum constantissimè vult. Quamvis igitur credentes peccatis suis separantur à dilectione Dei, modo posteriori: nunquam tamen separantur modo priori. Cur autem peccata priori modo à Dei dilectione nos non separant, ratio est: I. quia per Christum remittuntur. II. quia in electis pœnitentiam servant ac salutarem habent comitem. Locum ad Rom. 8. v. 35. quem Bertius hęc allegat, supra ad sententiam nostram accommodavimus. Negat Bertius ex eo probari posse electos à Dei dilectione per peccata sua separari non posse, propterea quod enumerentur tantum externat, quæ hominum libertatem non adimunt benefaciendi, neq; ipsum cogunt. Nos de externis tantum loqui Paulum adversario non concedimus, sed ne peccata quidem à Paulo excludi contendimus, I. quia ait nec instantia nec futura nos posse separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu. Loquitur hęc Paulus de quibusvis instantibus, de quibusvis futuris. At peccata quoque nostra instantia sunt & futura. II. quia ait nos nullâ re creatâ posse separari à dilectione Dei. Etsi enim peccatum inter creaturas Dei minimò numeramus, ne peccato tamen nos à Deo separari posse ex hoc loco demonstramus hoc modo:

Si nulla nos potest creatura separare à dilectione DEI, sequitur nec nos à dilectione DEI nosmet ipsos posse separare: Sumus enim & ipsi creaturæ DEI. At verum prius, secundum Paulum, Ergo & posterius. Unde pergo:

Si ipsi nos à dilectione Dei non possumus separare, utiq; nec per peccata poterimus nos separare: re enim sublatâ modus quoque rei tollitur. At verum prius. Ergo & posterius.

Contrarium hęc locum urget Bertius ex Jes. 59. v. 1. *Iniquitates vestrae disternant inter vos & DEUM vestrum.*

R. Loquitur Propheta vel de electis & verè fidelibus, vel de hypocritis & *ωεγοκάλεις*, qui externæ aliquando sanctitati studuerunt: vel de manifestè impijs, qui nullo unquâ modo sanctitati operâ dederunt. Si de electis & verè fidelibus separatio posterior intelligenda, de quâ supra. Si de hypocritis & *ωεγοκάλεις*, non negamus, à Dei dilectione eos separari, quatenus nempe etiam externæ sanctitatis studium in *ωεγοκάλεις* Deus diligit, ac temporalibus id bonis renumeratur; & contrâ, beneficentiam suam ab ijs avertit, cum ad manifestam impietatem relabuntur. Si de manifestè im-

pijs, separari à Deo per peccata intelliguntur, quia ad specialis gratiæ vel gloriæ participationem propter peccata non admittuntur.

Ad XIV. Minimè absurdum est dicere peccata ad salutem fidelium proficere, non quidem per se, sed per accidens: quo sensu dixerat Augustinus, *ijs, qui non peribunt, omnia cooperari in bonum: usq; adeo prorsus omnia, ut etiam, si qui eorum deviant & exorbitant, etiam id ipsum eos faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt, atq; doctiores.* Excipit Bertius: Non peccatum prodest in bonum, sed resipiscentia, quæ est veluti peccati quædam medicina.

R. Per se equidem peccatum non prodest in bonum, sed resipiscentia: Attamen per accidens in bonum prodest, quia resipiscentiæ & humiliati-
onis coram Deo occasionem præbet. Est heic adoranda Dei bonitas, & po-
tentia, quæ malum fieri non permetteret, nisi ex malo bonum facere posset.

Ad XV. Necessitatem moralem homini prorsus adimi negamus: ut au-
tem tanto rectius omnes Bertij recessus executamur, dialogum, quem in-
stituit, & quo probare nititur perseverantiam & alia animi bona necessaria
quidem esse sanctis, non tamen morali necessitate videamus: Sic igitur
Dialogus sese habet. *Dicit A. Ego sum electus, ergo fieri non potest, quin salver.*
Instat B. Et necesse est, inquit, credas, utq; justè temperanter, sanctè vivas. A.
Ita est, sed fidem, justitiam, sanctitatem dabit Deus B. Sed tu potes gratiæ Spir.
Sancti resistere, atq; ita sine excidere. A. Non possum, Deus enim est me poten-
tior, ille dabit velle, ille dabit credere. B. Sed cum fidem habes, necesse est, in fide
quodq; & justitiâ perseveres. A. Ego certissimè perseverabo. B. At potes de gratiâ
excidere: A. Non possum, & licet peccem etiam gravissimè tamen redibo in vi-
am, Deus dabit poenitere, converti, credere. B. An non potes deficere? A. Esto ut
mei respectu id possim, certè Dei respectu non possum: ille hoc non patietur, ille
me conservabit. B. Sed rogari vult. A. Ille dabit, ut rogem ipsum. B. Certè non o-
rabis ipsum, nisi possis orare. A. Ille dabit ut possim. Hic vides, inquit, omnia
pendere ex electionis decreto, quod necessitatem subiecto & adfectionib.
imprimit inevitabilem, sublatâ in nobis præelectione finis & mediolorum.

R. Adeone vero, Bertii agrè fers electionis decreto seu eligenti Deo nos
omnia accepta ferre? Expunge quæso illam Apostoli sententiam. *Quid*
habes, quod non accepisti, sin autem accepisti quid gloriaris, ut qui non accepe-
ris? Expunge & illam Non sumus ex nobis idonei ac cogitandum quic-
quam, tanquam ex nobis, quod idonei sumus ex D E O est. Expunge & illam

Non:

Non est volentis aut currentis sed DEI miserentis. Expunge & illam: *Deus est, qui efficit in nobis & velle & perficere.* Expunge & illam *CHRISTI, sine me nihil potestis.* Si tamen voluntatem & electionem prorsus otiosam à nobis statui credis, erras. Voluntas enim à Deo præparata ad obsequium, vult, eligit objecta à DEO, monstrata & oblata, finem nempe & media, & quidem libere vult, sine coactione: Etsi verò in se ad utrum libet oppositorum indifferens est, fieri tamen non potest, (Sic ex scholasticis *Castaneus Pictaviorum Episcopus* describit necessitatem externam in voluntarijs, in synopsi distinct: philosoph. & Theolog, sub titulo, necessitas) quàm eligat servare præceptum quoniam regitur & gubernatur à Deo, qui semper illi obijcit ea media ad servandum præceptum, quæ videt eam accepturam.

Ex fundamento hoc lubrico consecretaria contra nos elicit sequentia:

I. *Poni à nobis necessitatem activam in Deo, passivam in homine, cum oporteat moralem necessitatem activè esse in eo, cui lex datur.*

R. Necessitatem activam homini non eripimus, qui actionum suarum principium eum esse agnoscimus. Homo enim est, qui credit, qui justitiæ studet, qui actiones suas ad Dei gloriam dirigit, qui media salutis sibi oblata accipit volens, qui finem expetit: Etsi virtute Dei ad omnia hæc aptum se reddi libens agnoscit. *Nihil enim habet, quod non acceperit.* Cæterum ex parte necessariò hæc ab homine proficisci contendimus ita tamen ut liberè quoque proficiscantur; nec enim adimit Dei virtus homini libertatem, sed à servitute potius eum liberat, dum convenienti naturæ rationali modo per efficacem gratiam à malo eum avertit & ad bonum convertit, ita ut docenti ac jubenti nolit repugnare, sed volens obsequatur. *Sic enim velle aut nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* August. de corrept. & gratiâ cap.

14. Etsi non disitemur quò ad multos actus, renatum hominem & in imperfectionis statu constitutum, ita ad utrumque oppositorum esse indifferentem, ut modo hoc modo oppositum faciat, modo præceptum servet, modo violet. Ita tamen reliquæ pravitati habenæ nunquam laxantur, ut gratiæ dona prorsus excutiat, & in præceptorum divinorum contemtu contumaciter perseveret, idq; sine ullâ libertatis propriè sic dictæ, jacturâ.

II. *Moralem necessitatem ab homine transferri in Deum;* rationem subjicit. Ejus enim est moralis necessitas, qui finem cupit obtinere, & per media ad illum tanquam ad scopum collineat: Is autem in hoc negotio est

Rr 3

Deus

Deus, qui finem sibi ponit, & per media ad illum finem contendit: Deo igitur ponitur necessitas moralis. Item Deus præeligit, non homo: Deus enim & subjecta constituit & ea finibus suis physicâ necessitate ordinat.

R. In Deo necessitas moralis propriè non est, eo quidem sensu quo à Bertio ea declaratur. Nam si omnis necessitas moralis est hypothetica, uti docet, de fine possibili obtinendo quidem, si viam rectam insistas, non obtinendo verò si deflectas aut declines: Is igitur, in quem cadit necessitas hæc moralis, quiq; finem intendit, ad media certa est alligatus, ita ut non nisi per ea obtinere finem possit. Hoc verò à Deo est alienissimum, qui ad nulla prorsus est obligatus media, & pro solo arbitrio, quæcunq; vult facit. Præterea cui propriè in est moralis necessitas, ei finis est causa volendi media: Atqui Deo finis non causa volendi media. In Deo igitur moralis necessitas non est. Assumptionem illustro & probo verbis Thomæ Aquinatis part. I. summæ q. 19. art. 5. in exemplo conclusionis: *Si aliquis uno actu velit finem, & alio actu ea que sunt ad finem, velle finem erit ei causa volendi ea, que sunt ad finem. Sed si uno actu velit finem & ea, que sunt ad finem, hoc esse non poterit, quia idem non est causa sui ipsius. Et tamen erit verum dicere, quod velit ordinare ea, que sunt ad finem, in finem, Deus autem sicut uno actu omnia in suâ essentiâ intelligit, ita uno actu vult omnia in suâ bonitate. Unde sicut in Deo intelligere causam non est causa intelligendi effectus, sed ipse intelligit effectus in causâ: ita velle finem non est ei causa volendi ea, que sunt ad finem. Sed tamen vult ea, que sunt ad finem, ordinari in finem.*

Hactenus Thomas: Ratio igitur illa Bertij, Ejus est moralis necessitas, qui finem cupit obtinere, & per media ad illum tanquam ad scopum contendit, in Deo exspirat, quia Deus nec ad media est alligatus, nec à fine movetur ad eligenda media. In homine verò locum eam habere non diffitemur, nec idoneam videmus causam, cur ab homine in Deum eam à nobis transferri scribat Bertius. Sic igitur ex Bertio contra Bertium arguimus:

Ejus est moralis necessitas, qui finem cupit obtinere, & per media ad illum tanquam ad scopum collineat. Atqui homo finem cupit obtinere, nempe salutem ad quam per media à Deo ordinata sibi oblata, & à se accepta ac usurpata, tanquam ad scopum collineat. Hominis igitur est moralis necessitas.

Propositio est Bertij. Assumptionem comprobant omnium sanctorum exempla: Et tu ipse Bertij, nonne ad æternæ felicitatis portum contendis?

Nonne

Nonne per Dei gratiam ordinata & oblata à Deo media accipis, & in itinere hoc laborioso usurpas? Faxit Deus à verò tramite ne deflectas!

Nisi verò odiosè sententiam nostram in sectari tibi visum esset, ita potius locutus esses: In hoc negotio Deus finem homini proponit, ad quem per media volentem deducit, ita ut propositum finem ipse homo expetere, & per media à Deo oblata à se accepta & usurpata ad eundem contendere, verissimè dicatur.

Quid porrò illa sibi volunt, *Deus per eligit non homo, Deus subjecta constituit, & ea finibus suis physicà necessitate ordinat?* Itane nos loquimur aut sentimus? Homini Deus in verbo suo vitam & mortem offert: eligunt reprobi mortem non coactè sed liberè, ex insito naturæ vitio quod sibi debent, vitam eligunt electi, & media ad eam destinata nec ipsi coacti vel brutorum aut stipitum instar sine intellectus aut voluntatis actu libero, etsi per gratiam intellectus præparatur, ut cœlestia bona possit intelligere, & voluntas, ut eadem & possit & velit apprehendere. Sine gratiâ enim in spiritualibus nihil potest homo. Nec agnoscimus, quod affingit nobis Bertius, *subjecta finibus suis physicà necessitate à Deo ordinari*: Libertatem agnoscimus intellectus & voluntatis actionem, quæ cum physicà necessitate non consistit. Libertatem hanc ordinatione suâ Deus non tollit, sed per gratiam emendat, dum in bonum convertit, & ex lubrico ad stabilem statum traducit: quo cum qui libertatem negat consistere, omnem in gloriâ libertatem exspirare necessariò affirmabit. Observetur sententia Saarerij tom. i. meth. Disput. 19. sect. 2. §. q. *Dicitur actio libera, quæ coacta non est, sed voluntaria: quæ libertas non excludit necessitatem primam, quæ consistit in determinatione ad unum, cum impotentiâ suspendendi & onem, sed excludit tantum violentiam & coercionem.*

III. *Moralem necessitatem hominibus adimere.*

R. Id falsum esse jam ante monstravimus: putat tamen id se posse facile probare in reprobis & in electis. In reprobis, inquit, id manifestum & extra controversiam est: Nam cum illos Deus statuerit non perducere ad finem salutarem, media etiam iisdem subducit.

R. Etsi in negotio salutis moralem reprobis necessitatem non tribuimus. Nec enim hi vel salutem tanquam finem seriò expetunt, nec media ad eam, quamvis in verbo monstrata, apprehendunt: omnem tamen moralem necessitatem propterea ijs non adimimus. Liberè enim reprobi finem,

nem,

nem, quicumq; tandem is sit, sibi præstituunt, & ad eum obtinendum media quoq; liberè eligunt. Summa, liberè peccant & cum delectatione: Et si verò ad æternas pœnas inviti tandem trahuntur, nulla tamen ijs fit injuria, quia sponte & citra ullam coactionem eas meruerunt. Horridiori quoq; phrasi Deus dicitur *subducere media*: multis enim in verbo per externam vocationem offert, & si per gratiam non confert. Rectius igitur non conferre, quàm subducere dicitur.

Sed ad electos progrediamur, in quibus id æquè perspicuum esse affirmat hac ratione: Omnis necessitas moralis est hypothetica de fine possibili obtinendo quidem, si viam rectam insistas, non obtinendo verò, si deflectas aut declines. At secundum istos (orthodoxos intelligit) Electus simpliciter debet salvari non potest non perseverare, non potest deflectere totaliter & finaliter. Ergo moralis necessitas hæc nulla est.

R. Quod sub sumit, falsum est, Electum enim non nisi per media salvari dicimus: simpliciter igitur salvari negamus, si voce, *simpliciter*, excludantur media. Salvabitur necessariò electus, sed cum conditione, *si in Christo crediderit, si in fide perseveraverit*. Absq; his enim medijs nulli obtingit salus, ex ordinatione divinà. Quis verò benignissimo DEO vitio vertat, si infallibili successu electis suis media illa procuret, donet, eaq; in dilectis suis conservet? Faceffat hinc improba obmurmuratio, accedat devota adoratio.

IV. *Statui in Deo necessitatem deliberationis de perseverantiâ*: Rationem addit: Ejus enim est deliberare & statuere cujus est efficere: ejus est efficere, cujus interest fine non excidere. At Deus finem sibi constituit: Ergo etiam de medijs deliberet eaque suscipiat, necesse est.

R. Fateor in Petri Bertij *desertore* multa esse satis elaborata, modo non contra veritatem essent excogitata: sed & simul in eo haud pauca nimis deproparata & parum considerata: inter quæ unum hæc occurrit. Ecquæ enim hæc est consequentiæ ratio? *DEus omnia propter se ipsum, hoc est, ad gloriam suam facit, scripturâ teste. Ergo de medijs, quibus suam si gloriam illustrare visum est, necessariò deliberat.* Quasi verò deliberatio ei sit necessaria qui & omniscius & omnipotens est: cui omnia sua opera ab æterno unico & simplicissimo intuitu sunt nota; qui etiam per contraria media, imò & sine medijs externis finem obtinere potest: qui uno & simplicissimo actu finem vult & media. Falsa igitur est illa Bertij assertio. *Ejus est deliberare*

Deliberare & statuere, cuius est efficere? Quæro an deliberarit Deus cum mundum esset conditurus? Si Berti credimus, deliberavit; quia Dei erat creare & finem creationis sibi statuere: Si deliberavit, actum de omniscientiâ & omnipotentiâ Dei. Nemo enim deliberat, nisi de ijs, quorum dubij sunt eventus: cui vero dubius est eventus, nec omniscius nec omnipotens est. Melius igitur hoc ponderandum Berti relinquimus.

V. *Talem esse perseverantiam, qualis est electio. Perseverantiam igitur activè esse in Deo, & passivè in homine: veluti electio passivè in homine, activè in Deo.*

R. Nec ulla hæc consequentiæ ratio. Electio enim est actio Dei æterna immanens, non hominis: nec enim homo in peccatis mortuus se eligit, sed à Deo eligitur. Perseverantia verò ad hominem tanquam causam proprie sic dictam refertur: siquidem homo est, qui perseverat in fide & bonorum operum studio, etsi perseverandi donum non à se sed à Deo habet. Quod si negas Berti, hominem quoq; credere nega, quia per gratiam Dei credit, non ex proprijs naturæ viribus. *Perstat, inquis, homo, quia Deus perstat, & perstat finaliter, quia Deus perstat finaliter.* R. Non malè hoc dicitur, si benè intelligitur. Perstat homo, quia voluntas Dei constantissima est de fidei bono in homine conservando, de apostasiæ malo ab eodem avertendo. Nec tamen Deus in fide salvificâ perseverat, sed homo per Dei gratiam. *At inquis Deus nunquam non sibi constat, sequetur igitur hominem nunquam peccare.* R. Non sequitur hoc: Etiam si enim constantissima Dei est voluntas de fide hominis conservandâ & totalis apostasiæ malo avertendo, sibi tamen quandoq; hominem permittit, & in carnis consilia aliquousq; propendere sinit, ita tamen ut penitus deficere non sinat.

VI. *Perseverantiam talem esse absolutè necessariam, I. ratione principij, quia Deus absolutè vult eos perseverare. II. Ratione finis, quia absolutè necessarium est, ut tales ad finem suum perveniant. III. ratione formæ & definitionis: quia sicut necesse est omne rectum æqualiter interjectum esse inter sua puncta, ita necesse est omnes tales perseverare.*

R. Quæso quî absolutè potest esse necessarium, quod à liberrimâ Dei pendet voluntate? Perseverant electi, quia Deus vult eos perseverare: non perseverarent, si Deus nollet eos perseverare. Quæ hæc ab-

S I

soluta

soluta necessitas? certè nulla: vel ratione *principij* I. quia Deus libere vult eos perseverare, & contrarium ab aeterno potuisset de ijs decernere. II. quia non sine medijs eos vult perseverare, quæ ita sunt comparata, ut cum hominis libertate optimè consistent: vel ratione *finis*, quia finem sine medijs ordinatis nemo obrinet: salvatur enim qui credit, non salvatur, qui non credit. Itaq; si vel electus aliquis non crederet, non salvaretur: vel ratione *definitionis*: quia perseverare electos non est necessarium nisi necessitate consequentiæ: rectum verò esse, quod æqualiter inter sua puncta est interjectum, necessitate consequentis est necessarium: Consequentiæ verò necessitatem cum contingentia propriè sic dicta stare posse, ut ut à Bertio negetur, apud meliores Theologos & Philosophos in confesso est. Videatur *Castaneus* in loco supra allegato. Contra Stoicum hoc delirium disputantem & necessitatem cum contingentia conciliantem vide *Pererium* lib. 9. de principijs rerum naturalibus cap. 11. 12. 13. Vide & *Suaretium* tom. 1. metaph. disput. 19. per multas sectiones: & *Fonsecam* 6. Metaph. cap. 2. q. 4. & 5. totâ in primis sect. 16. Agrè deniq; fert Bertius omnem doctrinâ hac nostrâ gloriationem, tolli: cum tamen ipse Apostolus gloriatur Philip. 2. v. 16. *Gloriari possum in die CHRISTI, me non frustra cucurrisse, nec frustra laborasse.* R. Sed heu tu, *Quid habes, quod non acceperis? Quod si autem accepisti, quid gloriaris, ut qui non acceperis* 1. Cor. 4. v. 7. *Si idonei non sumus ex nobis ad cogitandum quicquam, velut ex nobis ipsis, sed quod idonei simus, ex Deo est* 2. Cor. 3. v. 7. Ecquid quæso de nobis gloriemur? Nulla ne ergo inquis, gloriatio nobis reliqua? Est sanè reliqua, non quam tu vis, Petre, sed quam ex Prophetâ repetit & præcipit Paulus 1. Cor. 1. v. 31. *Qui gloriatur, in Domino gloriatur.* Atq; hæc Apostoli ad Philippensis est gloriatio, ut ex ipso textu & reliquâ Pauli doctrinâ palam est: gloriatur enim de felici successu sui præconij. Atqui successum hunc præstare non in ipsis erat potestate: quod expressè fatetur 1. Cor. 3. v. 7. *Neg, is qui plantat est aliquid, neg, qui rigat, sed Deus qui dat incrementum:* quod & Deo acceptum tulit Actor, 21. v. 19. *exposuit sigillatim, quæ Deus fecisset inter gentes per ipsius ministerium:* & expressius 1. Cor. 15. v. 10. *amplius quam illi omnes laboravi, non ego tamen, sed gratia Dei, quæ mecum est. Absit à me gloriari, inquit ad Gal. 6. v. 14. nisi in cruce Domini nostri JESU CHRISTI, per quem mundus mihi crucifixus est, & ego mundo.*

Vide:

Vide quæso quàm circumspectè gloriatur, & non sibi sed CHRISTO omnia tribuat, Rom. 15. v. 17. & 18. *Habeo igitur, quod gloriar per CHRISTUM IESUM in ijs, quæ ad Deum pertinent &c. Si gloriari oporteat, ait 2. Cor. 11. v. 30. de ijs, quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor. Et cap. 12. v. 5. de me ipso non gloriabor nisi ex infirmitatibus meis. Vide verò quantum de se gloriatur, qui se nihil esse facetur, ejusdem capituli v. 11. Haftenus ergo absurda Bertij expedita.*

CAPUT XXXIII.

*BERTIANÆ SENTENTIÆ CONSECTARIA
applicantur orthodoxæ sententiæ de sanctorum
perseverantiâ.*

Bertius inter veræ sententiæ criteria & hoc habet, si applicari ei possint consecutaria practica, quæ ex suâ de apostasiâ sanctorum sententiâ ipse deducit, quam nos conditionem libenter accipimus, imò saltem & altero excepto, quæ pro sententiæ nostræ consecutarijs non habemus, interim tamen simpliciter non reijcimus. Breviter ergo ea sententiæ nostræ applicemus. Constituto igitur dogmate, sanctos ob immutabilem Dei erga illos in CHRISTO benevolentiam, & fidei in ipsis conservandæ propositum non posse totaliter aut finaliter deficere, sequitur nihilominus.

I. *Cautè & providè ambulandum esse.* Quid ita? Quia sanctos quidem Deus conservat, sed non sine ipsis: piam ab ipsis requirit sollicitudinem: studium vitandi peccata; metum offensionis divinæ, sine his enim medijs ad metam nemo pertingit. Qui ergo sollicitudine istâ neglectâ ad securitatem carnalem prolabitur: qui peccata non vitat; qui offensionem Dei non metuit, è sanctorum numero se non esse nec unquam fuisse, testatur facit. *Qui spem hanc habet, sanctificat seipsum.* 1. Joh. 3. v. 3. *Cautè inquam & providè ambulandum, quia hoc ipsum est perseverantiæ medium: Hoc sanctorum proprium.*

II. *Proficiendum indies in studio virtutis.* Eccur? Quia neminem Deus conservat, nisi qui in studio virtutis; (quod commendat omnibus) proficit: quia hic electionis, vocationis & conversionis nostræ finis. *Hæc enim est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis asseveratione, & sciat vestrum unusquisque suum vas possidere, cum sanctificatione & honore &c.*

I. Thes. 4. v. 4. *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* Apocal. 22. vers. 11. *Elegit nos in ipso, antequam jacerentur fundamenta mundi, ut simus sancti & inculpata coram eo per charitatem.* Sic & 1. Thes. 3. vers. 13. & 4. v. 7. *Non vocavit nos Deus ad impuritatem, sed ad sanctificationem.* Heb. 10. v. 39. *Nos non in sumus, qui nos subducamus ad exitium, sed qui credamus ad anime salutem.* Jacob. 2. v. 5. *Audite fratres mei dilecti, nonne Deus elegit pauperes mundi hujus, ut fierent divites fidei?* Pet. 1. v. 15. *Sicut is, qui vos vocavit, sanctus est, ipsi quoque sancti in omni conversatione reddamini.* Sic & cap. 2. v. 9. & 5. v. 9. 10. fons aperitur hujus nostri profectus spiritalis. *Deus omnis gratia autor, qui vocavit vos ad aeternam suam gloriam in CHRISTO JESU, paulisper afflictos absolutos vos reddat, stabiliat, roboret, fundet.*

III. *Conscientiam non ledendam.* Quare? Quia voluntaria conscientiae laesio est inimica sanctitati, in qua nos Deus vult servatos.

IV. *Vitanda fugiendaque minima peccata, & levissimas quasque eorum occasiones,* quandoquidem peccatorum hoc est lenocinium, ut ab uno malo in aliud pertraharis, & plerumque a minore ad majus. Rationem hanc ipse Bertius subjicit, in qua facile acquiescimus: Addimus fugam peccati necessariam esse ijs, quos inculpato ita Deus vult servari, ut actionum libertatem ijs non adimat, quibus per gratiam assistentem dat, ut peccata possint vitare.

V. *Si peccaveris sistendum impetum, nec ruendum in deterius, sed poenitentiam agendam tempestive!* Quam ob causam? Quia Deus non tantum ad finem usque nos vult conservare, sed & a nobis vult peccata omni conatu evitari, & si perpetrentur, per subsequentem poenitentiam ad sanctitatem nos renovari: id vero ut possimus, gratiam suam nobis largitur: ut *velimus, ipse quoque efficit.* Philip. 2. v. 12.

VI. *Poenitentiam & dolorem aliquomodo attemperatum debere esse peccato.* Fiat hoc modo sine opinione meriti & satisfactionis. Alias debemus hoc Deo, ut tanto amarius peccata defleamus, quanto vehementius summum bonum ijs offendimus.

VII. *Eum qui resipiscentiae medicinam negligit aut contemnit, paulatim omni gratia excidere.* Hoc Bertij coniectarium simpliciter non repudiamus: posito enim neglectu totali poenitentiae exspirat gratia: poni tamen illum in sanctis negamus, Unde & totalem gratiae jacturam non admittimus.

II X, Post

VII. *Post pœnitentiam cavendum etiam atq; etiam, ne in eadem peccata revolvamur:* Manifesta est ratio. Si enim ad sanctitatis studium sumus vocati, & ad finem in eo conservandi, ita tamen ut exorbitare nos haud rarò sinat Deus, utiq; tutissima in naufragio hoc tabula erit pœnitentia, quâ è mundi fluctibus, quibus jactamur quandoq;, eluctemur, & ad portum revertamur: qui etsi patet nobis, non tamen attingitur nisi sedulo nisu.

IX. *Gravius peccare illos, qui gratiam Dei posteriorem reiiciunt per ingratitude, quam qui antecedentem nunquam acceperunt.* Hoc conlectarium pro necessario non habemus. Nam si per gratiam Dei posteriorem intelligatur ea, quæ sanctorum & elector. est propria, nunquam eam reiici dicimus. Unde de non ente disputare frustraneum judicamus. Interim tamen connexum hoc verum judicamus. Si electi & sancti specialem gratiam sibi in CHRISTO concessam per ingratitude reiicerent, gravius utiq; peccarent, quam qui generalem nunquam acceperunt.

X. *In tentationibus non deficiendum, sed persistendum in fidei & charitatis officio usq; ad finem.* Hoc ipsum est, quod docemus. Quidni enim id sit faciendum, quod immutabili decreto Deus vult fieri?

XI. *Qui non perstant usq; ad finem, in veritate & sanctitate, certò perituros.* Ita sanè est. Cum enim ad æternæ felicitatis portum non enavigent, nisi qui laboribus se frangi non patiuntur. Quis neget eos, qui laboribus franguntur, ad portum hunc non enavigare, sed in malo æternum fluctuare?

XII. *Qui perstant, servandos certissimè.* Annuimus, Salus enim est finis, perleverantia medium ad finem: utrumq; ex ordinatione divinâ necessariò connexum, ita tamen ut ad utrumq; requiratur libera hominis actio.

XIII. *Qui ita vitam instituunt, eos certos esse de remissione peccatorum, & vitâ æternâ, vicinosq; morti cum fiducia ad Deum adspirare.* Anne verò nostra doctrina certitudinem remissionis peccatorum tollit? anne fiduciam ad Deum excludit? Certè & illam & istam longè reddit firmiorem, quàm contraria Bertij & Remonstrantium. Qui enim credunt, se posse indultu Dei finaliter deficere & æternum perire, de remissione finali non possunt esse certi, & in fiduciâ non possunt non fluctuare: ut

deinceps demonstrabimus. Hactenus confectaria Bertiana nostræ sententiæ applicata.

Tu verò, Berti, noveris: si maximè ex infelici tuâ sententiâ hæc omnia confectaria educi possint veritati consentanea, non tamen propterea de sententiæ tuæ veritate te posse gloriari, nedū de adversarijs devictis triumphare. Nosti enim ex falsis quoq; hypothesebus veras elici quandoq; conclusiones, quod in Astronomorum spacijs decantatissimum: Una sit omnium instar, à Copernico olim usurpata, & à Keplero nuper revocata, de terræ motu & solis quiete. Quæ tamen mirabilis philosophandi ratio haud absurdè instituto nostro Theologico applicari possit. *Quiescit æternus ille bonitatis & justitiæ Sol Deus, hoc est, in decretis suis manet immobilis & immutabilis: movetur terra obscura, hoc est homo peccator, movetur, inquam, donec ad æternam pervenerit quietem, ut à motu verò hoc ne exorbitet & à proposito metâ penitus aberrat, soli debet immobili: veluti principium & certitudinem motus terrestris ab immobili sole ajunt dependere.* Huc usq; de sanctorum perseverantiâ.

CAPUT XXXIV.

*EXPLICATUR SENTENTIA PONTIFICIORUM
de certitudine æternæ electionis & vitæ, argumenta eorum
ex Bellarmino recensentur.*

TRes hætenus de æternâ electione seu prædestinatione ad vitam æternam arduas quæstiones expedivimus: sequitur quarta & ultima de ejusdem certitudine quo ad nos. Quæritur igitur, *An electi possunt esse certi de electione sui ab æterno factâ, & de vitâ æternâ tandem obtinendâ?* Pontificij negant: Nos affirmamus & nobiscum Lutherani: nos tamen verè, Lutherani contra proprias suas hypotheses. Lutheranis accensemus & Remonstrantes. Patebit igitur è præsentî nostrâ tractatione, de æternâ electione & vitâ beatâ tandem obtinendâ, Pontificios nec velle nec posse esse certos Lutheranos cum Remonstrantibus velle quidem, sed non posse: Nos vero & velle & posse.

Missis autem peculiaribus quibusdam Pontificiorum sententijs (non n. omnes unanimiter conspirant, ut ut de *πανομοζία* aliàs ad nauseam gloriantur) communem hæc recitabimus, ex consilio Tridentino, cujus verba scis. 6. cap. 12. hæc sunt: *Nemo quam diu in hac mortalitate*
VIVITUR,

vivitur, de arcano divina predestinationis mysterio usq; adeo presumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero predestinatorum: quasi verum esset, quod justificatus aut amplius peccare non possit, aut si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat. Eandem sententiam tanquam catholicam ex professo propugnat Bellarminus lib. 3. de justificatione cap. 12. Argumenta quibus predestinationis certitudinem impugnat ex scripturâ petuntur, & ratione. Ex scripturâ argumentatur I. Scriptura mysterium predestinationis refert inter altissima Dei secreta. Rom. II. *ô altitudo divitiarum sapientia & scientia Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus &c. Quis novit sensum Domini?* Ergo de predestinatione nemo potest esse certus, sine speciali revelatione.

II. Scriptura hortatur omnes fideles ad timorem. Ergo de predestinatione nemo potest esse certus, sine speciali revelatione. *Antecedens probatur Rom. II. time ne forte & tibi non parcat: 1. Cor. 10. Qui stat, videat ne cadat. Philipp. 2. cum timore & tremore &c.* Ratio consequentiæ: quia timor non consistit cum certitudine.

III. Scriptura expressis verbis docet salutem pendere à conditione operum. Nemo igitur de salute suâ potest esse certus. *Antecedens prob. Matt. 5. nisi abundaverit justitia vestra &c. Matt. 19. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, Rom. 8. Si filij & hæredes si tamen compatimur. 2. Timoth. 2. Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* Ratio consequentiæ. Quia adversarij concedunt non posse esse certitudinem salutis, si pendeat à conditione operum.

IV. Scriptura testatur multos ad tempus credere & postea circa fidem naufragare & perire, ut patet Luc. 8. de semine, quod cecidit super petram & 1. Timoth. 4. *In novissimis diebus discedent quidam à fide.*

Ex ratione argumentatur I. Nihil affirmari debet de his, quæ pendent ex solâ Dei voluntate, nisi ex manifestâ revelatione ipsius. At predestinatio pendet ex solâ Dei voluntate. Ergo de eâ nihil affirmari debet, nisi ex manifestâ revelatione: Propositionis ratio est: Si nemo certò scire potest, quid sit in homine, nisi spiritus ejus: quanto magis nemo scire potest, quod sit in Deo, nisi spiritus Dei?

II. Non potest homo certus esse ex fide, an sit dignus amore vel odio, secundum præsentem justitiam, quam in se habet. Ergo multò minus ex fide certus esse potest, an sit dignus amore vel odio secundum æternam

Dei

Dei decretum. Antecedens ait se approbasse in præcedentibus: Approbationes paulò post recensebimus.

III. Augustinus ait in lib. de corrept. & gratiâ cap. 13. *secretum hoc utilissimum esse ad humilitatem conservandam, ut non sciatur in hac vitâ, quis ad numerum electorum certò pertineat.*

IV. Prosper ait *id utilissimum esse propter reprobos.* Nam si scirentur, qui sint prædestinati, reliqui omnes desperantes de salute, nihil omnino boni peragere curarent: Ut igitur de Dei miseratione nemo diffideret, nemo desperaret, utilissimum fuit ut secretissima esset electio.

Bellarminus antequam ad certitudinem prædestinationis convelendam accedat, fundamenti loco substernit, neminem posse certum esse de propriâ gratiâ, de remissione peccatorum, & justitiâ coram Deo: hinc igitur principalis ratio, quâ secundæ rationis approbatur antecedens, elicitur.

V. Nemo potest certus esse de propriâ gratiâ, de fide suâ & remissione peccatorum. Ergo nec de electione. Ratio consequentiæ: Quia electio cognosci nequit, nisi à posteriori, ex fide, & remissione peccatorum. Antecedens probat.

I. Ex testimonijs Salomonis: præcipua sunt proverb. 20. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato.* Ecclesiastæ 9. *Nescit homo, utrum odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.* Ecclesiastici. 5. *de propiciato peccato noli esse sine metu: neq; adicias peccatum super peccatum, & ne dicas, miseratione Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.*

II. Etrium sanctissimorum virorum Jobi, Davidis & Pauli exemplis. Tres hi homines perfectissimi non sunt ausi sibi arrogare certitudinem propriæ gratiæ. Ergo multò minus quivis alius. Antecedens probatur I. de Jobo. cap. 9. *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me, si innocentem ostendero, pravum me comprobabit, etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea: & infra: verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti.* Et cap. 31. *Quid faciam, cum surrexerit ad judicandum Dominus* II. de Davide Psalm. 18. *Delicta quis intelligit? ab occultis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo.* III. de Paulo I. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Ostendit hîc Paulus, judicium de nostrâ justitiâ Deo esse relinquendum, cum ne nos quidem ipsi nos planè cognoscamus.

III. E vs.

III. E varijs locis Prophetarum & Apostolorum, quæ distribuit in tria genera. *Primi generis* sunt, quæ manifeste significant requiri aliquid in nobis, ut justificemur, nempe fidem & conversionem ad Deum seu pœnitentiam. Loca sunt Deut. 4. *cum quaesieris ibi Dominum, invenies eum.* 2. Paralip. 6. *Si conversi fuerint ad te in toto corde suo & in totâ animâ suâ, exaudies de cœlo.* Jesaia 1. *Quiescite agere perversè, discite bene agere,* & Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis &c. vivendo vivet.* Johan. 13. *Vos amici mei eritis, si feceritis, quæ ego precipio vobis.* Hinc assumit Sophista. At nemo potest esse certus certitudine fidei, se toto corde conversum esse ad Deum, & fidem ac pœnitentiam habere, qualis requiritur: probat hoc quia in nullâ scripturâ testimonium ejusmodi invenitur de fide & pœnitentiâ nostri in particulari.

Secundi generis sunt, quæ incertitudinem remissionis arguunt: cujusmodi sunt Daniel. 4. *forſan ignoscat Deus delictis tuis.* Joel. 2. *Quis scit, si convertatur & ignoscat Deus?* Act. 8. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tuâ, & rogo Deum, si forte remittatur tibi.*

Tertij generis sunt, quæ metum & timorem præcipiunt, ut Proverb. 2. *Beatus homo qui semper est pavidus:* & Philip. 2. *cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Sic & 1. Pet. 1. *in timore incolatus vestri tempore convesamini.* Urget hæc in specie duo alia loca, 2. Cor. 10. *Non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* At, inquit, si quis certitudine fidei sciret se justum esse, posset utiq; se commendare & probari esse, quia sine dubio minimè falleretur. 2. Pet. 1. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Si, inquit, per bona opera certitudo vocationis quaerenda est, certè etiã justificationis. Quod si certitudo justificationis ex bonis operibus pendet, I. homo non erit de justificatione suâ certus, mox atq; justificatus est, II. non ex solâ fide pendet certitudo justificationis. III. justificatio non est certa certitudine fidei, quæ infallibilis est, sed certitudine operum, quæ conjecturalis & imperfecta est. Testimonia Patrum datâ operâ præterimus: hic enim *δευτερος πλῆς.*

IV. Ex rationibus quatuor, quarum primâ probat, *non posse haberi certitudinem fidei de propriâ justitiâ: hoc modo:* Non potest aliquid certum esse certitudine fidei, nisi aut immediatè contingatur in verbo Dei,

T

aut

aut ex verbo Dei per evidentem consequentiam deducatur: Fides enim non est, nisi verbi divini autoritate nitatur. At in verbo Dei non continetur immediatè particularis propositio, *talis vel talis homo verè justificatus est*, exceptis paucissimis, ut Magdalená & quodam paralytico. Cæteri homines in sacris literis ne nominantur quidem. Nec verò per consequentiam ex scripturâ potest educi: quod hunc in modum probat Sophista. Ratiocinatio quâ quis certitudinem fidei de justitia sua ex verbo Dei concluderet, hæc esse deberet. *Verbum Dei testatur, omnes verè conversos ad Deum, & pœnitentiam seriò agentes, indulgentiam & gratiam obtinere. Mibi autem evidens est mea conversio & pœnitentia: Ergo mihi certum est, certitudine fidei, me indulgentiam & gratiam accepisse.* Respondet Sophista: Hujus argumenti Assumptionem, si absq; revelatione sit, non solum falsam sed etiam impossibilem esse: probat id I ex testimonio Jeremiæ 17. *Pravum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscerit illud?* II. videmus reipsâ multos falli qui putant se habere, quod non habent; Exemplo est Petrus, qui putabat se esse paratum subire mortem pro CHRISTO, quem tamen turpiter abnegavit. Exemplo quoq; Paulus, qui cū ante conversionem in Christianos fureret, arbitrabatur se magnâ charitate Dei flagrare, & tamen ex ignorantia fallebatur III. non sunt clariora signa veræ conversionis & gratiæ jam adeptæ, quàm opera charitatis, & præsertim si quis animam pro Deo ponat. At hoc ipsum potest esse signum fallax docente Apostolo 1. Cor. 13. ubi ait, *hominem posse sine vera charitate tradere corpus suum ut ardeat.* Sic & hæretici sæpe pro defensione perfidiæ mortem oppetunt.

Secunda ratione probat, neminem teneri ad certitudinem hanc habendam, etiamsi fortè possit haberi. Ratio hæc est: Quod in symbolo fidei non continetur, nec in canone aliquo Ecclesiastico, id credere certitudine fidei nemo tenetur. Atqui nec in symbolo fidei, nec in canone aliquo Ecclesiastico continetur articulus, tibi remissa esse peccata. Ergo hoc credere non teneris. Addit: si ejusmodi articulum fidei haberemus, sequeretur, omnem hominem, qui peccat, quocunq; genere peccati mortalis continuò fieri hæreticum, & sic nullum esse peccatorem, quin simul esset hæreticus. At consequens falsum. Ergo & antecedens. Connexi ratio est: Quia non potest, qui voluntariè peccat, credere se justum esse, nisi falsum deditâ operâ velit credere.

Tertiò

Tertiâ probat, *non expedire, ut certitudo hæc habeatur ordinariè*: hoc modo: Certitudo hæc gignit in nobis securitatem & superbiam. Non igitur expedit eam habere. Antecedens probat ex August. cap. 13. de corrept. & gratia. *In hoc loco tentationis tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas.* Item ex Gregorio Magno lib. 9. moral. cap. 17. *si scimus nos gratiam habere, superbumus. Contra verò hujus secreti ignorantia humilitatem conservat & auget.*

Quartâ probat, *reipsâ hujusmodi certitudinem omnibus fidelibus non adesse*: hoc modo: Si singuli de remissione peccatorum essent certi, utique singulari Dei beneficio non quibusdam tantum revelatum esset, peccata ipsis esse remissa. At consequens falsum. Ergo & antecedens Assumptionem probat adductione duorum exemplorum: *Antonij & S. Francisci*: de illo testatur Athanasius, quod è singulari revelatione innotuerit ei remissio peccatorum, de isto Bonaventurâ. Adducit quoque exemplum Hilarionis, qui referente Hieronymo, trepidavit hisce verbis, *egredere anima mea, quid times? egredere quid trepidas? septuaginta prope annis servisti CHRISTO, & mortem times?* Subijcit denique omnes hæreticos circa hanc certitudinem falli. Hisce machinis orthodoxam sententiam adoritur Bellarminus.

CAPUT XXXV.

DILUUNTUR ARGUMENTA BELLARMINI.

Age verò ad machinarũ harum demolitionem accedamus.

P*Rimi argumenti, quod ex scriptura petitur, consequentiam negamus* (intelligit enim in consequente Sophista per revelationem specialem planè extraordinariam) Ratio negationis est: quia Apostolus non ipsa Dei opera & judicia in se occulta nobis esse indigitat (quî enim hoc affirmaret, cum partim in scriptura commemorentur, partim ex eventibus nobis patefiant?) sed eorum causas & rationes: Manifestum id est antecedentia Pauli attendentibus. Locutus enim erat Paulus, de rejectione Judæorum & de assertionem Gentilium non minus impiorum, quàm ipsi erant Judæi. Mira certè hæc erat mutatio in hominum oculis. Tam enim hi quam illi erant indigni assertionis gratia, quando *sub pari omnes contumaciâ sunt conclusi v. 32.* tam illos quam hos ad obsequium suum Deus poterat convertere. Et tamen assertis gentilibus ad

I t 2

tempus

tempus rejecit Judæos. Eisdem rursus ait *misericordiam consecuturos per misericordiam gentilium* v. 31. Quis judiciorum horum, quæ in se omnium oculis erant obvia, rationes perscrutetur? Hac igitur occasione exclamat Paulus: *ò profundas divitias tam sapientie tam cognitionis Dei!* Apparet igitur sententiam Bellarmini hac ratione non probari. Fatetur autem ipse Bellarminus hanc secreti altitudinem respicere potissimum causam, cur Deus unum eligat, alterum non eligat. Addit tamen, indicari quoque non posse sciri sine revelatione, quem Deus elegerit, & quem non elegerit.

R. Scopus Pauli huc minimè tendit, si cum ijs, quæ proximè antecesserunt, sententia allegata probè conferatur. Concernit Apostolica exclamatio non judicia divina in se, quæ erant notissima, sed causas *saltem* judiciorum horum. Itaque & huc illa referenda verba, *Quis novit mentem Domini?* Interim non negamus, nesciri à nobis, quem Deus elegerit, quem non elegerit, sine revelatione divinà; sed generalem hanc esse dicimus in verbo: Qui enim credit in filium habebit vitam æternam, & proinde ad eam quoque prædestinatus est; & specialem in cordibus electorum, quæ proficiscitur à spiritu Dei testimonium spiritui nostro perhibente, nos esse Dei filios. Aliam revelationem non desideramus.

Secundi quoque consequentiam negamus. Ratio universaliter vera non est: Etiam si enim cum certitudine non consistit timor servilis: (sed nec hic à scriptura præcipitur, imò prohibetur Rom. 8. v. 15.) consistit tamen cum eâ timor filialis, qui est pia sollicitudo de vitando peccato & offensione Dei. Itaque scriptura timorem præcipiendo electis minimè de gratia & misericordia divina eos jubet diffidere, sed à carnali securitate sibi cavere: proponit etiam comminationes, quibus intra officij metas electi tanto facilius continentur, dum pericula perpendunt, quæ incurunt, qui à recto tramite se avertunt.

Excipit beate Bellarminus, sollicitudinem hanc habere quidem locum in ijs, qui prædestinationem suam ignorant: non autem in ijs qui de eâ sunt certi. R. In ijs maximè, qui de eâ sunt certi: agnoscunt enim ij expatefactione divina in verbo non dari vitam, ad quam prædestinati sunt, sine obsequio fideli, & ad id se esse electos, ut sint sancti & inculpato: Unde quàm maximè solliciti redduntur de obsequio debito præstando. *At, inquit, qui certò persuasi sunt se salvandos, non debent timere, ne exci-*
dant à

dant à salutè, imò non possunt timere? R. Certè fideles, qui persuasi sunt se salvandos, non debent timere ne excidant, ita nimirum ut de gratia & misericordiâ Dei diffidant: etsi sub conditione timere excidium non prohibentur, si nempe ad securitatem prolabantur. Non posse verò eosdem excidium timere, falsum est: siquidem spiritu interdum quiescente caro tumultuatur, etsi à spiritu suscitato mox compefcitur. Fatemur igitur fideles injuriam facere fidei suæ, si serviliter timere incipiant, de gratiâ Dei non nihil diffidendo, vel tentationum tempore fluctuando. At filiali timore fidei injuriam fieri pernegamus: hic enim genuina est fidei soboles. Patet ergo quid ad sequens Bellarmini sophisma sit respondendum.

Si fideles certè debent esse persuasi se esse salvandos, Spiritus Sanctus hortaretur electos ad infidelitatem, cum hortatur ad timorem amittendæ salutis. At consequens absurdum. Ergo & antecedens, Connexum simili probat: si quis admoneret fidelem ut timeret, ne forte non sit verum CHRISTUM esse Deum, ad impietatem sine dubio eum impelleret. Ergo & Spiritus Sanctus ad impietatem provocaret electos, dum hortatur, ut timeant, ne forte excidant & pereant.

R. Principalis syllogismi connexum negamus. Ratio negationis est, quia Spiritus Sanctus non hortatur fideles ad timorem servilem, qui cum diffidentia de Dei gratia conjunctus est, sed ad timorem filialem cum fide conjunctum, quo ab ijs abstrahuntur electi peccatis, quibus reprobi & hypocritæ sunt obnoxij. Itaq; cum jubentur excidium timere, non de Dei gratia vel dubitare vel desperare jubentur, sed ab ijs sibi peccatis cavere, ob quæ excidio reprobi & hypocritæ dantur. Etiam si enim immutabile est electionis decretum, non tamen ad finem tantum, sed ad media quoq; sumus destinati, ita ut ad finem tanquam extremum nemini nisi per media contingat transire: ad hæc verò promissionibus & comminationibus Deus nos deducit. Eodem recidit eorum responsio, qui ajunt, metum excidij electis præcipi non absolutè, sed cum conditione, si ad securitatem carnalem prolabantur.

Approbatio connexi inconsequens est ob ingentem similitum vel parium dissimilitudinem vel disparitatem. CHRISTUM enim Deum esse verum est, sive credatur sive non credatur. Itaq; timere, ne forte non sit verum, CHRISTUM esse Deum simpliciter impium est

T t 3

Electo,

Electos verò salutem immutabiliter consecuturos & ipsum quidem verum est; attamen cum conditione fidei, ut credant electos se & vitam consecuturos propter CHRISTUM, & sic *sanctificent se sicut & ipse sanctus est* 1. Johan. 3. v. 3. *Sine sanctitate enim nemo videbit Dominum* Heb. 12. v. 14. Itaq; timere ne exciadaris si carni habenas laxes, eiq; totus indulgeas, non est peccatum, sed sollicitudo pia fidelibus necessaria. Contra verò timere ne exciadaris, si maximè per spiritum opera carnis mortifices, & in CHRISTO acquiescas, peccatum est longè maximum. Est igitur & hoc observandum, *excidium timere, & timere ne forte non sit verum, nos esse electos*, minimè æquipollere: prius enim scriptura jubet certo respectu: posterius cum sit dubitationis & diffidentiae plenissimum, non jubet, sed prohibet.

Tertij antecedens ambiguum est: Salus pendere dicitur à conditione operum vel tanquam causarum efficientium & promerentium salutem, vel tanquam mediorum, sine quibus nemini contingit salus, etsi causæ rationem non habent; priori modo negamus à conditione operum salutem pendere: posteriori adnittimus: etsi non diffitemur in phrasi *ἀνεργλογίαν* esse; pendere enim ab aliquo propriè causæ respectum subindicat: Interim de phrasi non contendimus modo in sensu accipiatur orthodoxo & scripturis consentaneo. Propriè necessaria dicimus esse opera salvandis, non necessitate efficientiæ, sed præsentiae, seu ordinis: *quia sine sanctorum Deum nemo videbit*: Hoc sensu scriptura commendat bona opera Rom. 8. 2. Timoth. 2. Duo loca ex Matthæo allegata ad rem minus faciunt: prior ex cap. 5. hypocriticam Phariseorum justitiam perstringit, & videtur hypotheticè accipiendus: Si propriâ justitiâ regni cœlorum possessio sit acquirenda (quod tamen CHRISTUS non affirmat) certe oportet ea sit longè perfectior quàm Phariseorum erat. Hac occasione corruptelas Pharisæicas ostendit. Alij per abundantiorē justitiam intelligunt Evangelicam. Posterior ex cap. 19. accommodatam continet responsionem ad Pharisæicam interrogationem, quæ hypocrisis confunditur: Affirmamus igitur nullam esse posse salutis certitudinem, si pendeat ea à conditione operum tanquam causarum efficientium & promerentium: Interim cum certitudine salutis simpliciter non pugnat conditio operum in salvandis requisita. Nitiur contrarium probare Bellarminus hoc modo: Si nemo certò potest
statuere

statuere se facturum omnia illa opera, quæ CHRISTUS fieri jubet, utiq; nemo etiam de salute & electione suâ, citra revelationem specialem, potest esse certus. At verum prius. Ergo & posterius.

R. Connexum negamus: quia certitudo electionis non pendet à certitudine operum omnium, quæ Christus præcepit (sunt eorum quædam specialia, quæ certas duntaxat personas concernunt pro officiorum & vocationis diversitate) sed à certitudine promissionis, *qui credit in filium habet vitam æternam*. Etiam si igitur perfectam obedientiam sibi nemo potest polliceri, de electionis tamen certitudine propterea non debet dubitare, modò credat, peccata sibi propter CHRISTUM esse remissa, & serium novæ obedientiæ inchoandæ studium in se deprehendat.

Quarti consequentiam negamus: à fide enim temporariâ & hypocriticâ ad veram & salvificam nulla est consequentia: illam esse evanidam testatur experientia: hanc nunquam totaliter excidere testatur scriptura, ut prolixè supra demonstravimus. Hactenus argumenta ex scripturâ petita.

Ad rationes jam accedamus:

Primam totam concedimus: damus enim ultrò de electione non esse judicandum nisi ex manifestâ Dei revelatione. At hæc revelatio in verbo est generalis: *Qui credit, habet vitam æternam*. In cordibus electorum, per Spiritus Sancti gratiam, est specialis: Subsumit enim, dictante spiritu, electus: *At ego credo*. Unde certitudo electionis & vitæ æternæ necessariò sequitur.

Excipit Bellarminus. In scripturâ quidem revelatum esse, omnes qui credunt, habituros vitam æternam. At in scripturâ nusquam revelari, omnes qui dicunt se credere, eos credere sicut oportet. Nam si satis esset dicere, Ego sicut oportet, credo, omnes hæretici salvarentur, ajunt enim omnes se credere, sicut oportet.

R. Nec necessarium est, ut affirmet scriptura, omnes eos, qui se credere dicunt, verè credere: quin potius contrarium affirmat, non omnes, qui se dicunt credere, verè credere. *Non omnes qui dicunt Domine Domine &c.* Nec tamen sequitur propterea, verè fideles ex revelatione divinâ nescire, se verè fideles esse. Primùm enim veræ fidei electorum propria natura in sacris literis accuratè satis describitur: deinde eadem per Spiritum

Spiritum

Spiritum Sanctum in electorum cordibus excitatur, adeo ut electi fidem suam cum descriptione in scripturis expressâ conferentes, de ejus veritate ambigendi nullam habeant causam: Ubi enim propria sunt rei, ibi res ipsa est. Atqui electi in se deprehendant propria fidei veræ: Ipsam igitur fidem veram duce scripturâ in se deprehendunt. Nec movet nos exemplum hæreticorum, qui se vere ajunt & putant credere, cum tamen verè non credant, sed opinione decipiantur. Quæ enim hæc sequela? Qui malè affectus est oculis, de coloribus non potest judicare, nec de saporibus, cui vitiatum est organon gustus. Ergo non judicare potest de coloribus, cui integri & illæsi sunt oculi, nec de saporibus, cui illæsum est gustus organon. Vel: mentis impos sapientem se putat & dicit esse, falliturq; Ergo & is qui sanæ mentis est, sapientem esse se ignorat, vel judicio quoq; fallitur. Quasi, inquit, Dominus Tilenus, *sicut vigilantes sciunt & intelligunt se vigilare, ita etiam dormientes aut furiosi probe intell. gant se dormire aut furere.*

Secundæ antecedens negamus: ad approbationem, quam alibi adducit, paulò potest respondebimus.

Tertiæ cum autoritate nitatur humanâ, veritati nihil præjudicaret, si maximè abiret ab eâ. Potior nobis scripturæ autoritas de quâ sequenti capite. Cæterum si accuratè inspiciatur Augustinus, videtur omnino in citato loco inclinare in sententiam Pontificiam: velut in eodem quoq; capite pro Pontificijs videtur concludere in quaestione de bonorum operum meritis. *Certum est, inquit, vitam aeternam bonis operibus debitam reddi: Obijcientibus ex Apostolo, At Dei gratia dicitur, cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur: respondet: sine ulla dubitatione confitendum esse, ideo gratiam vitam aeternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia homini contulit.* Certè non audimus heic Augustinum, sed Apostolum. Sunt tamen, qui ad prius pronunciatum respondeant, vetare Augustinum scrutari vel præsumere de prædestinatione ea, quæ non sunt à Deo in verbo revelata, nimirum quot & quare sint à Deo electi vel præteriti. In quorum interpretationem quia viri sunt magni & nostri olim præceptores, non inquirimus. Interim noverint Pontificij certitudinem prædestinationis ad electionem electos minimè provocare: Nec enim certitudo ista obstat, quo minus ex Apostoli præcepto cum timore & tremore salutem conficiant. *Qui verò effe-*
rantur,

tantur, cum norint *superbis DEUM resistere, humilibus autem dare gratiam.*

Quarta, cujus autorem laudat Prosperum (etsi in allegato loco tale nihil occurrit) sententiam nostram minimè labefactat. Nec enim inter nos & Pontificios quæritur, *An singulorum Electorum catalogus descriptus haberi possit vel debeat?* quem haberi nec posse nec debere ultro fatemur, quia manifestam desperandi occasionem reprobis præberet. Sed quæritur: *An electi singuli de electi one propriâ certi esse possint & debeant?* Quòd affirmamus cum scripturâ: & desperandi occasionem cuiquam reprobo inde præberi rotundè negamus: negat res ipsa. Quàm diu enim descriptus electorum catalogus non habetur & inspicitur, desperandi occasionem habet.

Quinta antecedens negamus: Ad approbationes ordine respon- demus.

Ad I. quæ petitur è testimonijs *Salomonis*. Primum testimonium Proverb. 20. non impugnat certitudinem fidei & remissionis peccatorum, in quâ justitiâ consistit imputatâ, sic enim scripturæ aperte contradiceret. *Huc*, nempe *CHRISTO*, inquit Apostolus, actor. 20. v. 43. *omnes propheta testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus, quem vis, qui crediderit in eum. Scimus sanguinem JESU CHRISTI nos purgare ab omni peccato.* 1. Johan. 1. v. 7. *Scimus Deum fuisse in CHRISTO & mundum reconcitasse sibi, non imputando eis peccata ipsorum* 2. Cor. 5. v. 19. sed de justitiâ propriâ, eâq; omnibus numeris absolutâ neminem gloriari posse ait: tunc & sanctis iniquiq; judicij & tribunalis divini rigorem deprecantur Psalmo 143. v. 2. *Farenturque omnes cum Ecclesiâ* Jer. 64. v. 10. *Sumus ut immundus omnes nos, & sicut panniculus abjectissimus omnes justitiâ nostrâ, d'ffluimusq; veluti folium omnes nos, & iniquitates nostrâ ut ventus auferunt nos.* Quam ergo in sanctis munditiem inhærentem scriptura prædicat, inchoata est, & cum impiorum totali immunditiâ comparatâ, quam Hieronymus appellat *humane possibilitatis modum*. Cumq; scriptura prædicat beatos *immaculatos in viâ* Psalm. 118. *mundos corde* Matth. 5. non munditiem, & sanctitatem hominis extollit, sed requirit tanquam viam veræ beatitudinis. Unde Bellarmini diluitur exceptio ad responsionem Calvini. *Secundum testimonium ex Ecclesiastæ 9. v. 1. in hac materiâ præcipuum est: Verba*

sic allegat Adversarius ex versione vulgata. *Sunt iusti atq; sapientes & opera eorum in manu Dei. Et tamen nescit homo utrum odio, vel amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.* A turbidis vulgatæ versionis rivulis ad fontem Hebræum si nos convertamus, ex interpretatione Pagnini, de verbo ad verbum textus ita habet: *Iusti & sapientes & opera eorum in manu Dei: etiam amorem, etiam odium nescit homo, que omnia ante eos sunt.*

Unde apparet i. falsâ interpretatione textum depravari, ita ut & scripturæ & experientiæ contradicat. Textus enim non ait, hominem nescire, utrum amore vel odio dignus sit (hoc siquidem scripturæ esset contrarium; novit enim homo ex scripturâ, se propter peccata sua, quæ adhærent ipsi, dum in hoc mundo peregrinatur, non Dei amore sed odio esse dignum: *maledictus enim est, qui non permanet in omnibus, que scripta sunt in libro legis.* Deut. 27. v. 26. fatentur hoc omnes pij, qui cum Davide exclamant, *in iudicio tuo non justificabitur ullus vivens.* Psal. 143. v. 2.) Sed hominem nescire amorem vel odium, ubi non loquitur de ignorantia absolutâ (nam & hoc contrarium esset scripturæ, quæ ait *dilectum à Deo mundum esse, ut filium suum unigenitum miserit &c.* Joh. 3. v. 16. *Scimus per hoc patefactam esse charitatem Dei in nobis, quod filium illum suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum,* 1. Joh. 4. v. 9. & v. 10. *In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexerit nos, & miserit filium suum, ut esset propitiatio pro peccatis nostris.* & v. 11. *Dilecti, si Deus nos ita dilexit, debemus & nos alij alios diligere.* & v. 12. *Deum nemo spectavit unquam: Si diligimus alij alios, Deus in nobis habitat, & charitas ejus expleta est in nobis.* Et v. 13. *per hoc cognoscimus nos in eo habitare & ipsum in nobis, quod de spiritu suo dedit nobis,* & v. 15. *Quisquis confessus fuerit Jesum esse filium Dei, Deus in eo habitat & ipse in Deo: & v. 16. Et nos cognovimus & credidimus, charitatem quam habet Deus in nobis. Deus charitas est &c.* & v. 18. *Metus non est in charitate: expleta charitas foras eijcit metum,* videantur sequentia) Non inquam, loquitur de ignorantia absolutâ sed de respectivâ, quæ ex certis oritur causis, è quibus infallibile amoris vel odio inditium sumi nequit. Causæ hæ sunt eventus externi adversi vel secundi, pijs & impijs communes: sic enim expressa habent sequentia verba: *Omnia eveniunt, quemadmodum omnibus evenit: eventus unus est iusto & impio, bono & malo.*

& immundo, & sacrificanti & ei qui non sacrificat. Quis igitur amorem vel odium Dei ex eventibus hisce possit æstimare. Si dicas, res secundas amoris divini esse argumentum, en tibi impios, quorum hac parte major plerumq; quàm piorum felicitas; Sin vero adversas odij divini argumentum esse dicas, omnes damnabis pios, qui cum adversitatibus conflictantur, dum in hoc sunt mundo, haud immeritò, ut Pœtæ succinamus, canenti.

— Careat successibus opto,

Quisquis ab eventu facta notanda putat.

Hæc Ecclesiastæ est sententia, in quâ meritò acquiescimus: nec ignoramus ab alijs aliter hæc verba accipi: Nonnulli per amorem & odiû intelligunt *eventus amabiles & inamabiles, id, est prosperos & adversos*, eosq; futuros, qui in hominis scientiam non cadunt, cum sint contingentes ob causarum secundarum varietatem & inconstantiam: quæ interpretatio textus non est contraria. Alij intelligi contendunt, *odium & amorem non divinum sed humanum*: ut sensus sit: nescit homo ex eventibus proprijs & adversis, quem amare tanquam pium & odisse tanquam impium debeat, cum omnium ferè par videatur esse fors. Alij concedunt intelligi odium & amorem divinum, sed de diversis sermonem esse, ajunt: hoc sensu: Nemo indubitatè potest scire, utrum Deus alium amet vel odio habeat, quia ex eventibus externis petita indicia sunt fallibilia. Nulla sententiarum harum patrocinatur Bellarmino. Et hætenus falsa textus interpretatio.

Apparet II: Sacro textui addi sacrilegè, quod in origine hebræâ non habetur, imò cujus contrarium habetur. Loco enim illorum verborum, *omnia in futurum servantur incerta*, in textu habentur hæc: *que omnia ante eos sunt*: quorum verborum hic potest esse sensus additioni contrarius: Etiam si secundi & adversi eventus homini ante oculos versantur, certum tamen amoris vel odij argumentum ex ijs nequit petere.

Videamus ea, quæ heic excipit Bellarminus I: de errore versionis vulgatæ non vult confiteri, eò quod versio sit antiquissima ipsius Hieronymi. II: Salomonem loqui contendit non nisi de justis, idq; probat ex verbis antecedentibus, *sunt justi atq; sapientes &c.* inde colligit: Etiam si impij norunt se esse dignos odio, non amore, tamen justos de

amore vel odio certi nihil posse statuere, secundum Ecclesiastem. III: reijcit interpretationem nostram, quâ dicimus, *justos nescire amorem vel odium, non quidem absolute, sed ex presenti verum eventu*: 2. Absolute id nesciri ex illis probat verbis: *omnia in futurum servantur incerta*: Ergo nullo modo, inquit, amorem vel odium sciunt. Si enim aliunde scirent, falsa esset sententia, *omnia in futurum servantur incerta*.

R. Ad I: Primò major apud nos est autoritas fontis hebræi limpidi, quàm turbidorum vulgatæ versionis rivulorum. Deinde etiamsi vulgatam versionem antiquam esse non diffitemur, certum tamen est textum hebræum longè esse antiquiorem. Deniq; vulgatæ versionis *autorem Hieronymum non agnoscimus, præsertim in loco præsentis*: versio enim Hieronymi in commentario hebræa sequitur vestigia, & locum ita reddit: *Justi & sapientes & opera eorum in manu Dei: Et quidem charitatem & quidem odium non est cognoscens homo, omnia in facie eorum*. Non inventas heic vulgatæ versionis corruptelam vel additionem. De *exegefi verò Hieronymi non magnoperè laboramus*. Ad II. Salomonem de folis loqui justis nullo modo potest probari: Etiamsi enim sapientum & justorum in priori sententiâ mentionem fecit, generalem tamen subjungit sententiam: nescire hominem odium vel amorem, utq; patet ex interpretatione nostrâ, tam justis quàm injustis nesciunt, eo modo, quem Ecclesiastes sequentibus indigitat, nempe ex eventibus externis seu prosperis & adversis, quæ communia sunt pijs cum impijs. Rationem hanc veram esse agnoscit Bellarminus, & tamen contendit probare eâ Ecclesiastem, *absolute hominem vel odium vel amorem nescire*: præposterè sanè & ineptè: Sic enim inconsequens & inefficax Ecclesiastæ foret ratio: Quæ enim consequentiæ ratio? Pij ex eventibus externis, qui communes sunt ipsis cum impijs, amorem & odium Dei nesciant: Ergo nullo modo sciunt, absolute nesciunt. Taceo falsum quod sit pios absolute nescire, an odio sunt digni, ut supra demonstravimus.

Ad III. Cur interpretationem nostram reijciat, causam legitimam non habet, verba quæ allegat, nec in hebræo sunt textu, nec in versione Hieronymi, nec in versione Græca LXX. Hactenus secundum testimonium.

Tertium testimonium, ex Ecclesiastici 5. quo mirificè ait punge hæreticos

hæreticos hujus temporis. Nos de hæreticis solliciti non sumus. Interim nec orthodoxos eo pungi ultro fatemur i: quia liber est apocryphus, quem Salomoni adscribit, cum sit Syracidæ. ii: quia non impugnat certitudinem prædestinationis vel salutis, sed securitatem salutem prohibet carnalem.

Excipit Bellarminus i: loqui quidem Ecclesiasticum contra securitatem carnalem, sed eam non solum constituere in eo, quod aliqui spe misericordiae adijciunt peccatum super peccatum, sed etiam in eo, quod aliqui non precantur, pro pristinis, ut sibi dimittantur, sed certò credunt sibi esse remissa, ob id solum, quia credunt sibi esse remissa. ii: de propitiatione futurâ nos non posse esse securos quia nescimus, an habeamus spatium pœnitentiæ quod explicat Ecclesiasticus cum ait: *Non tardes converti ad Dominum, neq; differas de die in diem, subito enim veniet ira illius*: iii: neminem posse certum esse præsertim ex fide divinâ, se veram habere conversionem seu pœnitentiam, quæ requiritur.

R. Ad i: Remitti peccata propter fidem nemo nostrum dicit, sed propter CHRISTUM verâ fide apprehensum. Esse verò hanc securitatem carnalem, credere sibi peccata esse remissa vel remissum iri propter CHRISTUM fide apprehensum, una est ex Pontificijs veritatibus, hoc est, mendacijs, quibus & CHRISTI meritum blasphemè contemnunt, & eos, qui suam in eo fiduciam collocant, hæreseos iniquissimè accusant. Interim non diffitemur carnaliter securos esse, qui non precantur pro pristinis peccatis, ut sibi dimittantur: sed verè fidelium hunc esse profanum morem negamus. Cum enim in dominicâ oratione petunt, *debita sibi remitti*, cogitationes certè convertunt non ad præsentia tantum sed & præterita & futura: quanquam Ecclesiasticus hoc in loco non de præteritis sed de futuris loquitur, ut è sequentibus palam est: *miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum* (nempe quæ cumulo) *miseretur*. Nec habet textus de propitiato peccato, sed de propitiatione *ὡς ἐξίλασις*: vulgata igitur versio de præterito loquitur: origo græca de futuro.

Ad 2. verè fideles de spatio pœnitentiæ dubitandi legitimam causam nullam habent, sed ij saltem, qui pœnitentiam de die in diem datâ operâ differunt, & in eam seriò non incumbunt. Firmiter autem selecti fideles persuasum habent nunquam pœnitentiæ agenda gratiam

vel occasionem sibi defuturam, si sponte eam negligere & contemnere non præsumant. Ad 3: Falsissimum est, de conversionis & pœnitentiæ veritate neminem posse esse certum, uti deinceps monstrabimus.

Hactenus prima approbatio; sequitur altera, quâ exemplâ Jobi, Davidis & Pauli adducuntur: respondemus igitur.

Ad II. Antecedens negamus. Ad exempla, quibus ἐποχὴν suam probat, primum in genere respondebimus: dein in specie. In genere, primò perfectissimi dici possunt tres illi viri, non absolutè sed comparatè, quod testimonia pro ipsorum perfectione allata docent: interim, in se considerati peccatores fuerunt, quod nec ipsi differentur: Job. cap. 4. v. 17. & 15. v. 15. & 16. David Psalm. 143. v. 2. Paulus Rom. 7. ferè per totum caput. Deinde de justitiæ sibi inhærentis perfectione non tantum non fuere certi, sed & in se eam non esse apertè sunt professi, dum peccata sua alibi sunt confessi: etsi justitiæ exercendæ studium idq; sincerum sibi nusquam derogant, nec de eo dubitant. Bellarmino autem incumbere probare non tantum justitiæ inhærentis incertitudinem, sed fidei maximè & remissionis peccatorum: quod dum non facit, sed de certitudine tantum justitiæ inhærentis & quidem perfectæ disputat, aërem verberat, nos non attingit. Hactenus in genere: jam in specie I. ad exemplum Jobi: In allegatis testimonijs Job aliud nihil sibi derogat, quàm inhærentis justitiæ perfectionem: agnoscit enim se peccatorem, qui divini judicij rigorem per se non posse sustinere, cum multas in se agnoscat imperfectiones: Unde ait, *os meum condemnabit me*. Illa verò vulgatæ versionis verba: *Etiamsi simplex fuero hoc ipsum ignorabit anima*: quæ scrupulum non nemini possint iniicere, in origine hebraicâ ita sonant v. 21. *Integer ego* (יָשָׁר) *non agnovi animam meam* (futurum pro præterito positum, quod frequens in factis est יִשְׁרָאֵל) h. e. non habui rationem animæ. Versiculi igitur sensus hic est: In vitâ meâ studui integritati & bonæ conscientiæ, sumq; integer ab ijs peccatis, quæ vos mihi exprobratis, & quibus hanc Dei iram me provocasse dicitis: A deo verò integritatis hujus fui studiosus, ut ne vitæ quidem meæ periculo ab eâ me abduci passus fuero. Unde ex hac fiducia vox illa profecta cap. 13. v. 18. *si fuero judicatus, scio quod justus inveniar*. Tantum igitur abest, ut propriæ gratiæ incertitudo heic stabilietur, (etsi elegantem hunc esse locum ait Pineda pro confirmando dogmate de incertitudine gratiæ)

III

ut contrarium potius liquidò demonstraretur. Integritati enim studuisse se Job dicit & fatetur, etsi perfectionem sibi arrogare nō audet, quod nec ulli mortalium in hac vitâ licet. De fide autem & fiduciâ suâ in redemptorem, adeoq; de remissione peccatorum & vitâ æternâ obtinendâ certissimus fuit, ut testatur cap. 19. v. 25, 26, 27. *Equidem scio redemptorem meum vivere, & posteriorem super pulverem resurrecturum, & postquam vermes confoderint istud, evigilante me, tum carne meâ me visurum esse Deum, idem qui sum, ac non alius, visurus sum mihi, & oculi mei adspecturi.*

II. Ad exemplum Davidis: Non dubitat David de fide suâ & remissione peccatorum, sed peccatorem se agnoscit mundandum. fiduciam remissionis alibi eloquitur, ut Psalm. 32. v. 5. & 103. v. 1. 2. 3. *Benedic anima mea Jehovah &c. qui condonat omnes iniquitates tuas, qui medetur omnibus morbis tuis.*

III. Ad exemplum Pauli: Loquitur Paulus de justitiâ inherente, per quam nulla caro justificatur. In specie verò verbis illis: *nihil mihi conscius sum* (sic enim barbarè loquitur vulgata versio) indigitat se bonâ fide in Apostolatus sui administratione versatum esse, nec operâ datâ quicquam omisisse, quod ad provinciam illam ritè obeundam pertineret: Interim subiicit se propterea non esse justificatum, nec causam habere coram Deo gloriandi, & merita sua jactandi, sed potius ex solâ Dei misericordiâ pendere. De imputatâ eum neutiquam dubitasse, arguit præter innumeros alios locus Rom. 8. v. 38. *mibi persuasum est, neq; mortem, neq; vitam, neq; Angelos, neq; principatus, neq; potestates, neq; instantia, neq; futura &c. posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu, Domino nostro.* Quantæ autem fiduciæ sunt verba Gal. 2. v. 20. *Unâ cum CHRISTO crucifixus sum: vivo autem non amplius ego, sed vivit in me CHRISTUS, & vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem filij Dei, qui dilexit me, & tradidit se ipsum pro me.* Sic 2. Timoth. 4. v. 7. 8. *Certamen illud præclarum decertavi, cursum consummavi, fidem servavi. Quod superest: reposita est mihi justitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, justus ille iudex. Non solum autem mihi, sed & omnibus, qui expectaverunt illustrem illum ipsius adventum: Alibi ait se per misericordiam Dei consecutum esse, ut fidelis esset.*

Excipit Bellarminus: 1. absurdam esse hanc nostram interpretationem: Verba enim, inquit, illa: nihil mihi sum conscius, vel significant, non agnosco in me ulla peccataq; reverâ inhaerentiâ: vel significant, video
pecca-

peccata mea per misericordiam Dei esse tecta, & ideo non existimo amplius mea. Primum si dicatur, falsum erit Apostolum non fuisse iustum coram Deo: qui enim non possit esse iustus ex interiori puritate, in quo peccatum non hæret; aut si verè peccata in illo inhærebant, falsò dixit, *nihil mihi sum conscius*. Si secundum, falsum erit illud: *in hoc non sum justificatus*: hæc enim ex nostrà sententiâ ipsissima est justificationis ratio. II. Esse contrarium scopo & proposito Apostoli: Cupiebat enim deterere Corinthios à iudicio temerario, & ideo ait: *nolite ante tempus iudicare; neq; me ipsum iudico, Qui me iudicat, Dominus est*. Ad hoc autem propositum nihil pertinet ratio, non justificor ex virtutibus aut qualitatibus meis, sed ex Dei misericordiâ; multum autem pertinet illa, ita incerta sunt humana iudicia, ut nemo possit ipse se, nedum alios iudicare, quod attinet ad iustitiam & peccata. III. Repugnare hanc interpretationem communi Patrum interpretationi, qui omnes ex hoc loco incertitudinem gratiæ colligunt.

R. Ad I. Insufficiens est Bellarmini enumeratio: genuinum enim verborum, *nihil mihi sum conscius*, de quo nos ante, sensum omittit, & à textu alienos excogitat; quorum prior Paulo repugnat, Rom. 7. à versu 9. usq; ad finem: posterior præsentis textui applicari nequit: Etiam si enim fideles norunt peccata sua per CHRISTUM sibi esse remissa & tecta, non tamen eorum memoriam protinus abijciunt, sed recordatione potius eorum coram Deo perpetuò se humiliant, & misericordiæ divinæ deprædicandæ occasionem inde sumunt.

Ad 2. Non est necessarium, ut omnia quæ dicuntur ad scopum dicentis primariò referantur: dicuntur enim multa, quasi in *παρενθέως*, quæ ad principalium membrorum *ἐκ θεοῦ* spectant, & sinistris interpretationibus viam præcludunt, qualis in hoc loco Paulino quoq; est sententia illa: *Sed non in hoc justificatus sum*, quæ à Paulo est adjecta, ne quis forsan ex priori sententiâ, *nullius mihi conscius sum*, colligeret, Paulum à peccato prorsus immunem se iudicare, & coram tribunali divino velle gloriari. Bellarmini expositio etsi ad scopum posset accommodari, à nobis tamen minimè admittitur, quia scripturæ est contraria: Regula igitur observetur: *non omnis verborum sensus ex auctoris est mente, quia ad scopum auctoris applicari potest*. Ad 3. A Patribus ijs in locis, quæ allegat ex hoc loco incertitudinem gratiæ colligi longè falsissimum est.

In

In nullo vel vocis gratiæ mentio fit, tantum abest, ut incertitudo gratiæ colligatur. Inspiciantur loca à Bellarmino citata.

Fuit altera approbatio è sanctorum exemplis petita: sequitur tertia, quæ è varijs Prophetarum & Apostolorum locis petitur: respondemus igitur.

Ad III. E primi generis testimonijs contra nos hunc in modum colligit. Nemo potest esse certus certitudine fidei sibi adesse bona illa, quæ requirunt allegata testimonia, fidem & pœnitentiam veram, qualis requiritur. Ergo de gratiâ vel remissione peccatorum nemo potest esse certus. R. Antecedens falsissimum est. Probat id, *Nallum*, inquit, *scripturæ testimonium invenitur de fide & pœnitentiâ nostrâ in particulari.* R. Neq; necessarium est, ut inveniat. Sufficit si fidei & veræ pœnitentiæ naturam in genere describat: nostrum est, ad ideam illam examinare fidem & pœnitentiam nostram, quod Spiritus sancti, qui fidem & pœnitentiam in nobis excitat, virtute facimus, nec in examine fallimur. Propositionem; *de quo nullum scripturæ testimonium invenitur, de eo nemo potest esse certus certitudine fidei*, fallam pronunciant Doctores nostri, si in consequente fides intelligatur, *quæ creditur*, quæ non in scripturâ, sed in cordibus electorum est à Spiritu sancto per scripturam excitata, quâ vivunt credentes, & sciunt se vivere Gal. 2, v. 20. Ita fidem Augustinus distinguit lib. 13. de Trinitate cap. 2. in fidem *quæ creditur*, & *quâ creditur*: per fidem, *quæ creditur*, articulos fidei intelligit, per fidem, *qua creditur*, ipsum fidei inhærentis habitum ejusq; actum secundum intelligit.

Ex secundi generis testimonijs ita colligitur: Ipsa scriptura remissionem peccatorum dubiam facit, expressis dubitandi formulis. Ergo de eâ nemo potest esse certus.

R. Ad antecedens: remissio peccatorum incerta intelligitur vel nostravel aliorum. De incertitudine remissionis nostræ scripturam loqui negamus: Videantur allegata loca & veritas assertionis nostræ apparebit. De remissione aliorum etsi benè sperare ex charitatis jube-mur lege, certitudine tamen fidei certi non possumus esse, quia corda aliorum scrutari & pœnitentiæ veritatem explicare non possumus, Unde dubitandi formulis utuntur Prophetæ, de ijs potissimum, quorum notoria improbitas & dubia pœnitentia seria. Observandum & hoc non-

nunquam per remissionem intelligi poenae temporalis aversionem, quam etsi non consequuntur fideles, ab aeternis tamen se immunes esse certò sciunt. In loco Danielis particula dubitandi non habetur, sed demonstrandi *Ecce*.

E tertij generis testimonijs hoc formari potest argumentum: Ubi metus esse debet & timor, ibi non potest esse certitudo. Atqui in sanctis metus esse debet & timor, uti testantur allegata testimonia. Ergo.

R. Propositio non est vera de timore filiali, de quo multa in praecedentibus. Videamus loca, quae in specie urget: Ex priori vitiosè concludit: nam nec is, qui fidei certitudine novit se justum esse sui commendandi, hoc est, jactandi & ostentandi causam habet, quia totus à Dei misericordiâ & gratuitâ justitiæ imputatione pendet. Probatus igitur is demum est, *quem Deus commendat*, hoc est, cujus fidelitatem & modestiam approbat, cui peccata propter CHRISTUM remittit, quem justum in CHRISTO pronunciat. Ex posteriori colligitur (modo verba illa *per bona opera*, in textum recipiantur, quae à plerisque graecis codicibus absunt) inter alia criteria, quibus vocatio & electio nostra alijs nota fit, & nosmet ipsi de eâ certi reddimur, esse bona opera, seu studium vitae novae, quod ex electione & vocatione internâ tanquam ex fonte perfidem fluit. Non igitur certitudo vocationis & electionis pendet primariò è bonis operibus, sed ad eam quoq; nobis confirmandam accedunt bona opera. Unde de tribus Bellarmini consecrarijs facile est judicare. *Primum* certe ex genuinâ loci hujus explicatione non sequitur. Cum enim fides naturâ sit prior bonis operibus, utiq; vocationis, electionis & justificationis nostrae arcanum prius nobis patefaciet fides, quâ justificamur, quam opera, quae fidem & justificationem consequuntur. *Secundum* sano sensu intellectum admitti potest, nempe inter criteria justificationis nostrae non esse solam fidem sed & opera: vel non fidem tantum, sed & operibus nos reddi certiores de justificatione. Aliud si Sophista heic quaerit, non invenit. *Tertium* ex dictis & datis minimè sequitur. Quis enim sequatur, justificationem non esse certam certitudine fidei, si ex fide tanquam causâ certâ & infallibili promanet? Ipsa verò illa certitudo, quae est ex operibus non est sine fide: operum enim tanquam fructuum suorum intuitu magis magisque reboratur fides, & CHRISTI justitiam cum promissione Evangelij tantò firmitus

firmius

firmius amplectitur. Perinde verò heic argutatur Bellarminus ac si è solis operibus certitudinem justificationis haberi vel scriptura diceret: vel nos affirmaremus: cum secundarias saltem in hac certificatione operum partes agnoscamus, quas à causis ipsius justificationis vel remissionis peccatorum prorsus cum scripturâ removemus; Sola enim fides est quæ justificat, & remissionem peccatorum impetrat: *Ei namq; qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua pro justitiâ.* Rom. 4. v. 5. Hactenus tertia approbatio è varijs Prophetarum & Apostolorum locis petita, sequitur quarta, quæ quatuor constat rationibus, ad quas ordine respondebimus.

Ad I. Assumptionem negamus. Propositio enim *me, te, hunc illum fidelem vere justificatum esse*, & immediatè in scripturâ continetur, & per legitimam consequentiam inde educi potest. Immediatè contineri probant illa scripturæ testimonia, *quæ me, te, hunc & illum fidelem, item nos vos* alloquuntur, & remissionem peccatorum ac salutem promittunt: Cujusmodi sunt Rom. 10. v. 9. Quod si confessus fueris ore tuo Dominum Jesum, & credideris in corde tuo, quod Deus eum excitavit à mortuis, servaberis. Quis neget heic Paulum affari *me, te, hunc, illum fidelem*? Ita singulos fideles Deus alloquitur Jesaiæ 43. v. 12. Ego ego ipse deleo defectiones tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Rom. 8. v. 31. & 32. Si Deus pro nobis, quis contra nos: is quidem qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, qui non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur? Gal. 1. v. 4. qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eximeret nos à præsentis seculo malo. Et cap. 2. v. 20. Unà cum CHRISTO crucifixus sum: vivo autem non amplius ego, sed vivit in me CHRISTUS, & vitam, quam nunc vivo in carne, vivo per fidem filij Dei: qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me. Et cap. 3. v. 13. CHRISTUS nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio. Similia passim occurrunt in scripturâ. Deinde educitur eadem propositio è scripturis per legitimam consequentiam. Quod enim omnibus certò promittitur fidelibus, id etiam singulis promittitur. Atqui in scripturis omnibus fidelibus promittitur remissio peccatorum & vita æterna: Ergo singulis quoq; Propositionis ratio est, quia sub omnibus continentur singuli: & eum in finem nominantur omnes, ut intelligantur singuli.

Nec enim ideas generales concernunt promissiones Evangelicæ, sed singularia individua hominum. Assumptio extra controversiam est, Expressè ponitur Act. 10. v. 43. notissimum illud Servatoris. *Qui credit in filium habet vitam æternam.* Syllogismus igitur practicus hic erit: Cujus propositio est ex fide, *qua creditur: Qui credit in Filium Dei, is habet remissionem peccatorum & vitam æternam.* Assumptio est ex fide, *quâ creditur: At ego credo in filium Dei, & scio me credere.* Unde conclusio *ex eadem fide, Ergo ego habeo remissionem peccatorum & vitam æternam: & per consequens de remissione quoq; sum certus: quod enim scio me habere, de eo sum certus.*

Bellarminus pro arbitrio suo aliter informat Syllogismum hunc practicum: & fidei loco ponit conversionem ac pœnitentiam, ne videatur ab errore velle discedere: ponit enim pœnitentiam & conversionem tanquam causas justificationis: fidei callidè nullam facit mentionem. Nostri igitur syllogismi Assumptionem oportet, neget, nisi manus dare voluerit: Dicat ergo: *nescire me an verè credam.* Impudens certè & prorsus diabolica audacia! Tu ergo *Bellarmino* & ipse nescies, an verè credas: quid igitur *Satanæ* in agone ad desperationem te sollicitanti respondebis? quo scuto igneas ipsius sagittas excuties? Si nescis te verè credere, & verè conversum imò Christianum esse nescies: Si Christianum te esse nescies, Dei an Diaboli sis filius, nescis: Cum hac ignorantia si exspiras, actum de salute tua! Ego verò scio me credere, & scit se verè credere, quicumq; verè credit: scit inquam, internâ visione fidei, scit ex testimonio Spiritus Sancti Rom. 8. v. 16. Scivit id olim *Augustinus* cujus verba lib. 13. de Trinitate cap. 1. hæc sunt: *Non sic videtur fides* (aliquot visionis modos in præcedentibus explicuit, quibus cum fidei visionem conferri debere negat) *in corde, in quo est, ab eo, cujus est, sed eam tenet scientiâ certissimâ clamatq; conscientiâ.* Cum itaq; propterea credere jubeamur, quia id, quod credere jubemur, videre non possumus, ipsam tamen fidem, quando inest in nobis, videmus in nobis: quia & rerum absentium presens est fides, & rerum, quæ foris sunt, intus est fides, & rerum, quæ non videntur, videtur fides. Hactenus *Augustinus.* *Fides,* inquit *Origenes* ad Rom. lib. 4. cap. 4. *dijudicat omnia, & in nullo sermone scandalizari potest.* Fidelis igitur & ipse dijudicat omnia, se igitur fidelem esse novit, nec ullius scientiam hanc impudenter negantis sermone

mone

mone scandalizatur. Addo si nemo scit vel scire potest se verè credere Cur Eunuchus Philippo dicenti, *Si credis ex toto corde, licet*, respondet *Credo filium Dei esse JESUM CHRISTUM?* Cur orantem dubitare prohibet Jacob cap. i. v. 6. 7.? Anne verò se credidisse ignoravit David, cum diceret Psalm. 116. v. 20. *Credidi cum hoc locuturus essem?* Forfan & Paulus erravit, cum diceret: *Scio cui crediderim, & mihi persuasum est eum posse depositum meum in illum servare diem.* 2. Timoth. i. v. 12. Quanta verò est insanix, diffidentix notitiam homini concedere, & veræ fiducix notitiam negare! Cumq; omnes habitus in animo constitutos homo noverit, solam fidem sibi adesse non noverit? Deniq; si Dei spiritus attestatur spiritui nostro, nos esse filios Dei, quidn̄ quoq; fidei nostræ attestetur, nos verè credere. Plura de his sequenti capite.

Sed elumbes & inconsequentes Bellarmini ratiunculas examine- mus: Respondemus ergo ad I. Loquitur Jeremias non de sui sed aliorum cognitione: Quod si verè ne renati quidem & fideles corda sua scrutari possent, cur Apostolus jaberet Corinthios *se ipsos explorare seu probare.* 1. Cor. ii. v. 28. Ad 2. falluntur quandoq; fideles non spiritualiter secundum verbi præscriptum credendo, sed carnaliter confidendo, quod Petro accidit. Infideles verò & nondum conversos falli minimè mirum est, sed ab illis ad verè fideles concludere ineptum est. Nec sequitur, quod heic attexit Bellarminus. In renatis latere potest peccati affectus, quem ignorant. Ergo absurdum quoq; videri non debet, si fidem & propriam conversionem ignorent. Magna heic exemplorum est dissimilitudo. Fides quotidie per vivos actus se exerit, quos Evangelio conformes esse è verbi divini meditatione & collatione non possunt ignorare. Occulti peccatorum affectus non ita manifestò se produnt, nec in actus quotidie erumpunt: aliàs certò non possent latere & ignorari ab ijs, quibus non ignota sunt præcepta legis. Ad 3. Non si hypocritæ & *ωρῶναροι* falluntur, ipsos quoque verè fideles falli sequitur, qui non cæco affectu aut opinione ducuntur, sed fide *ἀντιπροϋπὶτα* per charitatem *ἀντιπροϋπὶτον* efficaci, ad quam accedit Spiritus Sancti reificatio, quæ periculosè adeò fluctuare hominem fidelem non patitur. Hactenus ad rationem primam.

Ad II. Assumptionem negamus. Cum enim in symbolo, *Credo remissionem peccatorum*, mihi peccata esse remissa credo. Quod verò

Bellarminus ait sensum articuli credo remissionem peccatorum, tantum esse, *credo in Ecclesia dari baptismum in remissionem peccatorum*, longè falsissimum & absurdissimum est. Hoc enim & Diaboli credunt: quia non nisi historica hæc fides est, si desit, specialis applicatio. Quis verò dixerit in symboli recitatione & confessione, electum & fidelem Dei filium nil differre à Satanâ. De canonibus Ecclesiasticis solliciti non sumus, modò ipsum symbolum & scriptura nobis faveat. Instantiæ, quam subiicit, connexam negamus: approbatio nulla est: primum enim non omnis, qui falsum credit, hæreticus est: sic enim omnes Turcæ & pagani essent hæretici, quod nemo dixerit. Deinde etiam qui voluntariè peccavit, se justum esse potest credere, non quidem inchoatâ sed imputatâ justitiâ, modò peccatum serio deploret.

Ad III. Antecedens negamus: Augustini dictum, quo approbatur, non admittimus, nisi de carnali securitate. Allegata verba Gregorij in capite isto non reperiuntur. Adducit & Pharisei justitiam suam deprædicantis & publicanum contemnentis exemplum: quod ad rem non facit. Propriam enim ille jactabat justitiam, quæ nulla erat: ut ergo olim gloriatio illa displicebat Deo in Phariseis, sic hodiè nec in Pontificijs ei potest placere. Fiduciam divinæ misericordiæ in Publicano illa præ se ferunt verba: *Propitius esto mihi peccatori*, Unde justificatus præ Phariseo abiit.

Ad IV. Connexam negamus: Nec enim obstat, quo minus specialiter & extraordinariè nonnullis Deus revelet, quod alijs ordinariè patefacit: de causis non est, quod nos solliciti simus. Exempla, quibus Assumptio approbatur, admodum sunt dubia. Trepidatio Hilarionis non arguit diffidentiam de misericordiâ Dei, sed mortis horrorem omnibus hominibus naturalem. Ipse Dei filius tanquam homo mortem formidabat. Accedit, quod plurima, fidelium facta non ex fidei sed ex carnis principio proficiscantur: Deniq; hæreticos falli facilè patimur, orthodoxos falli negamus. Nec immatura aliorum judicia curamus. Judicibus autem nostris iniquis illud Apostolicum reponimus, Rom. 14. v. 4. *Quid tu iudicas servum alienum?* Hactenus Bellarmini machinæ disjectæ & conculcæ.

CAPUT XXXVI.

DEMONSTRATUR CERTITUDO PRÆDE-
STINATIONIS AD VITAM AETERNAM.

REjecta igitur ἐπιτομή academicā Pontificiorum, ad certitudinis de-
monstrationem jam pergamus. Inter nos & Lutheranos in confes-
so est, posse electos singulos de electione sui in hac vitā certos esse, nec non de-
bere eos certos esse. Primum igitur posse electos de electione sui certos
esse sequentibus argumentis demonstramus.

I. Cum quorum spiritu spiritus Dei unā testatur, quod Filij Dei sint,
ij de electione sui possunt esse certi. Atqui cum electorum spiritu Dei
spiritus unā testatur, quod sint Filij Dei. Ergo electi de electione sui
possunt esse certi. Propositio verissima est i. quia spiritus Dei omnia
Dei consilia & decreta novit. 1. Cor. 2. v. 10. *Spiritus omnia scrutatur
etiam profunditates Dei*: ii. quia spiritus Dei neminem fallit. Est enim
spiritus veritatis Joh. 16. v. 13. *Cum venerit ille spiritus veritatis, deducet
vos in omnem veritatem*. De electione vero certos posse esse, qui sciunt
se esse filios Dei, extra controversiam est. Nemo est electus, quin Dei
sit filius, & nemo Filius est gratioræ adoptionis, quin ab æterno sit ele-
ctus Ephes. 1. v. 5. *Qui prædestinavit nos, quos adoptaret in filios per Jesum
Christum*. Assumptio Pauli est Rom. 8. v. 16. *Ipse Spiritus testatur unā
cum spiritu nostro, nos esse filios Dei*. Quæ quæso possit esse evidentior
demonstratio? Negant Pontificij arcanum revelationis nostræ nobis pa-
tescere seu revelari à Deo. Nonne vero Paulum mendacij apertè arguunt?
Revelationes angelicas à nobis flagitant: At ipsius Sancti Spiritus reve-
lationem habemus, Similis est locus 1. Johan. 4. v. 13. *Per hoc cognosci-
mus, nos in eo habitare & ipsum in nobis, quod de Spiritu suo dedit nobis*.

Videamus quid Bellarminus heic excipiat: Ait i. duas esse loci
istius expositiones: uti sunt duæ lectiones: una est latini codicis, quæ
habet: *Spiritum Sanctum testimonium reddere spiritui nostro*: altera Græci
codicis, quæ habet, *Spiritum Sanctum simul testari cum spiritu nostro*
συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν. ii. secundum priorem lectionem re-
spondet Spiritum S. attestari spiritui nostro, quod sumus filij Dei, sed
hoc testimonium non esse per verbum aliquod exprellum, sed per expe-
rimentum cujusdam suavitatis & pacis internæ, quæ non gignit certitudinem.

dinem

*in*em nisi conjecturalem. III. secundum posteriorem lectionem respondet testimonium spiritus aliud nihil esse, nisi ipsam orationem, quâ dicimus, *Abba Pater*: Quam orationem ait esse testimonium Dei & nostrum: Nostrum quidem, quia nos sumus, qui dicimus *Abba Pater*: Dei, quia Deus est, qui movet nos ut dicamus *Abba Pater*. IV. Hoc ipsum, quod Spiritus Sanctus sit, qui nos movet, cum dicimus *Abba Pater*, non constare nobis ex fide divinâ, sed solum ex conjecturis, quæ fallaces esse possunt; ratio: quia multi ex Catholicis & hæreticis ajunt *Pater noster*, qui tamen non sunt ipse verè filij Dei. Judæis enim dicentibus Joh. 8. Nos unum patrem habemus Deum, respondet CHRISTUS: *vos ex Patre Diabolo estis*.

R. ad 1. Vulgatam lectionem non moramur: authenticus nobis textus græcus, ad quam reformari par est depravatam versionem latinam: In græco autem expressè adducitur geminum testimonium, unum *Spiritus Dei*, alterum *Spiritus nostri*. Non igitur nisi unica eaq; vera loci hujus expositio quærenda: Ad 2. si maximè latina lectio admittatur, falsum tamen & blasphemum est, quod ait Sophista, *testimonium Spiritus Sancti non gignere nisi certitudinem conjecturalem, quæ incerta & fallax est*: Quid enim hoc aliud est, nisi Spiritum Sanctum arguere mendacij & fallacitatis? Anne verò ejus qui veritatis est spiritus quenquam fallere possit testimonium? Sed demus & hoc Spiritus Sancti testimonium esse *sensum suavitatis & pacis internæ*: anne verò ideo conjecturalem tantum & fallacem in nobis certitudinem gignet? Quasi verò interna pax conscientiæ ejusq; sensus esse possit, sine certâ remissionis peccatorum fiduciâ & reconciliationis cum Deo? *Si cor nostrum nos non condemnat, fiduciam habemus apud Deum*, Joh. 3. v. 21. Viden' ut fiduciam Apostolus deriveret ex internæ pacis sensu & testimonio conscientiæ. Hæc si fallunt, scilicet nos Apostolus. Absit dicto blasphemia. Accedit quod interna conscientiæ pax non possit esse nisi à Spiritu S.; unde infallibile testimonium hoc merito æstimari debet. Ad 3. Concedamus sanè Spiritus S. testimonium ipsam esse illam orationem, quâ dicimus *Abba Pater*, Spiritus S. instinctu & motu à nobis pronunciatam: quid tum? Ad 4. Falsissimum est, è solis conjecturis fallacibus motum illum à nobis agnosci, non verò è fide divina infallibili. Novimus enim divina fide, non à carne nostrâ peccatrice, multo minus à spiritu maligno nos mo-

veri,

veri, ut cum fiducia clamemus *Abba Pater*: prudentia enim carnis est inimicitia adversus Deum Rom. 8. v. 7. Nemo potest Jesum appellare Dominum, nisi per Spiritum Sanctum 1. Cor. 12. v. 13. Caro & sanguis hoc non revelat, sed Pater cœlestis Matth: 16. v. 17. Consequens igitur est, à spiritu precum orationem hanc dictari: quem adoptionis spiritum appellat Paulus Rom. 8. v. 15. At, inquit, multi ex Catholicis quoq; & hæreticis ajunt Pater noster, qui tamen filij Dei non sunt: uti nec Judæi erant. R. Anne verò, quia & Satan impurus spiritus quandoq; in Angelum lucis se transformat, Sanctus Spiritus infallibile præsentis suæ indicium non potest facere electis fidelibus? Et quia hypocritæ falluntur, idcirco & ij, quos Spiritus Dei agit, fallunt? Noverint igitur Sophistæ aliud esse ore deblaterare *Pater noster*, sine cordis sensu & affectu, aliud per Spiritum Dei ex imis penetralibus cordis clamare *Abba Pater*. Valeat ergo misera Pontificiorum fides conjecturalis, quæ mens perpetuò hæsitat, & conscientia trepidat, quæ à desperatione parum differt, nec Spiritus Sancti motum à Satanæ motu distinguit.

II. Qui sciunt se habere vitam æternam, ij de electione ad vitam æternam possunt esse certi. Atqui credentes in CHRISTUM sciunt se habere vitam æternam. Ergo credentes in CHRISTUM de electione ad vitam æternam possunt esse certi. Propositio manifesta est; Nemo enim habet vitam æternam, nisi qui ab æterno ad eam est electus. Qui igitur novit se habere vitam æternam, is quoq; novit se ad eam ab æterno esse electum. Assumptio constat ex 1. Joh. 5. v. 13. *Hec scripsi vobis, Qui creditis in nomen filij Dei, ut sciatis vos vitam æternam habere.*

Excipit Bellarminus ad propositionem: credentes habere vitam æternam, sed in spe non in re: spe enim salvi facti sumus: ut autem re habeatur vita æterna, requiri perseverantiam in fide. Atqui de perseverantiâ, inquit, nemo potest esse certus.

R. *Bellarmini distinctio argumenti hujus* robur non enervat. Primum enim qui credunt, habent vitam æternam non spe tantum, sed & aliquo modo re, nempe quoad inchoationem. Hinc & *ἀρχαίως* nonnulli dicuntur gustare virtutes futuri seculi Heb. 6. v. 5. Deinde spes illa, quæ habetur vita æterna tam est certa, ut non pudefaciat Rom. 5. v. 5. Hinc & Augustinus lib. quæst. Vet. & Novi Testam. *Nunquam decipi potest, qui totâ mente sperat in Deum, licet ad tempus tribulationes orta fuerint per*

Y y

insidiis

infidias Satana. Deniq; de perseverantiâ nos posse certos esse supra prolixè demonstravimus: Imò vero si certi sunt credentes de vitâ æternâ, de perseverantiâ quoq; erunt certi.

III. Qui habent pignus æternæ hæreditatis, Spiritum Sanctum, ij de electione ad hanc hæreditatem possunt esse certi.

Atqui credentes habent pignus æternæ hæreditatis, Spiritum Sanctum. Ergo credentes possunt esse certi de electione ad hanc hæreditatem.

Propositio certissima est: pignus enim certitudinis ergò datur. nec negat id Bellarminus. Assumptio Pauli est. Ephes. I. v. 13. & 14. *In quo etiam, postquam credidistis obfirmati estis spiritu illo promissionis sancto, qui est arrhabo hæreditatis nostræ, donec in libertatem vindicemur ad laudem gloriæ ipsius.*

Excipit Bellarminus ad propositionem, certus est de electione ad vitam æternam, qui pignus habet hæreditatis inhabitantem Spiritum Sanctum. I. si certus sit certitudine fidei se Spiritum inhabitantem habere: At quis hoc modo certus esse potest? II. Si certus sit se pignus hoc nunquam amissurum. At de hoc nemo potest esse certus.

R. Conditiones istas duas non respuimus: At poni in fidelibus non posse à Bellarmino ineptè & impiè negari dicimus: Primam igitur inhabitationem Spiritus Sancti à credentibus non ignorari inde patet I. quia pro ejus inhabitatione tenentur Deo gratias agere; At pro eo gratias agere, quod datum sibi & quod accepisse se quis ignorat, nemo tenetur. II. quia pignoris loco propriè haberi nequit, quod habere te nescis, & quod certum te nequit reddere. III. Quia spiritus eum in finem datur, ut præsentiam suâ efficaci certos reddat credentes de promissionibus obtinendis. Quod igitur de inhabitante spiritu non possunt esse certi credentes, spiritus utiq; finem suum non assequitur. IV. De spiritu in Ephesijs habitante certus erat Paulus. Ergo multò magis ipsi Ephesij, qui melius se & sua noverant, quàm Paulus. V. Si spiritus Dei spiritui fidelium attestatur, ipsos esse Dei filios, certò testimonium hoc ipsos latere non minus potest, quàm hominis alicujus audientibus nobis testimonium probitatis aut fidelitatis perhibentis. VI. Expressè ait Apostolus I. Cor. 2. v. 12. *vos accepisse Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quod Deus est nobis gratificatus.* Sic ergo certissimus de inhabitatione Spi-

FILII

ritus Sancti. De perpetuâ quoq; ejus mansione non minus certi esse possumus & sumus, ut pluribus supra demonstravimus, & quidem ex hoc iplo quoq; loco: Si enim arrhabonem hæreditatis Spiritum Sanctum, habent fideles, dum in libertatem vindicentur, utiq; de perpetuâ ejus mansione certi esse possunt. At prius affirmat hoc loco Paulus. Sic & Petrus ait Epl. 1. cap. 1. vers. 5. *Virtute Dei nos custodiri per fidem ad salutem.*

IV. Quibus indicijs Paulus potuit esse certus de electione Thessalonicensium, ipsidem & ipsi Thessalonicenses potuerunt esse de eadem certi, præsertim à Paulo edocti. Atqui Paulus certus fuit de electione Thessalonicensium ex efficaciâ Evangelij apud Thessalonicenses, cujus illustra recenset specimina 1. Thess. 1. Primum enim receperunt sermonem *cum oppressione multâ cum gaudio Spiritus Sancti. v. 6. Deinde fuerunt exemplaria omnibus credentibus in Macedonia & in Achaia v. 7. Tertio fidem operibus adeo confecti, ut longè lateq; dimanarint. v. 8. Quarto relictis idolis ad Deum conversi sunt, ut servirent Deo vivo vers. 9. Quinto expectarunt filium Deum in cælis. v. 10. quæ omnia vers. 13. significantissimis verbis expressit: *Inde sinenter memoria repetentes efficacem vestram fidem & laboriosam charitatem & tolerantem spem in Domino nostro. v. 10. Hicce argumentis motus dixit vers. 5. se scire Thessalonicenses a Deo esse electos. Ergo.**

Excipit Bellarminus Apostolum loqui de scientiâ, non ex revelatione, sed ex signis, quia noverat se illis prædicasse cum adjunctione miraculorum & cum copriâ testimoniorum divinatorum quæ apta erant ad certam persuasione gignendam. Idem, inquit, etiam probat ex operibus Thessalonicensium, quia in tribulatione multâ cum gaudio verbum Dei receperant, itaq; n. hic ex eo loco colligitur nisi Apostolum optatam spem habuisse de electione Thessalonicensium ex multis signis.

R. 1. Malè opponuntur scientia ex revelatione & scientia ex signis, cum per signa quoq; fiat revelatio & certificatio. II. Si prædicatio Apostoli ita erat comparata, ut apta esset ad certam electionis persuasione gignendam, quod Bellarminus concedet, ecquid dubitemus an de electione certi potuerint esse Thessalonicenses? Quidni igitur & nos de eâ certi possumus esse, cum prædicatio Evangelij etiam hodiè non minoris sit efficaciam. III. Signa illa electionis, quæ in Thessalonicensibus apparebant, erant infallibilia, Apostolo docente, infallibilem igitur

certitudinem genuerunt & etiamnum gignunt. IV. Præposterè Bellarminus scientiam Pauli interpretatur spem: Primum enim non sperare sed scire se ait Thessalonicenses esse electos: Deinde adeo se certum esse ostendit de electione Thessalonicensium, ut etiam Deo gratias agat. vers. 2.

V. Si indissolubili nexu conjunguntur prædestinatio, vocatio interna, justificatio glorificatio, sequitur è posterioribus electos posse certos esse de priori, nempe è vocatione internâ & justificatione, quæ fit per fidem, de prædestinatione. At verum prius Rom. 8, vers. 30. Ergo & posterius.

Excipit Bellarminus, argumentum hoc fore solidissimum si omnes vocati essent electi. *At multi sunt vocati, pauci electi.* Matth. 22. Addit, Apostolum non loqui de omnibus vocatis, sed de vocatis secundum propositum, nec de omnibus justificatis, sed de justificatis secundum propositum: Qui verò secundum propositum sunt vocati & justificati, neminem scire posse ait: *quia nemo novit mentem Domini.*

R. I. Omnes vocati, de quibus in præsentì loco loquitur Apostolus, sunt electi, vel ipso Bellarmino teste, ait enim Apostolum loqui de vocatis secundum propositum, quæ interna est vocatio cum prædestinatione, vinculo indissolubili conjuncta. Manet igitur argumentum solidissimum. II. Nulli sunt justificati nisi secundum propositum justificati. III. vocationem secundum propositum à nemine posse sciri, falsissimum est. Fit enim vocatio illa per internam mentis illuminationem, & voluntatis ad Deum conversionem, quam utramq; includit fides, quæ non à nescijs, sed à scientibus habetur: ut capite præcedenti probavimus, & pluribus deinceps probabimus. *At nemo inquit, mentem Domini novit*
R. Nemo novit eam à priori, attamen novimus eam à posteriori per internum Spiritus Sancti testimonium, & effecta infallibilia.

VI. Qui debent gaudere, quod nomina sua scripta sint in coelis, ij de descriptione nominum, hoc est, electione, possunt esse certi. Atqui omnes credentes debent gaudere, quod nomina sua scripta sint in cælo. Ergo.

Propositionis ratio est, quia nemo tenetur gaudere de ignotâ vel incertâ. Assumptio est Luc. 10. v. 20. *gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cælis.* At inquit aliquis, ad solos Apostolos illa dicuntur. R. Alloquitur quidem CHRISTUS Apostolos, sed nullo alio respectu, quàm quod

quod in CHRISTUM crediderint, quam confessionem omnium nomine Petrus ediderat præcedenti cap. 9. v. 20. Nec enim Apostolatus per se certum inscriptionis hujus erat indicium: aliàs & Judas fuisset inscriptus. Alloquium igitur CHRISTI speciale quidem est, at ratio generalis, quæ omnes concernit, qui fide sunt præditi apostolicâ.

VII. Si fideles non possunt esse certi de electione sui ad vitam æternam, Deum quàm ardentissimè amare, & pro insigni hoc beneficio gratias ei debitas non possunt agere. At consequens absurdum. Ergo & antecedens.

Propositio manifesta est, quia ardens amor nascitur ex certâ benevolentia alterius persuasionem; Unde Diaboli Deum amare nequeunt, quia de ejus benevolentia nihil sibi persuadere possunt: nec potest vel tenetur pro beneficio gratias agere, qui de eo sibi collato certus esse nequit. Consequentis, quod assumitur, absurditatem & falsitatem demonstrat contraria sanctorum praxis.

VIII. Electi possunt esse certi de gratiâ, hoc est, verâ fide & remissione peccatorum, quæ effecta seu consequentia sunt electionis necessaria & inseparabilia. Ergo de electione quoq; possunt esse certi. Vel hoc modo: Qui sciunt se verè & perseveranter in Dei filium credere, & sibi remissa esse peccata, ij de electione sui possunt esse certi. At credentes sciunt se verè & perseveranter credere in Dei filium, & sibi remissa esse peccata. Ergo credentes de electione sui possunt esse certi.

Propositionis ratio est: qui credit in filium, habet vitam æternam: Qui verò scit se habere vitam æternam, is quoq; scit se electum esse ad vitam æternam: nulli enim ea obtingit nisi per electionem.

Assumptionem negat Bellarminus, ut præcedenti capite vidimus: Ad ejus igitur demonstrationem jam accedamus. Duo autem incumbunt nobis probanda: *unum credentes scire se verè credere; alterum credentes scire se perseveranter credituros.* Prius sequentibus argumentis demonstramus, quæ è multis selectiora sunt: 1. Qui cognoscunt è dilectione mutuâ se genuinos Christi discipulos esse, ij etiam cognoscunt se verè credere. Atqui fideles è dilectione mutuâ cognoscunt se genuinos CHRISTI discipulos esse, Ergo etiam cognoscunt se verè credere.

Propositionis ratio est: quia genuinus CHRISTI discipulus nemo est, nisi qui verè in CHRISTUM credit. Assumptio hoc prosyllogismo

approbatur: Si ex dilectione matua genuini CHRISTI discipuli alijs innotescunt, utiq; multo magis & certius sibi innotescunt. At verum illud, Ergo & hoc, Assumptio probatur ex Johan. 13. v. 35. *Ex hoc omnes cognoscent vos esse discipulos meos, si charita em habueritis, alij in alios.*

Excipit Bellarminus I. Ex hoc loco planè nihil concludi, nisi quis velit, non solum nos ipsos, sed etiam omnes alios certò cognoscere nostram gratiam, quod absurdum est. II Sententiam CHRISTI esse discipulos CHRISTI non posse clariori signo, quam dilectionis ab alijs innotesci: Hæc autem signa non efficere certitudinem fidei, sed humanam tantum & conjecturalem, neminem enim sine revelatione posse cognoscere, an verè diligat Deum & proximum, uti oportet, quia cupiditas se sæpe venditat pro charitate.

R. Ad I. Rectè ex hoc loco sententiam nostram confirmamus: nec tamen inde sequitur, quod Bellarminus vult: Colligimus enim ex minori: Si ex charitate alij agnoscunt, nos esse genuinos CHRISTI discipulos: multò magis nos, qui corda nostra novimus, & de charitatis nostræ sinceritate rectius iudicium ferre possumus: Alij enim externa tantum cognoscunt effecta, de internâ causâ non nisi ex conjecturâ & canone charitatis iudicant: nos verò internam etiam causam in corde nostro latentem cognoscimus, & visionis internæ certitudine novimus. Ad 2. Signa ista certitudinem tantum conjecturalem apud alios efficere non negamus: In nobis verò majorem certitudinem non efficere negamus & negabimus, donec probaverint Pontificij, *adeo brutos esse fideles, ut de operum & sanctitatis sue propria sinceritate per internam visionem & proprium corda testimonium certius ferre iudicium nequeant, quam alij.* Unde & falsissimum pronunciamus, quod attexit, neminem posse cognoscere sine revelatione, an verè Deum & proximum diligat, Etiam si verò cupiditas pro charitate se venditans alijs imponit, nobis tamen, qui actionis nostræ principium novimus, quos non fallit conscientia, haud imponit: ut pluribus deinceps probabimus.

II. Qui cognoscunt Spiritum Sanctum, ij etiam cognoscunt gratiam Spiritus Sancti donatam sibi. Atqui fideles cognoscunt Spiritum Sanctum. Ergo & gratiam Spiritus Sancti donatam sibi cognoscunt.

Propositionis ratio est: quia ex cognitione causæ pendet certissima effectus cognitio. Assumptio Christi est Joh. 14. v. 17. *Vos autem cognoscitis*

SHM

am, quia apud vos manet: Ubi ratio hujus cognitionis allegatur, in habitatio seu mansio in fidelibus, quâ indigitatur, non habitare spiritum in cordibus credentium, quin ab ijs cognoscatur. Ex eodem versiculo & hunc in modum licet colligere: Qui recipiunt Spiritum Sanctum, ijeum norunt & proinde effecta ejus propria, sine quibus non noleitur. Credentes Spiritum Sanctum recipiunt. Ergo eum norunt, & ejus quoque effecta propria. Qui verò norunt, non possunt ignorare se nosse: Propositio ex contrariorum naturâ perspicua est: ijenim non possunt recipere Spiritum Sanctum, qui eum norunt. Ergo omnes norunt eum, qui recipiunt.

Excipit Bellarminus. Ex hoc testimonio non haberi nos certos esse de nostrâ justitiâ & gratiâ, sed solum, si cognoscimus Deum per fidem, certos esse, id non fieri sine spiritus auxilio.

R. Per legitimam quidem consequentiam ex præsentî loco educi potest, quod Bellarminus vult, sed non hoc tantum, verùm id quoque, & imprimis quod nos volumus. Nec enim cognitionem adducit CHRISTUS tanquam causam mansionis, sed mansionem tanquam causam cognitionis: Sic enim verba habent: *Cognoscitis eum, quia manet apud vos; non contra: manebit apud vos, quia eum cognoscitis.* Quod si ergo ex mansione spiritus in nobis promittitur nobis cognitio spiritus, utique & cognitio gratiæ, sine quâ cognosci spiritus nequit.

III. Qui per Spiritum Dei sciunt, quæ Deus sit gratificatus sibi, ij de gratiâ Dei, hoc est, fide, remissione peccatorum & reconciliatione sunt certi. Atqui fideles per Spiritum Dei sciunt, quæ Deus sit gratificatus sibi. Ergo.

Assumptio Apostoli est 1. Cor. 2. v. 12. *Nos verò non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui est ex Deo, ut sciamus, quæ Deus est nobis gratificatus.* Huic loco affinis est alius 1. Johan. 4. v. 13. *per hoc novimus ipsum in nobis habitare, ex spiritu quem dedit nobis.*

Excipit Bellarminus, non loqui Apostolum de notitiâ beneficiorum Dei, quæ in particulari ad hunc aut illum pertinent, sed de notitiâ beneficiorum, quæ Deus præparavit electis suis, qualia sunt hæreditas & gloria regni cælorum.

R. Loquitur Apostolus de Spiritus Sancti effectu in fidelibus, quem ait esse certificationem de ijs, quæ Deus ipsis est gratificatus: Certos
igitur

igitur nos reddit Spiritus Sanctus de fide, de remissione peccatorum, de vitâ eternâ, hæc enim sunt, quæ Deus nobis est gratificatus in CHRISTO. Non autem in genere loquitur Paulus sed in specie *de se & suis similibus, ut sciamus, inquit, nos, quæ Deus nobis est gratificatus.* Quod si verò maximè in genere loqui Apostolum concedamus, nempe fideles per Spiritum Sanctum scire, quæ Deus ipsis est gratificatus. Nonne omnes fideles rectè poterunt inferre: Ergo & ego per Spiritum Sanctum scio, quæ Deus mihi sit gratificatus, & proinde de gratiâ meâ sum certus. Si generalis tantum à Paulo certificatio indigaretur, quam applicare sibi singula credentium individua non possent, nossentq; saltem, gratiam electis in genere collatam, non autem sibi quoq; in specie, nil certè Paulus sibi & omnibus fidelibus amplius tribueret, quam quod ne Diabolis quidem negatum est: Nam & hi sciunt, quæ beneficia Deus præparavit electis suis, & quidem melius sciunt, quàm electorum plurimi.

IV. Quos Apostolus jubet conscientiam suam excutere, & explorare, fidem, vitam ac *ωραίσειν* suam obediendi Deo, ut dignè panem Dominicum accipiant, ij hoc possunt præstare: frustra enim aliàs examen hoc & exploratio præciperetur.

Atqui fideles jubet Apostolus conscientiam suam excutere, & explorare fidem ac *ωραίσειν* obediendi Deo, ut digne accipiant panem Dominicum. Ergo. Assumptio probatur 1. Cor. 1. v. 28. *Probet quis se ipsum, ita de pane illo edat, & de poculo &c.*

Excipit Bellarminus: Hanc discussionem non exigere certitudinem fidei, sed qualem possumus ex conscientia nostræ examinatione consequi, quam conjecturalem tantum esse statuit.

R. Testimonium, quod conscientia Spiritu S. illuminata cuiq; perhibet, longè certissimum est: Est enim conscientia mille testes. Hinc Paulus 2. Cor. 1. v. 12. *gloriatio nostra hæc est, testimonium videlicet conscientia nostræ:* & Nazianzeno appellatur *domesticum & verum tribunal:* *Si cor nostrum nos non condemnat, καὶ ῥησίαν habemus apud Deum, hoc est, liberum accessum, vel fiduciam intrepidam.* 1. Joh. 3. vers. 21. Quod si communicantes verè & certò non possent se explorare, Dominicæ coenæ usurpatio fidè Potius affligeret, quàm erigeret. Cum n. judiciū sibi edant & bibant, qui indigne edunt, & bibunt certò judicium non posset non homo

homo

homo formidare, si de vera sui examine certus esse non posset. *Atque*
Dominica coena in hunc quoque finem usurpatur, ut iudicij formido ex-
cutiatur.

Similis huic est locus 2. Cor. 13. v. 5. *Vos ipsos tentate, annon sitis in fide, vos ipsos probate: annon cognoscitis vosmet ipsos Jesum Christum in vobis esse? nisi reprobi estis.* Unde sic arguimus:

Qui ipsi se debent tentare & probare, an sint in fide, qui debent cognoscere, an CHRISTUM in se habeant, ijs certè hæc factu non sunt impossibilia. Paulus enim fidelibus impossibilia non imperavit. Atqui Corinthij seipsos debent tentare &c. Ergo: Syllogismus hic priori similis est.

Sed alius ex hoc ipso loco non minus efficax hunc in modum informatur.

Si reprobi sunt, qui se ipsos explorare non possunt, an sint in fide & an CHRISTUM in se habeant, utiq; electis facultas hæc minimè deneganda est: sequeretur enim electos esse reprobos. At verum prius & planum ex Apostoli verbis. Ergo & posterius.

Videant igitur Pontificij, quo pacto è reproborum numero se eximant.

Excipit Bellarminus, Apostolum loqui de præsentia CHRISTI apud Corinthios, non secundum gratiam gratum facientem, sed secundum potentiam, providentiam, & miracula, quæ apud illos faciebat.

R. I. Expressè loquitur Apostolus de fide: non igitur de præsentia tantum generali providentiæ, vel speciali per miracula externa. II. Præsentia CHRISTI ab Apostolo intelligitur, per quam efficax fuit in Corinthijs convertendis ad fidem, ut contextus docet, loquitur igitur de præsentia secundum gratiam specialem, quam gratum facientem Sophista nominat, III. De eâ loquitur præsentia CHRISTI, de quâ judicare nequeunt reprobi. At reprobi de præsentia secundum providentiam & miracula in sensu incurrentia possunt judicare. Vana igitur est Bellarmini cavillatio.

V. Qui in Christo habent aditum & libertatem cum fiducia per fidem CHRISTI, ij certi sunt de gratiâ, hoc est, fide & remissione peccatorum. Atqui fideles in CHRISTO habent aditum & libertatem cum fiducia per fidem CHRISTI, Eph. 3. v. 12, Ergo.

Propositionis ratio est, quia sine certitudine fidei & remissionis peccatorum nemo ad Deum liberè & cum fiducia accedit. *Justificati enim ex fide pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. Per quem etiam fide habemus aditum in gratiam.* Rom. 5. v. 12.

Agnoscat Bellarminus Paulum in hoc loco loqui de certitudine summâ: sed negat eam esse de justitiâ nostrâ sed de veritate mysteriorum fidei. Nimirum, inquit, quia certissimi sumus, ex fide catholicâ, Christum pro nobis natum, passum & mortuum esse, eundem resurrexisse, ascendisse in cœlum, & nunc ad stare vultui Dei pro nobis, inde nos tanto intercessore freti audemus confidenter accedere ad thronum gratiæ & sperare à Deo indulgentiam, justificationem, sanctificationem &c. R. 1. Manus hîc dat Sophista, & turpiter sibi contradicit. Nam si certissimi sumus per fidem Christum pro nobis natum, passum, mortuum &c. ad stare vultui Dei pro nobis intercedendo, utiq; de justitiâ nostrâ non possumus non esse certissimi. Prius concedit Bellarminus; Posterius igitur necessarîo quoq; concedendum.

Connexi ratio est: quia justi sunt, qui credunt pro se Christum esse mortuum, & meriti sui efficaciam intercedere apud Patrem: proxima enim hæc justificationis causa est. *Qui credit in filium, inquit Christus, habet vitam æternam: & proinde justus est, quia vita æterna non obtinet nisi justificato.* Concedit Bellarminus causam, negat effectum. *ἀτόπως καὶ ἀλόγως.* Ergo hac Bellarmini concessione & hunc in modum arguimus:

Si per fidem certissimi sumus, CHRISTUM pro nobis esse mortuum, & pro nobis apud Patrem intercedere: utiq; de fide nostrâ non est, quod ullo modo dubitemus: quia maxima certitudo cum dubitatione non consistit. At verum prius ex Bellarmini concessione. Ergo & posterius.

Item.

Si per fidem certissimi sumus CHRISTUM pro nobis intercedere, utiq; de vitâ etiam æternâ obtinendâ sumus certissimi. At verum prius ex concessione Bellarmini. Ergo & posterius.

Connexi ratio: quia certi sumus fide catholicâ Christum à Patre semper exaudiri. Si igitur pro salute nostrâ intercedere ipsum certò movimus, utiq; de salute etiam nostrâ certissimi sumus.

Item.

Item,

Qui Christo intercessore freti audent confidenter accedere ad thronum gratiæ, ij de fide & justificatione sui sunt certi. Atqui fideles Christo intercessore freti audent confidenter accedere ad thronum gratiæ quod concedit Bellarminus. Ergo.

Propositionis ratio est: quia confidenter ad thronum Dei nemo audeat accedere, qui de gratuitâ sui propter Christum acceptatione, justificatione & reconciliatione dubitat. *Fide enim justificati pacem habemus apud Deum, fide habemus aditum in gratiam.* Rom. 5. v. 1. 2. Ubi igitur fides & justificatio non est, ibi pax nulla est: ubi pax nulla, ibi liber ad Deum & confidens accessus non est.

II. Falsum est, quod Bellarminus heic fingit, nos post certitudinem fidei & accessum ad thronum gratiæ, sperare demum justificationem. Ante justificationis enim certitudinem liber ad Deum accessus non est.

VI. Qui sciunt ex dilectione fratrum, se translatos esse de morte ad vitam, qui cognoscunt ex spiritu, quem acceperunt, se esse in Christo & Christum in ipsis: ij de propriâ gratiâ sunt certi. Atqui fideles nos ex dilectione fratrum scimus nos de morte ad vitam esse translatos, Johan. 1. v. 14. Cognoscimus ex spiritu, quem accepimus, nos esse in Christo & Christum nobis. Ergo.

Excipit Bellarminus i. Voces illas, *scimus, cognoscimus* non necessario includere certitudinem fidei divinæ, quia dicimur & scire & cognoscere ea, quæ ex signis & conjecturis colligimus. ii. Johannis sententias esse generales, non particulares, & significare eos esse translatos in vitam, qui diligunt fratres, eos in Deo manere, qui habent in se spiritum Dei. iii. Loqui Johannem in primâ personâ, quia bonâ spe confidebat se unum ex illis esse, qui diligunt fratres, & qui habent spiritum Dei.

R. Ad i. Scientiam & cognitionem quandoque è signis peti non negamus, At ex signis meris haberi conjecturas quis Sophistæ concesserit? Sunt enim necessaria quædam signa, quæ omnem excutiunt dubitationem, cujusmodi signum quoq; statuitur fratrum dilectio *ἀγαπῶντες* & ex Dei dilectione profecta: quæ fructus est spiritus. Quis enim credat Apostolum loqui de dilectione, quæ reprobis & hypocritis communis esse queat, cum electis & fidelibus Dei filijs. Deinde non deducit Apo-

Z z 2

Solus

Stolus scientiam & cognitionem saltem ex signis, sed ex causâ quoque nempe Spiritu Dei, qui nec falli nec fallere potest. 2. verba Johannis fiducia loquuntur, quâ sibi & suis auditoribus certitudinem translationis in vitam, nec non scientiam & cognitionem Christi inhabitantis tribuit. *Scimus*, inquit, *nos translatos esse de morte in vitam: cognovimus nos in Christo manere, & Christum in nobis*. Non admittimus igitur Bellarmini glossam, quâ fides electorum Dei filiorum & Diabolorum non distinguitur. Nam & Diaboli norunt, eos esse translatos in vitam, qui fratres diligunt: Item eos in Deo manere, qui habent in se Spiritum Dei. Ad 3. Non sine maxima injuria denegat Johanni salutis & inhabitantis Spiritus certitudinem, & pro eâ spem saltem reponit, quæ apud ipsum est conjectura fallax. Contrariû certè evincit multis in locis prima Epistola VII. Si fides electorum est *πληροφορία*, hoc est, *plenissima certitudo ἐλέγχῳ* id est *convictio rerû, qua non videnter, & ὑπόστασις subsistentia rerum speratarum, παρρησία fiducia seu libertas in compellendo Deo; contra-ria hæsitationi*: utique de remissione peccatorum, reconciliatione & vita æterna nullo modo est dubitandû: At fides est *πληροφορία* Heb. 10. v. 22. *ὑπόστασις & ἐλέγχῳ* Heb. 11. v. 1. *παρρησία* Eph. 3. v. 12. Contraria hæsitationi Jacob. 1. v. 6. Ergo:

Connexi ratio est, quia dubitatio seu conjecturalis hæsitatio cum proprietatibus istis pugnat.

Addi huic potest similis ratio à natura spei: quæ appellatur *tuta & firma anima anchora* Heb. 6. v. 19. Omnis heic dubitatio velut fulmine quodam prosternitur.

Agnoscit Bellarminus 1. fidem esse certissimam, sed negat remissionem peccatorum seu justificationem uniuscujusq; ad eam pertinere. 2. Spem esse quidem certissimam ex parte voluntatis, item ex parte objecti, sed ratione propriæ in dispositionis conjunctam esse cum formidine.

R. Ad 1. Fidem esse certissimam accipimus, & inde remissionem quoque peccatorum certissimam colligimus. Ad fidem autem peccatorum ejusq; remissionem non pertinere, falsissimum esse dicimus: Cur enim in symbolo credimus remissionem peccatorum? Cur promissiones de remissione peccatorum in scripturâ sunt frequentissimæ? Illustres sunt loci

loci act. 10. v. 43. & 13. v. 39. Sed parata hinc est Bellarmino responsio: In symbolo nos non credere nobis remissa esse peccata, sed *remissionem peccatorum esse in Ecclesia*: sic scripturam, non mihi, tibi vel illi remissionem peccatorum promittere, sed fidelibus in genere.

R. — Tota fidei justificantis natura hoc modo evertitur. Nam si vera est Bellarmini glossa, una & eadem est Filiorum Dei & Diabolorum fides. Nam & Diaboli hoc modo credunt, & de remissione peccatorum in Ecclesia sunt certissimi: Poterant autem vel sola fidei nomina *purpuratum hunc Sophistam* ejusque fratres edocere, ad fidem, quam ab electis scriptura requirit, unde & electorum fidem appellat, non sufficere assensum quendam generalem, qui in reprobos quoque & Diabolos cadit. Quis enim Diabolorum fidem appellet *παρησιαν*, cum credendo contremiscant? quis *πληροφροειαν*, cum credendo desperent? Quis *ελεγχον* & *υποσεισιν*, cum sibi promissiones gratiae non applicent? Quid verò aliud agunt Pontificij, quam ut Deum mendacem faciant, non credendo testimonio, quod testificatus est Deus de filio suo? *Est autem id hoc testimonium, quod vitam aeternam dedit nobis Deus* 1. Joh. 5. v. 10. 11. Cum enim credo nobis vitam aeternam à Deo datam esse, utique me intelligo & mei similes. At nullus Pontificius credit sibi esse remissa peccata, sibi datam esse vitam aeternam. hæc enim à fidei objectis excludunt: Mendacem igitur Deum omnes faciunt. Ad 2. Cavillatio de certitudine spei inanis prorsus est. Spes enim nostra non nititur propria dispositione (sic enim non posset non fluctuare & in desperationem degenerare, tantum abest, ut tuta & prima animæ anchora appellari possit) sed infallibili promissionis divinæ, quam jurejurando Deus confirmavit, certitudine, qua omnem propriæ indispositionis considerationem removeret, & à misericordia & veritate Dei tota pendet, ut Apostolus in allegato loco docet.

VIII. Si de propria gratia nemo posset esse certus, inanis esset sacramentorum usus. At consequens fallum: Ergo & antecedens. Connexio ratio est: quia hic est finis sacramentorum, ut per symbola externa & visibilia gratiam internam & invisibilem nobis obsignent: Unde Apostolus ait Rom. 4. v. 11. *Abrahamum accepisse signum circumcisionu, quod obsignaret justitiam fidei, que erat in preputio.* Sic de cœnâ Domini 1. Cor. 11. v. 24. *Accipite, edite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur,*

Z. 2 3

hæc

hoc facite ad mei recordationem. Si ergo externa panis & vini symbola accepta certos nos non possunt facere de remissione peccatorum, quæ per CHRISTI martem nobis obtingit, finem utiq; suum non assequuntur. Inania igitur & ludicra sunt signa.

Excipit Bellarminus I. falso assumi ab hæreticis, quod Sacramenta præcipuè sint instituta ad fidem sustentandam, & nos certos de Dei voluntate reddendos, rationem subiicit, qui alias frustra baptizarentur infantes & amentes, qui ejusmodi effectus capaces non sunt. II. potissimam causam institutionis sacramentorum esse, ut sint instrumenta justificationis efficiendæ. III. Sacramenta esse quoq; signa justificationis, & quidem infallibilia ex parte suâ, sed non ex parte suscipientis, in quo possit impediri effectus propter indispositionem.

R. Ad I. Concedit ergo Sophista Sacramenta esse instituta ad sustentandam fidem & nos certos reddendos de Dei erga nos voluntate, verum non primariò sed secundario. Unde nihilominus sequitur, quod volumus, nempe sacramentale fore signa inania & fallacia, nisi fidem nostram confirmet, & de remissione peccatorum certos nos reddant. Exemplum infantium & amentium non minus urget Bellarminum, quam nos, cum concesserit hunc secundarium esse sacramentorum finem, ut fidem sustentent, & de voluntate Dei nos certos reddant, monstret igitur ipse, qui fieri hoc possit in infantibus & amentibus. Nobis parata est responsio I. *Infantes* fide prorsus destituti non sunt: Ut enim per naturam sunt capaces peccati habitualis, quod in inclinatione consistit, sic & per gratiam fidei habitualis quæ itidem in inclinatione potest consistere. Quo pacto igitur capaces sunt fidei, eodem & ob signationis fidei. II. baptismi usus non infantia tantum spacijs circumscribitur, sed ad totam vitam extenditur: adultis igitur actualem ob signat fidem, non secus atq; olim circumcisio. III. *Amentes* ad baptismum non admittende bent, priusquam restituantur & convertatur. Quod autem de secundario sine garrat Sophista, ad primarium merito nos referimus cum scripturâ, quam ante alegavimus. Ad. 2. Falsum est sacramenta esse instrumenta justificationis efficiendæ, præsertim ex sensu Pontificio. Circumcisio non justificavit Abrahamum, sed ob signabat fidei justitiam, quam in præputio jam habuerat Rom. 4. vers. II. Si sunt instrumenta justificationis; ergo & justificatione nos certos reddunt: præsertim cum opere

operis operato hanc vim tribuant Pontificij. Ad. 3. Certitudo justificationis non pendet ex dispositione hominis, seu inhærente justitiæ, sed ex promissione de justitiâ CHRISTI gratis imputandâ omni credenti. Hujus justitiæ infallibilia signa credentibus sunt sacramenta in se, & ex parte promissionis per fidem acceptæ. Hactenus octo rationibus demonstravimus, credentes scire se verè credere. Plures videantur in capite precedenti, in responsione ad rationem Bellarmi primam. Alterum, nempe credentes scire se perseveranter credere, ita nimirum ut totalem aut finalem fidei jacturam nunquam sint facturi, prolixè supra demonstravimus. Et sic octavi nostri argumenti assumptio octo pro Syllogismis approbata. Obtinuimus igitur contra Pontificios, Electos posse esse certos de electione sui.

Reliquum jam est, ut demonstremus quoq; , Electos debere esse certos de sui electione: Quod quidem è priori sponte sequitur. Nam si ea data est electis gratia, qua possunt esse certi de electione sui, utiq; ad id sunt obligati, ut sint certi: quando cum in finem concessa ipsis est gratia, ut sint certi. Idem & hoc modo probamus. Qui tenentur credere peccata sibi propter CHRISTUM esse remissa, & se æternæ vitæ hæredes futuros, ij quoq; tenentur credere se ad vitam æternam esse electos. Atqui omnes & singuli electi tenentur credere peccata sibi propter Christum esse remissa, & se æternæ vitæ hæredes futuros. Ergo omnes & singuli electi tenentur credere, se ad vitam æternam esse electos.

Propositionis ratio est, quia electio & remissio peccatorum facta propter Christum nec non hæreditas æternæ vitæ indivisibili nexu sunt conjunctæ: Assumptio hanc in modum probatur. Si electis non remittuntur peccata, nec æternæ vitæ hæreditas conceditur, nisi credant sibi propter Christum remissa esse peccata, & vitæ æternæ hæreditatem se adituros, sequitur omnes electos debere credere sibi remissa esse peccata & vitæ æternæ hæreditatem se adituros. At verum prius. Ergo & posterius. Assumptionem negant Pontificij, ajuntq; ad id tantum obligatos esse electos, ut credant remissionem peccatorum esse in Ecclesiâ, nec non vitæ æternæ participes futuros electos. Sed contraria est scripturæ hæc glossa, & absurda.

Contraria scripturæ I. quia jubet nos scripture credere testimonio, quod de Filio suo Deus est testificatus: Est autem hoc testimonium

quod

quod vitam æternam dederit nobis Deus. Huic testimonio qui non credit mendacem facit Deum, Joh. 3. v. 10. 11. Ubi probè observandum 1. testimonium Dei esse non generale tantum, quod vitam æternam dederit Deus aliquibus, quibus dare ab æterno decrevit, sed speciale in primis, *quod Deus nobis vitam dederit.* 2. Deum mendacem facere non eos tantum, qui non credunt aliquibus vitam æternam esse datam, sed & qui sibi esse datam non credunt. Sic enim expressa habent Johannis verba: *Qui credit in filium Dei, habet testimonium in seipso, qui non credit Deo, mendacem eum fecit, quia non credidit testimonio, quod testificatus est Deus de Filio suo. Est autem hoc testimonium, quod vitam æternam dedit nobis Deus* II. quia quodcumq; secundum regulam divinæ voluntatis petimus, id tenemur credere nos accepturos, Marc. II. v. 24. At quis neget in specie singulos pro se debere petere peccatorum remissionem? Absurda eadem est glossa. Si enim ad remissionem peccatorum obtinendam (quæ credentibus in Christum promittitur Act. 10. v. 43.) sufficeret fides saltem generalis, quâ credimus in Ecclesiâ esse remissionem peccatorum, item credentes vitam æternam consecuturos, omnes utiq; hypocritæ & omnes Diaboli remissionem peccatorum & vitam æternam consequerentur, quia assensu illo generali non destituuntur. Apage verò profanam hanc Theologiam.

Pro uberiore sententiæ nostræ confirmatione & hanc rationem, adjicimus. Aut electos nos esse credendum est, aut non credendum, sed contrarium credendum, aut dubitandum. Quartum non datur. Si non credendum dixeris, nec salvum te fore credes. Positâ namq; electione ad salutem, ipsa salus sequitur, & sublatâ tollitur. Quod si verò salvum te fore non credas, nec salvus fies. *Nam qui credit in filium habebit vitam æternam qui non credit, jam judicatus est.* Johan. 3. v. 16. & 18. Si dubitandum, etiam de salute dubitandum. De salute si dubitas, non credis, te salvum fore: dubitare enim & credere adversa sunt. Si salvum te fore non credis, nec salvus eris: soli enim credentes salvi erunt. Itaq; salvus non eris, si ad vitam æternam electum te non credideris. Accedit alia ex Jacobo probatio. *Qui dubitat nihil impetrat:* Ergo qui de electione & consequenter de vitâ æternâ dubitat, nunquam vitam impetrahit. Adeo necessaria est electionis in nobis certitudo. Horrenda ut illa sit Bellarmini vox. *Non debemus nec possumus certò credere certitudine fidei, nos esse de numero salvandorum.* CAPUT

CAPUT XXXVII.

DEMONSTRATUR LUTHERANOS ET REMONSTRANTES
salvis hypothefibus, quas defendunt, non posse certos esse
de electione propriâ.

Vidimus Pontificios qui nec volunt nec possunt esse de Electione sui
certi. Ad Lutheranos & Remonstrantes progrediamur, qui vo-
lunt quidem, sed salvis hypothefibus, quas defendunt, non possunt de eâ
esse certi.

Sunt autem hypothefes illæ, quæ ἐπιχρῖν Academicam Lutherana
nis & Remonstrantibus cum Pontificijs communem faciunt, hæ:

I. *Quidam verâ & justificante fide præditi non tantum totaliter & finali-
ter possunt deficere, sed & actu deficiunt.*

II. *Fides vera & regeneratio sunt bona communia Electis cum reprobis.*

Ex priori hypothefi hunc in modum arguimus:

Qui credunt aliquos verâ & justificante fide præditos non tantum
posse totaliter & finaliter deficere, sed & actu deficere, ij de ele-
ctione propriâ non possunt esse certi. At Lutherani & Remon-
strantes credunt aliquos verâ & justificante fide præditos non tan-
tum posse totaliter & finaliter deficere, sed & actu deficere.

Ergo Lutherani & Remonstrantes de electione propriâ non pos-
sunt esse certi.

Assumptio è publicis Lutheranorum & Remonstrantium confessio-
nibus & scriptis est manifesta.

Propositionis ratio est, quia de electione nemo potest esse certus,
nisi qui de perseverantiâ in verâ & salvificâ fide certus est. Ut enim nemo
vitæ æternæ coronam accipit, nisi qui ad finem usq; perseveraverit: Ita
quoq; per æternam electionem ea nemini est destinata, nisi ad finem
usq; perseveranti. Cadente igitur certitudine perseverantiæ ipsa quoq;
cadit certitudo electionis propriæ: At de perseverantiâ non potest esse
certus, qui aliquos à fide totaliter & finaliter posse deficere pro certo ha-
bet. Syllogismus enim practicus electionis certitudinem ex certitudine
perseverantiæ concludens hic est:

Qui certus est de perseverantiâ in fide usq; ad finem, is etiam de
electione propriâ est certus. At ego certus sum de perseverantiâ

A a a

m e â

meâ in fide usque ad finem. Ergo de electione propriâ sum certus.

In hujus Syllogismi Assumptione non potest non fluctuare, qui credit aliquos à fide verâ totaliter & finaliter posse deficere & actu deficere. Unde enim quæso de perseverantiâ tuâ poteris esse certus, nisi cum verâ fide perseverantiæ donum perpetuò conjunctum esse credas, & hoc pro Syllogismo Assumptionem approbes:

Qui verâ præditi sunt fide, ad finem usq; perseverant, nec possunt deficere. Ego verâ fide sum præditus. Ergo ego ad finem usq; perseveraturus sum.

Tibi vero, quisquis hypothesein hanc defendis, non nisi sub particulari licebit sublumere hoc modo:

Quidam verâ fide præditi ad finem usq; perseverant. Ego sum verâ fide præditus. Ergo,

Hiccine verò Syllogismus animo tuo ἀσφάλεια in generabit. Ex hoc fundamento Bellarminus lib. 3. de justif. cap. 12. quædam suam rationem contra certitudinem prædestinationis educit, quam ita concludit: *non potest certitudo prædestinationis haberi, sine certitudine perseverantiæ, cum perseverantiæ sit effectus maxime proprius prædestinationis, & sine perseverantiâ non possit impleri prædestinatio: Igitur neg. de prædestinatione hominis illi certi fuerunt ex fide. At per hoc falsum est, omnes fideles certos esse certitudine fidei de suâ prædestinatione. Ad hoc argumentum, subiicit, nihil respondere potest Chemnitius. Ipse enim aperitè fateitur, posse fideles excidere à gratiâ & non perseverare. & tamen audenter affirmat debere eos, qui habent fidem, certo statuere se esse prædestinatos. Quæ quam malè inter se cobæreant, nemo non videt. Nam si omnes debent ex fide certo statuere se esse prædestinatos, & tamen possunt non perseverare & per hoc non salvari, igitur vel potest falli prædestinatio Dei, vel potest homo ex fide certo credere id, quod est incertum, & quod fieri potest, ut sit falsum. Hactenus Bellarminus.*

E posteriori hypothesei ita arguimus:

Quòd reprobis cum electis est commune, ex eo de electione nemo potest esse certus. At fides vera & regeneratio sunt bonæ communia reprobis cum electis, ex sententia Lutheranorum & Remonstrantium. Ergo ex fide & regeneratione de electione nemo potest esse certus. Unde

Unde igitur? Non enim innotescit electio nisi à posteriori ex effectis:

Concludimus igitur Lutheranos & Remonstrantes, salvis suis, quas defendunt, hypothesebus, non posse esse certos de electione propria, ὅπερ ἔδοι δεῖξαι.

CAPUT XXXIIX.

EXAMINATUR MODUS LUTHERANORUM ET Remonstrantium, quo opinantur electionis certitudinem se posse obtinere.

INextricabilis hic est labyrinthus, è quo tamen extricare se nituntur Lutherani & Remonstrantes, sed nisu prorsus irrito: uti videbimus. Desperatae Lutheranorum causae praeter multos alios patronum se exhibet Meisnerus anthropolog. sacrae decad. 2. disp. 8. q. 4. thesi. 23. & seqq. quem in labyrinthi hujus erroribus, inexplicabilibus errantem inveni libet.

Distinguit autem duo tempora i. tempus tranquillae, ii. tempus tentatae & dubitantis conscientiae. Cum conscientia tranquilla est & hunc fidei sensum habet, de electione propria facile eum confirmari posse, hoc modo:

Quicumque credit & constans propositum habet à peccatis mortalibus abstinendi, hic verè ab aeterno electus est. At tu credis & constans propositum à peccatis abstinendi te habere fateris. Ergo verè ab aeterno electus es nec de salute tuâ dubitare debes.

R. Verissima haec quidem in se est demonstratio, attamen Lutherani hypotheses antea memoratas amplectentis conscientiam non potest tranquillare: Ad eam verò priusquam respondeamus, ambiguitas removenda, quae est in parte argumenti tertij seu medij termini: *habere constans propositum abstinendi à peccatis.* Propositum constans intelligitur vel quod quis jam habet, dum finaliter sibi proponit ab omnibus abstinere peccatis, vel quod per omnem vitam ad finem usq; continuatur. Prior sensus si admittatur, dico Syllogismi propositionem ex hypothesis Lutherana & Remonstrantium non esse universaliter veram: Nam & reprobis secundum Lutheranos & Remonstrantes potest credere & propositum habere serium per gratiam regenerationis ab omnibus peccatis

abstinendi, qui tamen propterea electus non est. Si posterior sensus admittatur, assumptio dubia erit: Quis enim certum te reddiderit de continuatione istius propositi per totam vitam ad finem usq; , si pro certo tecum statuis fidem veram totaliter & finaliter posse exspirare? Si actu in multis exspirasse credis? Labascit ergo certitudo electionis tempore tranquillæ conscientiæ. De tempore igitur tentatæ & dubitantis conscientiæ quid quæso tibi polliceberis? Audiamus Meisnerum.

Fatetur magnam oriri difficultatem tempore tentationis, quando fidei sensus non adest, & conscientia Deum iratum sibi imaginatur. Fatetur, si maximè universalem propositionem formes, *omnis credens est electus*, hæere tamen tentatum in *ὑπολήψεις* seu in assumptione, & duo reponere i. se non credere, quia sentiat Deum iratum, & careat omni spiritus solatio ac testimonio. ii. se incertum esse de perseverantiâ. Si enim maximè jam vellet credere, tamen se vicissim labi facillimè posse. R. Non in Assumptione tantum, sed vel maximè & periculossimè in propositione hæret tentatus Lutheranus & Remonstrans. Propositionem enim *omni credens est electus*, ex utriusq; hypothese & mente universaliter vera non est, quia & reprobatorum multi verè credunt.

Sed videamus qui scrupulos circa assumptionem removeat, Accurato, inquit, discursu opus est, quo dubitans plenè informetur i. de fidei: ii. de perseverantiæ subsuntione. Fidei subsuntionem, præmissis nonnullis axiomatibus, quæ partim vera, partim falsa sunt, roborat i. *a priori*: hoc modo: posita causa in actu certo sequitur effectus. At fidei tuæ causa in actu est posita. Ergo effectus quæq; præsens est. Assumptionem probat: Principalis fidei causa est, gratia Dei & benevola ejus voluntas, secundum quam in cordibus nostris, sine meritis nostris fidem vult operari. Instrumentalis, verbum Dei, quod tibi annuociatur, quod est potentia ad salutem & sacramenta, potissimum Domini cœna, qua Christus tecum se unit &c. ii. *a posteriori*, hoc modo: Ubi consequens reperitur, ibi antecedens abesse nequit: Atqui in me deprehendo consequentem conversionis effectum. Ergo fides & conversio nequaquam absunt. Assumptio probatur: signa & effectus fidei in primis quatuor sunt, i. *gratia divina desiderium*, quicumq; enim misericordiam Dei expetit, sincerè à Spiritu S. ducitur. 2. *renovatio*, quæ cognoscitur ex lucta carnis & spiritus, ex serâ vitiorum displicentia. 3. *Spiritus moventis testificatio*. 4. *bonorum operum exercitium*. R. De

R. De fidei subsumptione frustra laborant Lutherani: Nam si maximè Lutheranus de fide possit subsumere: Inde tamen de electione nil potest certi concludere, quàm diu, pro certo habet, *fidem veram electis cum reprobis posse communem esse*, operam igitur heic perdit Meisnerus. Taceo quod ratio à priori petita in tentationibus minimè sit firma. Nec enim omnes gratia sua Deus complectitur, nec verbum & sacramenta in omnibus eadem operantur.

De perseverantiæ igitur subsumptione Meisnero & omnibus Lutheranis ac Remonstrantibus est laborandum. Manus autem heic non obscure dat Meisnerus: *De perseverantiâ, inquit, non quidem absolute possumus esse certi, ac si contrarium planè foret impossibile, interim tamen & sic datur certitudo, licet quodam inferiori gradu.*

R. Certitudo hæc vestra, stantibus hypotheseis vestris, aliud nihil esse potest, nisi spes vacillans, hoc est, dubitatio, incertitudo, ἐποχὴ Academica & Pontificia.

Videamus fundamenta certitudinis, quæ ponit Meisnerus: Primum, inquit, est *promissio Dei*, promisit non tantum incipere, sed etiam perficere Phil. i. v. 6. & propterea non permittit nos tentari ultra vires: Certus ergo esse possum ob hanc promissionem.

R. Promissio perseverantiæ in se quidem fundamentum certitudinis est longè firmissimum, sed turpissimè labefactatur à Lutheranis. Si enim promittenti Deo credunt, cum non tantum incipere sed etiam perficere, cur quæso docent & credunt fidem totaliter & finaliter posse amitti ac in multis actu amitti? At, inquit, electi fidem finaliter non amittunt.

R. Unde verò electum te esse firmiter colliges, si fidem ac regenerationem reprobis cum electis communem esse credis? Elegans certè est Fulgentij dictum, quod allegat Meisnerus ex lib. i. ad Morum: *Deus prævenit impium, ut fiat justus; subsequitur justum, ne fiat impius: prævenit cæcum, ut lumen, quod non invenit, donet: subsequitur videntem, ut lumen, quod contulit servet: prævenit elissum, ut surgat: subsequitur elevatum, ne cadat*: Pulcherrima, inquam hæc sententia & consolationis plenissima sed ab hypotheseis Lutheranis penitus convellitur. Quis enim Deus ex animi Lutherani sententia justum subsequatur, ne fiat impius, cum justum, ex ejusdem sententia, patiatur relabi ad impietatem totalem & finalem? Hoc sine verò est lumen collatum servare, permit-

tere ut totaliter & finaliter extinguatur; Hocine elisum prævenire, ut surgat, permittere, ut æternum prostratus jaceat? Hocine elevatum subsequi ne cadat, per poenitentiam seriam ad Deum reversum ita sibi permittere, ut æternæ damnationis periculum incurrat? Hactenus primum certitudinis fundamentum.

Secundum est *seria invocatio*. Promisit Deus absq; conditione petentibus exauditionem, si petunt ea, quæ ad salutem sunt necessaria. Johan. 16. v. 23. Ego autem, qui jam me conversum scio, ex verâ fide peto perseverantiam. Certus ergo esse possum Deum mihi eam daturum.

R. Est & hoc fundamentum in se sat firmum: sed ab hypothefibus Lutheranis penitus convellitur. Nam si omnes ij donum perseverantiæ impetrant, qui verâ fide præditi & per Spiritum S. regenerati, dictant Spiritu S., qui precum est spiritus, id à Deo ex fide petunt: sequitur & reprobos nonnullos donum perseverantiæ impetrare: At consequens falsum, ob manifestam contradictionem. Ergo & antecedens. Connexi ratio est: quia ex Lutheranorum & Remonstrantium sententiâ etiam Reprobi nonnulli verâ & justificante fide sunt præditi, justificati & regenerati. Atqui verâ fide præditus, justificatus & sanctificatus est, quidnî perseverantiæ donum à Deo petat? Contradicunt enim, tantis esse bonis præditum, & eorum datorem Deum grato animo non agnoscere, tantiq; thesauri conservationem petere. Unde patet, stante hypothefi Lutheranâ, Syllogismi practici propositionem esse particularem.

Quidam perseverantiam petentes verâ fide à Deo, exaudiuntur, quæ à σφάλειαν nullam gignit. Hoc alterum est fundamentum.

Tertium, *continuata est mediolorum usurpatio*. Sicut enim per primam eorum applicationem conferebatur fides, ita si continuerur usurpatio, continuabitur ipsa fides & conversio. Quare si semper audiamus verbum, si usurpem sacramenta, vicissim certus esse possum de perseverantiâ.

R. Fundamentum hoc ex hypothefi Lutheranâ prorsus est lubricum, Primùm enim continuata mediolorum horum usurpatio apud hypocritas quoq; esse potest, quorum nonnulli in audiendo verbo & usurpandis sacramentis magis sunt seduli, quàm sinceri Christiani, & tamen nec fidem veram nec perseverantiam in eâ assequuntur. Deinde, si de legi-
timâ

timâ & fideli sacramentorum usurpatione verbiq; fructuosâ auditione loquamur, cœritudo nulla ex hoc fundamento peti potest, stante hypothefi Lutherana: quia de continuatione legitimæ mediocum usurpationis nemo certus esse potest, qui totaliter & finaliter eam interrumpi posse & actu in multis interrumpi secum statuit. Unde enim quæso meliorem tuam fore sortem, quàm hujus vel illius apostatæ, certus eris? Cum de electione ex fide & regeneratione tuâ, quam cum reprobis nonnullis communem habet, certus esse nequeas? Hoc tertium fundamentum.

Quartum est, *Serium non resistendi nec mortaliter peccandi propositum*. Nihil impedire potest perseverantiam & excutere Spiritum S. quàm peccatum mortale. Hoc autem vitare & fugere, in meâ, præsertim si jam conversus sum, potestate est. Quod si igitur fixa sit sententia, me nolle mortaliter peccare, de perseverantiâ utiq; certus esse possum. R. Et hoc fundamentum ex hypothefi Lutherana lubricum est. Quis enim dixerit tibi an in serio illo proposito sis perseveraturus, si credis & pro certo habes, etiam sanctissimos quosq; Davidem, Salomonem, Petrum, à serio hoc proposito ita declinasse, ut per peccata mortalia Spiritum Sanctum penitus excusserint? Nonne hæc protinus horrendæ dubitationis fluctus oboriri, præsertim in tentatione, necessum est? Accedit & alterum fulmen, quod credis ab hoc proposito, quod certe in omnibus est fidelibus & regeneratis, non totaliter tantum sed & finaliter nonnullos deflascere.

Hoc quartum fundamentum.

Quintum est: *Causarum dubitanti absentia*. Nullum enim, inquit, proferri potest argumentum pro dubitatione, ad quod non ex scripturâ facilimè responderi queat. *Carnis infirmitati oppone vim Spiritus in te habitantis: tentationi oppone gratiam Patris, promissiones & similia*. Sicut ergo, qui non ponit obicem, certo convertitur, ita qui non malitiosè peccat, aut peccare præsumit, sine dubio perseverat.

R. Imò verò causarum dubitandi præsentia. Ais te carnis infirmitati opponere vim spiritus in te habitantis. Nonne verò & reprobi nonnulli ex vestrà sententiâ fide ac regenerationis spiritu præditi, durante fide, vim hanc infirmitati carnis opposuerunt? anne verò ideo vel perseverarunt, vel de perseverantiâ certi fuerunt? Tu, si cogites & credas

pecc

per Spiritus S. inhabitantis vim non stetit, quo minus à fide verà totaliter ac finaliter nonnulli defecerint, ecquo quales argumento trepidantem animulam solabere? quo perseverantiæ certitudinem persuadebis? Tentationi porro, ais, te opponere gratiam Patris & promissiones. At fiducia gratiæ protinus labat, si fidelium, qui defecerunt, & gratiã totaliter ac finaliter exciderunt, exempla animo tuo perpendas. Nec enim infallibile tibi suppetit argumentum, quo sortem tuam meliorem, quàm aliorum fidelium, futuram demonstres & firmiter tibi persuadeas. Aliorum igitur territus exemplis non poteris non fluctuare, & vacillanti spe te sustentare: Quod enim tu tibi forte præsumis, idem & alij sibi præsumserunt, & tamen defecerunt. Proinde certum hoc manet & indubitatum, quod thesi 22. de Calvinistis, impudenter, ne quid gravius dicam, pronunciat Meisnerus: *Lutheranos esse omnes consolatores onerosos & indige tröster.*

A Lutheranis ad Remonstrantes transeamus, & causæ huic malæ anti Petrus Bertius patrocinetur, videamus. Ait Bertius certitudinem esse ex Syllogismo, *cujus major constat Dei voluntate, Christi merito & pro nobis intercessione. Minor officij facti conscientia secundum Evangelium: conclusio vero illatione ex precedentibus deducta, & per testificationem Spiritus S. confirmata*, hoc modo:

Quisquis poenitentia ductus peccatorum suorum credit in Christum, justificatur à Deo, eritq; vitæ hæres. Ego peccatorum meorum ducor poenitentia & credo in Christum: Ego igitur justificor à Deo, eroq; hæres vitæ æternæ.

Major respectu Dei legitur Ezech. 33. v. 11. *Respectu Christi* Heb. 9. v. 13. Minoris subsumptione opus esse apparet ex 2. Cor. 13. v. 5.

R. Firma hæc est certitudinis anchora, nisi falsis hypothesebus labefactetur: At verò ex Bertianis & Remonstrantium hypothesebus propositio universaliter vera non est. Sub particulari igitur illis est subsumendum, Unde nulla gignitur certitudo. Particularis, inquam, est propositio stantibus hypothesebus Remonstrantium & Bertij. Nam si aliqui poenitentia peccatorum ducti, per fidem justificati & Spiritum regenerati totaliter & finaliter deficiunt: Quæ Bertij & Remonstrantium est assertio: Nonne falsum erit omnes justificatos & sanctificatos hæreses vitæ futuros? Aut forsan axiomata specialiter contradicentia simul vera

vera

vera esse poterunt. Sin verò ita informetur propositio, uti necessario Remonstrantibus & Bertio est informanda.

Quisquis pœnitentiâ peccatorum suorum ductus perseveranter in Christum est crediturus, hæres vitæ æternæ erit.

Dic sodes Berti, qua mentis tuæ ἀσφαλεία possis subsumere: Ergo peccatorum meorum ducor pœnitentiâ, & in Christum perseveranter sum crediturus:

Quis, inquam, tibi perseverantiam tuam revelavit, qui fideles fidei naufragium totale & finale posse facere, & actu complures facere publicè doces ac profiteris in infami tuo Hymenæo desertore? Nisi igitur evidenter demonstraveris, in tutiori te portu navigare, quàm omnes sanctos & fideles, quos apostasiæ obnoxios esse doces, certè animum tuum nunquam tranquillabis, multò minus certitudinem electionis tuæ alijs persuadebis. Et qui quæro possis? Ex fide de salute & electione tui nihil certi potes statuere, qui reprobis cum electis fidem justificantem facis communem. *O onerosum consolatorem.*

CAPUT XXXIIX.

DEMONSTRATUR ORTHODOXOS POSSE
certos esse de electione propriâ.

Sic igitur planè evicimus Lutheranos & Remonstrantes de electione propria non posse certos esse. Reliquum est, ut demonstremus orthodoxos nos, quos Calvinistas illi scandalosè appellant, de ea posse certos esse. Laboriosa autem nobis non est opus demonstratione, cum ex hypothesebus nostris sponte eam fluere, ultro agnoscant, & res ipsa loquatur.

Hypotheses autem, è quibus propriæ electionis infallibilem certitudinem per legitimam & necessariam consequentiam hæ sunt.

- I. De veritate fidei & justificationis nostræ certi possumus esse.
- II. Fides & justificatio bona sunt omnibus & solis electi: onis propriâ.
- III. Fides & justificatio dona Dei sunt ἀμεταμέλητα hoc est, bona quæ per Dei gratiam electi nunquam amittunt.

Primam nobiscum Lutherani & Remonstrantes defendunt contra Pontificios: secundam & tertiam cum Pontificijs contra nos negant. Unde de electione propria non minus necessariò dubitant, quam ipsi

B b b

quoq;

quoq; Pontificij. Nos hypothefin noſtram tertiam prolixè ſupra demonſtravimus: Unde & ſecundæ veritas neceſſariò evincitur. Si enim fidei & juſtificationis bona nunquam excidunt, ſequitur ſolis electis ea eſſe propria. Ratio conſequentiæ. Nam ſi reprobis eſſent communia cum electis, ſequeretur & reprobos æternæ vitæ participes reddi. *Vita enim coronam accipit, quicumq; ad finem uſq; perſeuerat.* Hinc igitur irrefugabilem hanc *ὑπόθεſιν* conficimus.

Qui de propriâ fide & juſtificatione poſſunt eſſe certi, creduntq; fidei & juſtificationis bona ſolis electis eſſe propria, & quidem perpetua, ut nunquam ea penitus abijciant vel amittant, ij de electione poſſunt eſſe certi. Atqui orthodoxi nos de propriâ fide & juſtificatione poſſumus eſſe certi, credimusq; fidei & juſtificationis bona ſolis electis eſſe propria & perpetua.

Ergo orthodoxi nos de propria electione poſſumus eſſe certi.

Propoſitio manifeſta eſt, quia fidei & juſtificationis bona electionis conſequentia, propria, neceſſaria & perpetua ſunt. At conſequens neceſſarium, proprium & perpetuò neceſſarium, & perpetuò arguit antecedens.

Dominus Zanchius, quem nullo ſuo merito insolenter flagellat Meisnerus, electionem propriam tribus modis revelari electis docet lib. 3; de naturâ Dei cap. 2. part. 2. de prædeſt. ſanctor. q. 1. theſi. 2.

Primus modus eſt, per internum Spiritus S. teſtimonium. Spiritus enim Dei una teſtatur cum Spiritu noſtro, quod ſimus filij Dei Rom. 8. v. 16. Eſſe verò filium Dei eſt i. prædeſtinatum fuiſſe in adoptionem filiorum i. factum eſſe reapse filium Dei per fidem. i. ii. per Spiritum regeneratum in filium Dei & Chriſtum induiſſe. Teſtimonium hoc Spiritus omni exceptione majus eſt: Unde hanc demonſtrationem conficit:

Quicumq; invocant Deum & in ſuo corde clamant Abba Pater, hos eſſe filios Dei & ita clamare ex Spiritu Dei certum eſt. Quicumq; autem filij Dei ſunt, ij etiam ſunt hæredes vitæ æternæ, & prædeſtinati fuerunt *eis υιοθεſίαν*. Fieri igitur nullo modo poteſt, quin omnes qui perſuaſi ſunt per Spiritum Sanctum ſe eſſe filios Dei, ſunt ad æternam vitam prædeſtinati eaque de re perſuaſi.

Secundus modus eſt per ipſum Dei verbum, quo Chriſtus omnes, qui
in ſe

in se credunt, electos vocat, tam ipse per se, quam per Apostolos. Unde Syllogismus practicus ex hypothefibus orthodoxorum necessarius hujusmodi conficitur.

Qui credunt in Christum, ad vitam æternam sunt electi, Atqui ego certè scio me in Christum credere. Ergo certò scio me ad vitam æternam esse electum.

Syllogismi hujus vim ut enervent Lutherani & Remonstrantes, ante vidimus.

Tertius modus est per effecta prædestinationis, quibus seu notis impressis obfirmamur & de electione certi reddimur. Sunt autem effecta, fides, justificatio, sanctificatio. Unde hæc demonstratio conficitur:

Qui sentit in se effecta prædestinationis is certus esse potest de prædestinatione. At quilibet electus tandem in se sentit effecta prædestinationis, nempe fidem, justificationem, & sanctificationem. Ergo quilibet tandem de prædestinatione certus esse potest. Propositionis ratio est, quia effectus proprius causam necessariò arguit. Hactenus nostræ sententiæ demonstratio.

CAPUT XL.

EXAMINANTUR PARALOGISMI MEISNERI,
quibus sententiam orthodoxam in genere, &
Dn. Zanchij declarationem in spe-
cie oppugnat.

Meisnerus allegatæ supra disputationis thesi 22. hanc ponit assertionem: *Stante doctrinâ Calvinisticâ nullus tentatus erigi, nullus dubitans de electione suâ confirmari potest.* Hanc assertionem primùm nititur probare: deinde modos certitudinis, & divinæ revelationis à Dn. Zanchio assignatos conatur refutare. Videamus momenta rationum.

Pro assertione suâ temerariâ defendendâ hujusmodi argumento velitatur.

Qui credere debet Deum ex toto genere humano tantum aliquo, & quidem minimam partem ex absolutâ planeq; abscondita *evdokia* ad vitam æternam elegisse, hic se electum & salvandum esse firmiter concludere nequit. At verò omnis Calvinianus illud credere debet. Ergo electionem & salutem suam firmiter concludere nequit.

Major, inquit, certa est: Cum sub particulari, absoluto & profus arcano decreto nequeat invicte subsumere. Quale enim foret argumentum, quæ consequentia? Deus paucis mos quos voluit sine omni respectu fidei elegit. Ergo te quoq; electis illi annumeravit. Statim excipiet tentatus, se de hoc dubitare, nec ullum quo erigi queat, argumentum audire.

R. Paralogismi Meisneriani Propositio falsissima est. Quasi verò ex aeterno Dei decreto certitudinem electionis nostræ deducamus, & non potius ex effectis decretum electionis in tempore infallibiliter consequentibus, nec non ex promissionibus divinis & interno Spiritus S. testimonio: Agnoscat igitur Meisnerus ineptam suam arguendi rationem, quæ hæc est: *Calviniani de electione propria non possunt esse certi, ex decreto aeterno ex mera Dei evdoxia profecto. Ergo nullo modo de eâ possunt esse certi.* Ultra igitur ineptam & incertam esse collectionem agnoscimus, quam affingit nobis Meisnerus, quæ talis est: *Deus elegit paucos, ex evdoxia non motus prævisa ipsorum fide. Ergo & me elegit.* Ita pueri colligunt, qui nondum are lavantur. Habeat ergo sibi Meisnerus commentitium hunc paralogismi. Longè solidior est nostra ratio cinatio, de quâ supra. Verba quæ in Propositionis approbatione ponuntur, *Deus paucos mos quos voluit, sine omni respectu fidei elegit*, ænigmatica sunt, & a nostris forte an usurpata calumnia esse traducuntur. In electionis enim decreto etsi non erat respectus fidei tanquam causa ipsius electionis, erat tamen respectus fidei tanquam mediæ ad executionem decreti destinati. Videmus jam, an qui de electione fluctuat, nullo erigi possit argumento: *Si ableges, ipsum, inquit, ad voluntatem Dei revelatam, mox secundum hypothesin Calvinianam excipiet, eam esse tantum signi voluntatem, se autem ambigere de voluntate beneplaciti, quæ quandoq; prorsus contraria est revelatæ.*

R. Quod de contrarietate voluntatis revelatæ & arcanae oggarnit, mera est calumnia. Ad voluntatem igitur Dei revelatam qui se non componit, non est quod de arcana benevolentiâ quicquam sibi premitat: Ex illius verò præscripto qui vivit, de hac dubitandi causam prorsus nullam habet. Cuiquid autem sit de distinctione voluntatis arcanae & revelatæ ejusq; sensu, de quo supra prolixè: certum est ipse q; Dei digito exaratum & aeterno Dei decreto omnibus modis contenta-

ntum.

meritum, nec ab ullo unquam pia ac sacra mentis Christiano negatum, vitam aeternam habere, & proinde ad eam electum esse, quicquid in Christum credit Johan. 3. v. 16. 18. 36. Vitam hanc ab aeterno Deus decrevit omnibus credentibus dare, eamque credentibus se datum in tempore patefecit ac promisit, & suam tandem promissionem veris in se implet. Nulla haec vel in specie in repugnantia arcana & revelata voluntatis. De sua igitur in Christum fide qui potest subsumere, de electione sui securus esse potest; idque ex orthodoxae nostrae doctrinae hypothesebus verisimis: non item ex hypothesebus Lutheranorum & Remonstrantium.

Pergit Meisnerus. Si Christi meritum inculces, parata erit responsio, Christum non pro omnibus sed paucissimis tantum efficaciter esse mortuum. Qui autem credere potest se istis inclusum esse?

R. I. Excorium te numero esse, pro quibus Christus est mortuus firmissimè poteris concludere, si peccata tua ex animo detestaris, si nectis in Christo tibi partam corde credis, totaque in eum fiducia recumbis, si à peccatis abstinere & sanctitati studere serio tibi proponis: Hinc igitur particulare axioma, *Christus pro paucis efficaciter est mortuus*, in hoc universale licebit mutare: *Quicquid peccata sua ex animo detestatur, partam sibi in Christo medicinam corde credit, totaque in eum fiducia recumbit, nec non à peccatis abstinere & sanctitati studere serio sibi proponit, pro eo Christus efficaciter est mortuus.* Tu igitur haec conscientiam tuam excute, an possis subsumere. Si ad singula annuerit conscientia securè licebit tibi concludere, *pro te Christum esse mortuum*: Sin verò contrarium testetur tua conscientia: in id erit incumbendum, ut verum tandem & sermone eius assensum impetres. Nec enim protinus desperandum ei, qui signa electionis & benevolentiae divina in se non animadvertit, sed commendandum potius, ut ad metam contingat, à quâ se longè abesse sentit.

II. Nec verò nobis difficile est, eandem hanc exceptiunculam in Lutheranorum doctrinam retorquere, ratione non multum ab simili. Credunt Lutherani, quod verisimum quoque est, paucissimos tantum Christi actu participes fieri, & per id remissionem peccatorum ac vitam aeternam consequi. Quapropter, qui credere possit se illis inclusum esse: Certe aut habendum tibi aut ne sua responsione utentur.

Pergit Meisnerus. Si promissiones universales urgeas, nec illæ sufficient, quoniam restringuntur tantum ad genera singulorum, non singulos generum.

R. Cum omnes promissiones Evangelicæ si accuratè perpendantur, annexam habeant fidei conditionem; planè utiq; enunciatae Universales gignunt propositiones, quarum summa hæc est, *Qui credit in Christum vitam habet æternam*, quæ non genera tantum singulorum sed & singulos generum concernit. Sub hac igitur, qui verè potest subsumere, dubitandi de electione causam nullam habet, ex sententiæ nostræ hypothesebus; quam non adimunt hypotheses Lutheranorum & Remonstrantium.

Pergit Meisnerus: Sacramentorum usum & efficaciam commendes, non acquiescet tentatus, sed hæc ad signi voluntatem pertinere, non autem arcanum beneplacitum ostendere reponet.

R. Calumnia jam ante refutata. Promissio Evangelica, *Qui credit in Filium vitam habet æternam*, ut ipsissima est æterni decreti & beneplaciti sententia: sic per sacramenta omnibus credentibus verissimè obsignatur, ut nulla dubitandi causa relinquatur, nisi forsan circa principium, hoc est fidem animus erret aut hæsitet.

Paret igitur plumbea prorsus tela esse, quæ contra orthodoxam sententiam in cassum evibrat Meisnerus: Videamus jam quâ æquitate Dn. Zanchium tractet.

Excipit contra primū revelationis modum, internū nempe Spiritus S. testimonium i. modum hunc ut à Dn. Zanchio explicatur videre enthusiastis multū tribuere, ii. illud imprimis desiderari, quod non sit perpetuus, sed in gravioribus tentationibus prorsus expiret, quando nullus vel fidei vel testificantis spiritus sensus deprehenditur, cum intus terrores sunt & foris pugnae. 2. Cor. 7. v. 5. iii. Calvinianos indubio semper hæerere, num *μαρτύριον* illud à Spiritus S. vel potius carnali quadam confidentiâ profectum, cum absolutum & penitus incognitum Dei decretum doceant.

R. Ad 1. Ne minima quidem Enthufiasmi suspicio è Domini Zanchij declaratione extorqueri potest. Calumniam igitur hanc auctori remittimus. Ad 2. Quid facias huic homini, qui tempore tentationis ad spiritus moventis testificationem tanquam notam electionis infallibilem ipse provocat thesi 33. nos verò idem facientes culpat? Anne verò

in

in hoc quoq; negotio *duo cum faciunt idem, non est idem?* Quod autem ait in gravioribus tentationibus Spiritus Sanctus testificationem prorsus exspirare, scripturæ ipsiq; Meisnero contrarium est: scripturæ quidem, quia Spiritum Sanctum renati nunquam prorsus amittant, ut supra demonstravimus. Et si igitur in tentationibus quandoq; ad tempus testificatio ejus suspenditur, & non sentitur, in desperationem tamen renatos prolabi nunquam patitur, sed ad summa ubi perventum est, lumine suo mentes perfundit, & ardore voluntates inflamat, ut è tenebris ac dubitationum frigore emergant, & ad Deum se convertant. *Invoca me in die tribulationis, inquit Jehovah, & exaudiam te.* Secus certè sua promissioni non constaret veritas, *non sinet vos tentari supra id quod potestis, sed præstabit unà cum tentatione etiam evasionem, ut possitis sufferre* I. Cor. 10. v. 13. Cui simile Petri testimonium epistola 2. cap. 2. v. 9. *novit Dominus pios è tentatione eripere.* Contrarium verò ipsi Meisnero est: quia tempore tentationis ad Spiritus testimonium provocat: aut ergo penitus non exspirat, aut ad id frustra Meisnerus provocat. Ad 3. Falsum est docere nos incognitum prorsus esse nobis decretum electionis. Jam enim ante contrarium demonstravimus. Quod autem ait, in dubio nos hæere, an *μαρτύριον* illud sit à Spiritu Sancto vel potius à carnali confidentiâ, ipse quæso Meisnerus pro nobis se respondentem audiat thesi 35. in quâ ad objectionem, quod fidei signa, ut gratiæ divinæ desiderium, renovatio spiritus moventis testificatio, studiosa legis observatio, possint fallacia & incerta esse quodq; eadem imaginari sibi hypocrita possit, respondet 1. *Spiritum Sanctum mentiri non posse. Ille, dixit, ubi est luctus carnis, ibi esse renovationem. Quare hoc nequit fallere. Sentis tu talem luctum? Certus igitur esse potes de tuâ conversione & gratias à κατοικήσει spiritus 2. hypocritas & hæreticos non esse curandos, fidemq; hypocriticam non esse opponendam fidei veræ. Quis semetipsum probare potest auverè displiceant peccata &c.* 2. Cor. 13. v. 5. Hoc sibi responsum habeat Meisnerus. Urgebit autem demum nos exceptio Meisneri, cum demonstraverit, eadem carnis & spiritus esse opera, nec efficaciter satis à Spiritu Dei hominem moveri, adeò ut à mundi spiritu discerni queat.

Excipit contra secundum revelationis modum, qui ex verbo habetur, 1. non perpetuum esse quod tentationis tempore locum nullum inveniat. II, incertum & infirmum esse: quia stante absoluto decreto, stare nequit

nōquit fidei certitudo. Nec enim de fide quis confirmari potest ex verbo, quia voluntatem signi tantum continet. Nec ex promissionibus quia particulares sunt, Nec ex sacramentis, quia significant, nihil conferunt. Itaq; semper manebit hic scrupulus: nescio an Deus mei sermo velit misereri, quia voluntate ejus arcana est, nec ullis medijs patefacta. Et si maximè velim credere, ignoro tamen an hæc fides sit temporaria, num viva, siquidem multi in hac persuasione fuerunt decepti, egoq; nullum verbum, nullam promissionem habeo, cui firmiter inniti queam.

R. Ad 1. Si modus hic revelationis ex verbo perpetuus non est, cur ergo, tu Meisner, tentatum & de fide dubitantem ad verbum remittis, jubesq; fidei certitudinem colligere ex effectis & signis fidei, quæ in verbo describantur: cujusmodi sunt I. gratia desiderium. II. renovatio. III. Spiritus moventis reſtitutio. IV. Studiola legis observatio. At, inquires forſan, in tentatione signa hæc se non produnt R. Malè igitur tu instruis tentatum, qui ex hisce signis & effectis fidem jubes agnoscere. Te igitur ipsum nisi refutatam iveris, fatearis oportet in fidelibus tentatis signa hæc vel omnia vel aliqua saltem se prodere, certumq; præſentis fidei indicium facere.

Ad 2. Absolutum respectu causæ extra Deum constitutæ de ceterum fidei certitudinem nullo modo labefactat. Ut enim de fide tuâ sis certus, non est, quod in arcana Dei irrumpas. Ad patefactionem in verbo comprehensam recurre, fidei naturam inibi descriptam tecum perpende, dein conscientiam tuam excute, & te ipsum explora, an in fide sis. Si fidem non deprehendis, non despera, sed agnitâ peccatorum tuorum deformitate ad Deum confuge, & propter CHRISTUM Mediatorem fidei donum pete: illa nixus promissione, *Quicquid patrem rogaveris in nomine meo, dabit vobis*. Quod autem ait Meisnerus, ex verbo de fide neminem posse confirmari, quia voluntatem signi tantum continet, calumnia est, jam ante refutata, uti & illa de promissionibus particularibus. Sacramenta tantum significare, secundum nos, nihil conferre, falsum est. Nec enim signa tantum sunt nuda, sed sigilla quoq; certissima, quibus gratia in CHRISTO exhibita confirmatur & obſignatur, quibus fides nostra confirmatur & roboratur. Hocne verò est nihil conferre? Vos verò, qui ipsum naturale Christi corpus vos deglutire opinamini, ecquod majus & certius solatium ex orali illâ & ca-

& capernaïticâ manducatione, quam Dei filijs cum Satanae mancipijs communem facitis, tentato suggerere potestis? Nam si fidem nullis prorsus in se deprehēdit indicijs, ipsoq; sacramento sine fidei sensu utitur, nonne judicij formidandi causam habebit potius, quàm gratiæ sperandæ?

Quod scrupalum ait manere, *an Deus seriò velit misereri*, quia voluntas arcana & nullis medijs patefacta, antiqua est calumnia. Interim inculcatus & ex omnium orthodoxorum ore ingeminamus, *de arcana Dei voluntate & benevolentia ejus erga se dubitandi causam non habere, qui ad revelata praescriptum se componit: revelatam verò qui contemnit aut in dubium vocat, de arcana nihil sibi posse promittere.* Arcanam nullis medijs esse patefactam, nemo unquam nostrum adeò crudè & absurdè dixit: contra verò dicimus arcanam Dei voluntatem de salute electorum & medijs salutis in verbo plenissimè esse patefactam, nec esse amplius arcanam ijs, qui media in se deprehendunt salutaria, electorum propria, quæ accurato examine instituto deprehendi posse ne ipsi quidem Lutherani audent negare: Etsi stantibus ipsorum hypothēsibus, arcana voluntas ipsis perpetuò manet abscondita.

Certum enim est per æternum Dei decretum paucos esse ad vitam æternam electos: Si igitur media ad vitæ consecutionem destinata, qualia sunt, *fides, justificatio, sanctificatio*, communia sunt reprobis cum electis, & quo quæso argumento tu, quisquis hypothēsin hanc admittis, ad reproborum cætum te non pertinere, tibi persuadebis? nullo, nullo: manet igitur abscondita tibi voluntas Dei arcana quæ non patefcet tibi, nisi tandem ex eventu & fine. Nondum acquiescit tentator noster. Fidem temporariam à vivâ non posse distingui contendit, quia multi in hac persuasionē sunt decepti.

R. Audiat heic pro nobis se respondentē thesi suâ 35. quam & ante allegavimus. Quod addit, nullum esse verbū, nullam promissionē, cui firmiter inniti queat tentatus, calumnia est pertrita, quam ad nauseam inculcavit.

Sub finem jubet sese exercere Calvinianos, modumq; præscribere, quomodo erigendus sit homo, si dubitet, num Deus fidem sibi velit infundere, si quidem paucissimis eam & quidem ex absoluto beneplacito instillet.

R. Exercitatione laboriosâ non est opus. Qui fide nondum præditus est, scripturam legat, vel legi sibi curet, discat ex eâ, quibus medijs

Ecc

ad h.

ad finem adducantur electi, sequatur præscriptum verbi, auxilium Dei imploret, ut & sibi salutaris mediæ usus obtingat; peccatorum suorum magnitudini divinæ misericordiæ opponat immensitatem; unde, legitimam desperandi causam nullam se habere animadvertet. Libet hæc referre modum, quem præscribit Dominus Beza, responsione 2. ad acta colloq. Mompelg

Si mihi, inquit, sit negotium cum eo, qui vel nunquam fuerit Evangelico ministerio vocatus, vel ut vocatus fuerit, nunquam tamen vocantem audivisse sibi vel alijs sit visus: & qui inde colligat se non esse eorum numero, quorum Dominus constituerit misereri: suggero illi Sophistam esse Satanam, qui sic illum doceat concludere: non minus falso, quam si quis in mediâ nocte positus, affirmaret solem, quia nondum sit exortus, nunquam exoriturum. Misero illi igitur, ab illa falsâ & Satanica conclusionem depulso, suggerere mox consuevi, quamvis externa per se vocatio penitus pacandæ conscientie non sufficiat, maximum tamen esse illius adversus Satanam præjudicium & pondus. Eos enim, qui nunquam intus vel foris vocentur (loquimur autem hic de ordinariâ vocatione) necessario perire: quicumq; vero vocatur, in primo salutis lumine pedem jam habere, unde, nisi per ipsos steterit, certus in atrium ac tandem etiam in ipsam salutis regiam pateat aditus: & hanc adhortationem multis modis confirmo. Cur enim, inquam, ego, dubites de ejus voluntate, qui me ad te vocandum misit, nullam causam habes, nisi forte peccatorum tuorum multitudinem. Huic oppone divinæ quæ tibi à Deo per me præbetur misericordiæ immensitatem. Introducit te Deus in electorum viam: cur illum sequi recusaveris? Si te nondum sentis intus permoveri, pete, ut permovearis. Hoc desiderium, scito pignus esse paternæ erga te benevolentie. Huic nec potest nec vult deesse, quod ipse unus in te excitavit. Istitis deniq; exhortationibus adijcio locum de vocatâ hora undecimâ, de vocatione gentium post tot secula, de pendente in cruce latrone, & aliis ejusmodi, quibus remedijs nunquam me frustra usum memini. Hactenus Beza:

Excipit deniq; contra tertium revelationis modum i. effecta illa restari de electione, si quis actu credat; quid autem fiet tempore tentationis, ubi quis de effectis hisce omnibus dubitat? II. de effectu neminem confirmari posse, nisi prius de causæ operatione certus. Quibus verò rationibus probabunt Calviniani, Deum effectum illorum causam in hoc

Summa Caputum.

CAPUT I.

De objecto Prædestinationis secundum qualitatem considerato: ubi de ordine decretorum divinorum circa prædestinationem.

CAPUT II.

De objecto prædestinationis ad vitam secundum quantitatem considerato, sententia orthodoxa exponitur & demonstratur.

CAPUT III.

Vindicantur quedam scriptura testimonia, de vocatione partiali, à frigidis nonnullis adversariorum glossis: & responsio Remonstrantium ad tertiam nostram rationem examinantur.

CAPUT IV.

Proponitur sententia adversariorum de objecto prædestinationis ad vitam secundam quantitatem considerato.

CAPUT V.

Primum fundamentum sententiæ hujus, de voluntate Dei universali, proponitur: Univerſalis dilectio & misericordia.

CAPUT VI.

Alterum ejusdem sententiæ fundamentum proponitur: Univerſalis Christi satisfactio.

CAPUT VII.

Tertium ejusdem sententiæ fundamentum proponitur; Univerſalis vocatio.

CAPUT VIII.

Consideratur distinctio voluntatis divine in antecedentem & consequentem: & voluntatem Dei propriè sic dictam non nisi unicam esse, eamque perpetuo impleri ostenditur.

CAPUT IX.

Solvuntur objectiones, quæ contra doctrinam præcedentis capituli proferri solent.

CAPUT X.

In specie examinatur distinctio adversariorum, ejusque applicatio.

CAPUT XI.

Consideratio primi fundamenti, & rationum contrariarum solutio.

(3)

Conf-

CAPUT XII.

Consideratio secundi fundamenti: ubi proponitur sententia orthodoxa de satisfactionis CHRISTI Universalitate, & confirmatur.

CAPUT XIII.

Solutio rationum contrariarum ex toto partes concludentium.

CAPUT XIV.

Solutio rationum contrariarum è partibus totum concludentium.

CAPUT XV.

Consideratio tertij fundamenti: ubi proponitur sententia orthodoxa de vocatione, quæ aliquot assertionibus explicatur probatur & vindicatur.

CAPUT XVI.

Solutio rationum contrariarum:

CAPUT XVII.

De causa impellente predestinationis ad vitam sententia orthodoxa proponitur & demonstratur, demonstrationes vindicantur à cavillis Lutheranorum & Remonstrantium: & ostenditur contra hos fidem electione priorrem non esse: Contra utrosq; nec fidem in CHRISTUM nec CHRISTI meritum esse causam electionis.

CAPUT XVIII.

Proponitur sententia Lutheranorum & Remonstrantium de causis predestinationis ad vitam.

CAPUT XIX.

Proponuntur due adversariorum rationes generales, quibus Christi meritum & fidem electionis æternæ causas esse probant.

CAPUT XX.

Proponuntur rationes speciales, quibus probare nituntur Christi meritum esse causam electionis.

CAPUT XXI.

Proponuntur rationes speciales quibus Lutherani conantur probare fidem esse causam electionis: Remonstrantes vero, antecedens.

CAPUT XXII.

Judicium fertur in genere de proposita questionis approbatione ab adversarijs instituta: & quadam adversariorum responsiones capite 18. recitate examinantur.

CAPUT XXIII.

Solvuntur rationes due generales Capite 19. proposita.

Solvuntur

CAPUT XXIV.

Solvuntur rationes speciales pro CHRISTI merito capite 20. pro-
posita.

CAPUT XXV.

Solvuntur rationes speciales pro fide prævisâ, seu Electionis decretum
antecedente, capite 21. proposita.

CAPUT XXVI.

Demonstratur sententia orthodoxa de electionis divina immutabili-
tate, & cum aliorum sententijs confertur.

CAPUT XXVII.

Demonstratur verè sanctos ac renatos, seu fide justificante præditos
nec totaliter nec finaliter à fide deficere & gratiâ Dei excidere: simulq; scri-
ptura testimonia ab adversariorum glossis vindicantur.

CAPUT XXVIII.

Recensentur argumenta 14. quibus doctrina orthodoxa, de sancto-
rum perseverantia, à Petro Bertio impugnatur.

CAPUT XXIX.

Recensetur argumentum 15. quod absurda continet, qua sententia
orthodoxa, de sanctorum perseverantia, à Petro Bertio impingun-
tur.

CAPUT XXX.

Premittuntur fundamenta quedam generalia solutionum.

CAPUT XXXI.

Solvuntur rationes 14. cap. 28. proposita.

CAPUT XXXII.

Respondetur ad argumentum 15. cap. 29. propositum: diluuntur ab-
surda qua orthodoxa doctrina, de sanctorum perseverantia, impin-
guntur.

CAPUT XXXIII.

Bertiana sententia consuetaria applicantur orthodoxa sententia de
sanctorum perseverantia.

CAPUT XXXIV.

Explicatur sententia Pontificiorum de certitudine aeternae electionis
& vitæ: argumenta illorum ex Bellarmino recensentur.

CAPUT XXXV.

Diluuntur argumenta Bellarmini.

(3) 22

Demon-

CAPUT XXXVI.

Demonstratur certitudo predestinationis ad vitam aeternam.

CAPUT XXXVII.

Demonstratur Lutheranos & Remonstrantes seu Arminianos, salvis hypothesebus, quas defendunt, non posse certos esse de electione propria.

CAPUT XXXVIII.

Examinatur modus Lutheranorum & Remonstrantium, quò opinantur electionis certitudinem se posse obtinere.

CAPUT XXXIX.

Demonstratur orthodoxos posse esse certos de electione propria.

CAPUT XL.

Examinantur paralogismi Meisneri, quibus sententiam orthodoxam in genere, & Dn. Zanchij declarationem in specie oppugnat.

CAPUT I.

in hoc vel illo individuo certo operari velle? Negatâ enim voluntatis universitate & posito decreto absoluto nulla potest fieri *ἄποληψις*.

R. 1. Si ex effectis hâc tempore tentationis nulla haberi certitudo potest, nullusq; eorum reliquus manet sensus, lubricam utiq; imò nullam prorsus tentato certitudinis viam monstrat Meisnerus, dum ad effecta hæc eum jubet recurrere thes. 31. 32. 33. 34. Noverit igitur Meisnerus, etsi ad tempus sepulta quasi jacet fides cum effectis suis, nunquam tamen in tentatione eam prorsus exspirare, sed ad extrema cum perventum fuerit, è cineribus peccatorum & dubitationis rursus emicare & desperationis ac dubitationis fumos dispellere.

Ad 2. De effectu neminem confirmari posse, nisi prius de causæ operatione certus sis, longè falsissimum est. Cum enim effectus necessarius causam ejusq; operationem necessario arguat, utique ex effectu quoque in causæ & operationis cognitionem licebit sine ullo errore pervenire: modò sciatur effectum non posse provenire nisi ab hac certâ & necessariâ causâ. Sic qui ex tenebricoso carcere, in quo nullæ dierum & noctium sunt vices, nulla horarum indicia, in lucidum ærem extrahitur, ex diei præsentia & intuitu solem exortum esse infallibili judicio colligit, nec enim aliam dies habet causam, nisi solis ortum. Etsi autem de futurâ fide non possunt esse certi certitudine fidei, qui fide nondum sunt præditi, causam tamen desperandi nullam habent, modò fidei desiderium in se sentiant, & donum hoc propter CHRISTUM à Deo seriò petant: Fidem enim qui desiderat, & à Deo propter CHRISTUM petit, impetrat, ex CHRISTI promissione: *Quicquid Patrem rogaveritis in nomine meo, dabit vobis.* Non est igitur, quod ad decretum Dei absolutum quisquam respiciat, Ad voluntatis divinæ in verbo patefactæ præscriptum se componat, & pro certo habeat salutis media per gratiam Dei sibi non defutura, si autem eorum Deum serio imploret. Hoc propositum in te nisi deprehendas, ne ex universali quidem voluntate quicquam ad te solatiij redibit, vel dubitationis scrupulus eximetur, voluntas enim Dei non finem saltem, sed & media respicit. Hactenus paralogismi Meisneriani, quibus contra Zanchium velitatur, explosi & disjecti.

A Zanchio priusquam digrederetur Meisnerus, non potuit sibi temperare, quò minus calumniam in eum evomeret, & quidem ansâ

arrep̄tā ex eo ipso loco, in quo calumnias à se depellit Zanchius. *Non diffiteri*, inquit, *hoc potuit ipse Zanchius* (nempe modos revelationis annotatos esse insufficientes, incertos, & tempore tentationis nullum efficacis solatium suppeditare posse) *dum probabilem tantum electionis certitudinem ex scripturā fluere scribit in miscell. fol. 302. ubi hæc verba. Docui voluntatem hanc, nempe quosdam ad vitam Deum aut mortem prædestinavit, non esse in scripturis simpliciter de singulis revelatam, sed tantum ab effectis probabiliter indicatam.*

R. Locus in miscell. occurrit pag. 304. calumniā 23. Verba libet integra describere: Calumia: *Quod contendam causam prædestinationis, nempe voluntatem Dei, nobis esse incognitam & non revelatam.* Depulsio. Respondeo: *Docui voluntatem hanc, quod scilicet voluerit ex toto hominum genere quosdam ad vitam æternam eligere ac prædestinare, alios autem reprobare, ideoq; ad æternam mortem præsumere, in scripturis esse revelatam. At verò voluntatem hanc, nempe quosdam ad vitam aut mortem prædestinavit, non esse in scripturis simpliciter de singulis revelatam, sed tantum ab effectis prædestinationis probabiliter indicatam.* Hactenus Zanchius.

Mentem Zanchij si libuisset Meisnero inspicere, verba diligenter ponderare, & quæ heic dicit, cum ijs, quæ alibi docuit conferre, nemine monente poterat intelligere Zanchium in allegato loco non loqui de certitudine, quam de electione propriā quisq; habet aut habere potest, sed de certitudine, quam quis de aliorum prædestinatione habere potest: Infallibile enim ne alterius fidei iudicium nemini ferre licet, quia alterius *καρδιογνώσις* nemo esse potest: Itaque non nisi probabilis hæc est certitudo ex professione fidei & externæ sanctimonix studio, quod in hypocritas quoq; cadit, petita. Propriæ verò electionis certitudinem ab electis suo tempore infallibilem haberi posse, ex sententiā Dn. Zanchij, abunde testatur thesis supra allegata, è qua tres revelationis modos descripsit Meisnerus & frustraneo conatu sugillavit. *Hactenus ergo per Dei gratiā, quatuor de prædestinatione ad vitam æternam arduas questiones expediimus: Labor hic noster in Dei gloriam & Ecclesie emolumentum ut cedat, animitus vovimus*

FINIS.



